Conspectus therapiae generalis, cum notis in materiam medicam tabulis XX methodo Stahliana conscriptus / A D. Ioanne Iunckero.

Contributors

Juncker, Johann, 1679-1759.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Impensis Orphanotrophei, 1736.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/k4e8ktb2

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

CONSPECTVS
THERAPIAE
GENERALIS,

CVM NOTIS

IN

MATERIAM MEDICAM

TABVLIS XX.

METHODO STAHLIANA

CONSCRIPTVS

EDITIO SECVNDA CORRECTIOR.

A

D. IOANNE IVNCKERO,

PROF. PVBL. ORD. ET MED. PRACTICO ORPHANO-TROPHEI HALENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

IMPENSIS ORPHANOTROPHEI, M DCC XXXVI.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

PRÆFATIO

LECTORI BENEVOLO FELICITATEM.

Olidam cuiusque morbi curationem intelligere si quis cupiat, nunquam eo peruenturus videtur, nisi antea doctrinam, generales medendi fontes recludentem, probe sibi degustandam imbiben-

damque cogitarit. Qua de cauſſa facile, petentibus amicis, impulſus ſum ad primam hanc medicinæ practicæ partem, e ſcriptis præcipue *Stahlianis* collectam, ſpecialibus tabulis Medicis ſubiungendam, & quo facilior perceptu eſſet, eodem veſtitam habitu in vſum maxime tironum publicandam. Hoc igitur inſtituto iam prodit hæc therapia generalis, de cuius argumento vt eo planius beneuolo lectori conſtaret, ſequentibus paucis eum commonendum eſſe putaui. Primum euacuationes Chirurgicas, vt arteriotomiam, venæ ſectionem, ſcarificationem, hirudinum applicationem, ſetaceorum, fonticulorum, veſicatoriorum vſum &c. quoniam in tabulis meis Chirurgicis iam ſatis fuſe & dilucide pertractatæ ſunt, de induſtria hic omiſi, ne opuſculum ſuperuacaneo labore auctum

ctum existimaretur. Deinde cum therapia generalis amplissimum illum materiæ medicæ adparatum proponere ac recensere debeat; non alienum ab hoc loco videbatur, de eo quædam disserere; tum vt illis, qui nomina, classes & virtutes remediorum in vnum compendium redacta conspicere auebant, gratificarer, tum vt ipse in posterum eo labore, sigillatim obeundo, possem supersedere. Inde ergo exstiterunt notæ cuiusuis tabulæ obseruationibus insertæ, quibus plurima naturæ & artis præsidia medica, (omnia enim percurrere nimis longum erat) probatissimorum auctorum ductum & meam experientiam secutus, breuiter explicanda & partim commendanda suscepi. In quibus nemo mirabitur, me a vulgari celebrandi more abstinuisse, multasque in varia

pharmaca congeſtas affatim laudes reſecuiſſe, cum fere nusquam alibi maior credulitas, vanitas & ſuperſtitio, quam in tralaticiis medicæ huius ſupellectilis commendationibus adpareant. Equidem non inficior, præclaras dotes compluribus rebus diuina benignitate ingenitas eſſe, vti paſſim ipſe commonſtraui; ſed permultæ adhuc plane ignotæ ſunt, aut pauciſſimis ſolum perſpectæ habentur; quæ donec apertius in lucem prolatæ firmis documentis ſtabiliantur, licebit interea defectum & ambiguitatem oſtendere atque a temeraria quorundam tentaminum imitatione audaciores dehortari. Quod tum facio & notiſſimas ſimul herbarum aliorumque concretorum vires excutere annitor, vehementer opto, vt materia medica denſis adhuc magna ex parte tenebris circum-

cumfuſa in plurimorum ſalutem luculentior in dies euadat, valde gauiſurus, ſi quis ea, quæ a me aliisque in dubium vocata aut reiecta ſint, in certiorem vſum communem traducere docuerit. Sed ſatis de hoc. Si vero quis rationem deſideret, cur certæ claſſi quædam herbæ aut radices attributæ ſint, quas pro palmaria facultate æquius fuiſſet in aliam collocari; ille, quæſo, diſſenſum medicorum & magnam ſæpe rei obſcuritatem meditetur, ac, ſi velit, meam de ea ſententiam in obſeruationibus tabulæ ſubiectis legat, vbi ſi forte dubia illa herba haud recenſita occurrat, eadem alibi ſufficientis, quem adieci, indicis ope poterit euolui. Cæterum formulas cuivis tabulæ adnectere ſuperfluum erat, cum earum conſpectum iam ſuperioribus annis ediderim, commodæ appendicis

cis instar huic opusculo, si placeat, inseruiturum. Stili autem disparitas, quam amici mei opera passim induxit, neminem offendet, qui solidiorum rerum ad medicinam pertinentium studio ducitur, atque in his tradendis non verborum elegantiam nec vbique Tullianarum phrasium æqualitatem, sed diligentiam & perspicuum ordinem requirit. Quæ vltima cum nouerim me, quoad eius fieri potuit, obseruasse, a sola dictione non minuetur exspectatum compendii emolumentum.

TABVLA I.

TABVLA I.
DE
THERAPIA GENERALI
GENERATIM.

I. *DEFINITIO.*

Therapia generalis est pars medicinæ practicæ, quæ fontes aperit generaliores ad corpus sanum conseruandum, & læsum restituendum, per remedia selecta atque probata, conueniente methodo & regimine propinanda.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Therapia, seu praxis generalis, respicit vel *conseruationem sanitatis*, quæ *hygieine* vocatur, vel *curationem* ipsorum *morborum.*
2. In hoc negotio tria præcipue momenta consideramus, quorum primum *indicans*, alterum *indicatio*, & tertium *indicatum* adpellatur.
3. *Indicans* designat morbum eiusque fundamentum ætiologicum, seu caussam, contra quam agendum est.
4. *Indicatio* docet modum & regulas ad auxilium tale inueniendum, quo morbus possit expugnari.
5. *Indicatum* denotat ipsum remedium & consilium, per quod finis ille salutaris obtineri debet.

III. *MODVS OPERANDI MEDICAMENTOR. GENERATIM.*

1. Operationem medicamentorum ab ipsa natura guberna-

ri, innumeræ cõfirmant obſeruationes. Licet enim non negemus, ſubeſſe interdum actioni eorum aliquid mechanici, a naturæ arbitrio non dependentis, tanti tamen hoc non eſt habendum, vt operandi modus illi maxime adſcribi mereatur. A potiori enim fit denominatio, & natura vtitur remedio ad finem ſuum. Vnde non raro contingit, vt remedium quoddam longe alius effectus excipiat, quam quem phyſica medicamenti indoles ordinarie producit, e.g. vt ſtomachica purgent, digeſtiua emeſin cieant, immo anodyna & ſopientia excitare & commouere videantur.

2. Sunt quidem plurimi, qui ex regulis mechanicis & morbi ſymptomata & medicamentorum operationem derivant, atque in hunc finem in quolibet morbo ſupponunt materiam variæ (ſed tamen proprie incognitæ) figuræ, ſiue hamatæ, ſiue ſerpentinæ, ſiue cuiuscumque alius, ad eius modi operationes idoneæ; ſed quem ad modum illa morbifera materia non niſi in magna abundantia adeſſe coniici poteſt, præcipue in morbis omnes corporis partes infeſtantibus, e. g. ſpaſticis, conuulſiuis; ita magna profecto copia ſecundum talem hypotheſin remedia eſſent propinanda, cui tamen rei ipſa praxi ſua contrarium faciunt. Certe ſi medicamentum efficaciam ſuam edere deberet vi particularum ſuarum, quarum figuræ exacte oppoſitæ eſſent figuris materiæ morbiferæ, tanta ſane portione porrigenda eſſent, vt quæuis particula morbifera oppoſitam particulam medicamenti obtundentis inueniret. Sed quis non videt vanas ſpeculationes? hac enim ratione non guttulæ, ſed vnciæ & libræ, non grana, non ſcrupuli, ſed pondera propinanda forent.

3. Infiniti ſane labores, ſcrupuli & anxietates Medicum premerent, ſi ex legibus mechanicis curationem exacte ſuſcipere & dimetiri in animum induceret. Non tantum enim de figura, ſed & de numero eius modi particularum certus eſſe deberet, vt doſin medicamenti æqua proportione adhibere poſſet. Hariolari deberet, quot par-

particulæ vnius cuiusque medicamenti in primis viis retinerentur, & cum aluinis excretionibus eiicerentur, vt portionem illam, quæ periret, atque humores non intraret, reſarcire poſſet. Si enim quid deficeret, effectus optatus non ſequeretur. Contra ſi quid nimii propinaret, tunc vi earundem regularum mechanicarum nouum corpori damnum inferret.

4. Sola *opii* efficacia has ſpeculationes ſatis ſuperque refutare poteſt. Vnicum enim illius granum, dextre adhibitum, dolores omnes, licet totum corpus occupent, ad tempus ſolet ſedare, licet nulla proportio ſit huius particulæ cum multis illis materiis per totum corpus diſperſis. Item pauca grana *croci martis adſtringentis* hæmoptyſin ſedant ante, quam humores ingreſſa ſint. Vbi incredibile eſt & omnem plane captum ſuperat, pauca illa grana, multis humorum libris immixta, retinere poſſe vim quamdam, qua tam longe lateque mechanice ſolum operentur. Nec fieri poteſt, vt exiliſſima illa portio, quæ cum vna tantum parte communicatur, efficacia quadam phyſica omnes totius partis fibras ita adficiat, vt earum omnium vel contractio vel relaxatio ſubſequatur. Adſtringentium enim vim perire, ſi particulæ diſpergantur & diluantur, notiſſimum eſt.

5. Præter ea hunc mechanicum operandi modum non mediocriter refutat *effectus*. Quod ſi enim hæc hypotheſis vera & indubia foret, vtique curatio morborum ſpem noſtram numquam fruſtraretur, & tam certa ſtabilisque eſſe deberet, quam certiſſimum eſt, piſtorem ex farina & reliquis panem præparare. Sed quid ad hæc experientia? alia omnia loquitur & errorem ſatis refellit.

6. Si neceſſitate phyſica ſeu mechanica operatio abſolueretur, *vnum eumdemque* ſemper effectum præſtarent. Sed quis neſcit, alium immo contrarium, e. g. emetica non numquam catharſin & vice verſa edere, adſtringentia non numquam hæmorrhagias augere; Opium in adſuetis alacritatem proferre, licet maiori a Turcis copia adſumatur, neglecto autem vſu illius torporem accedere.

7. Medicamenta ſæpe effectum præſtant, licet corporis machinam non attingant, e.g. ſunt, qui vomunt, quando vomitorium vel pilulas vident, immo de iis tantum audiunt. Huc pertinet etiam *ſympatheticorum* effectus, quorum non nulla corpus plane non attingunt, & tamen virtutem ſuam in corpora longiſſime remota extendunt, quamquam æger aliquot milliaria a Medico ſeiunctus ſit, ſi modo vrinam vel ſanguinem mittat & regimen tempore denominato ſeruet. Effluuiorum figuratæ particulæ, quas corpus ægrotantis repetere vulgo fingunt, in longo hoc itinere abſorbentur & immutantur, vel indiuiduum illud prætereunt, atque aliud ingrediuntur. Quæ enim copia effluuiorum requireretur, vt athmoſphæram per aliquot milliaria implerent, & ad ægri corpus pertingerent? ad minimum longe ſuperarent pondere totam maſſam, ex qua exſpirarunt.

8. Itaque ſtatuimus, medicamina *præcipue* operari *excitando ſenſum vitalem*, vnde natura vel refocillatur, ſeu roboratur, vel ſopitur, vel ad certum motum inuitatur; id quod non tantum de medicamentis intra corpus adſumtis, ſed & de ſympatheticis & amuletis valet. Quod enim ſenſus rerum abſentium etiam adficiat hominem, per vulgus notum eſt. Huc pertinet ſenſus ille anxietatis & compreſſionis cordis, quando conſanguineus quidam in diſſito quodam loco ægrotat, vel aliud infortunium ſubit, vel mortuus eſt. In ſympathia particula quædam ſanguinis vel vrinæ a remedio tangitur & adficitur. Ex hoc contactu vtrarumque materiarum ſenſus quidam in ægrotum redundat, & natura motus huic ſenſui conſentaneos inſtituit. Hinc quo ſenſibiliores ægroti, eo felicius ſuccedit ſympathetica medela.

9. Vbi autem omnino medicamina mechanice operari videntur, ibi naturæ ſynergia conſtanter adiungitur. Motus enim ille, qui a medicamento in ipſa humorum craſi perficitur, eſt tantum inteſtinus, & hic quidem a remedio dependet, ſed curationem haud abſoluit, niſi natura ſuperaddat motum tonico-progreſſiuum. Porro vide-

videmus, ſtimulum medicamenti eſſe inefficacem, immo ne venena quidem amplius ſingulares motus inferre adſuetis, & ſic in arbitrio animæ quodam modo poſitum eſt, an ſtimulo obedire velit, nec ne. Quid notius, quam emetica, cathartica, ſudorifera effectu ſæpius nullo propinari? Non numquam natura ſtimulans remedium ſuſcipit, morum etiam inſtituit, ſed in alium locum, quam Medicus reſpicit, transfert. Vnde e. g. menſes per inſolitas vias non raro erumpunt.

10. Ergo operantur primario ſenſum naturæ vitalem adficiendo. Non numquam *mixta* operatio obſeruatur, ita vt partim a motibus naturæ actiuis dependeat, partim a motibus in crasi humorum per medicamentum excitatis, id autem quod natura in hac mixtura contribuit, præcipuum eſt, & ſanitatis reſtitutio ſperanda a motibus naturæ per indirectum a medicamentis excitatis, non æque ab iis, qui directe in humoribus efficiuntur.

IV. *METHODVS MEDENDI GENERALIS.*

Quem ad modum tres præcipue cauſſæ ſunt morborum, videlicet *quantitas*, *qualitas* & *motus*: ita therapia generalis tres commendat methodos, nempe *euacuantem*, *alterantem* & *moderantem*.

1. *Methodus euacuans* quantitati imminuendæ deſtinatur, eſtque

1) vel *chirurgica*, ad quam ſpectant
- a) Arteriotomia.
- b) Venæ ſectio.
- c) Scarificatio.
- d) Hirudinum
- e) Fonticulorum
- f) Veſicatoriorum
- g) Setaceorum

} adplicatio.

- h) Trepanatio.
- i) Paracenteſis & quæcumque aliæ operationes euacuantes, de quibus in *tabulis chirurgicis* expoſuimus.

2) vel *pharmaceutica*, ad quam pertinent
   a) Emeſis.
   b) Catharſis.
   c) Diaphoreſis.
   d) Diureſis.
   e) Apophlegmatiſmus per nares.
   f) Apophlegmatiſmus per os.
   g) Saliuatio.
   h) Expectoratio.
   i) Promotio hæmorrhagiarum naturalium.
   k) Res toto genere præternaturales.

2. *Methodus alterans*, indicatur a vitioſa qualitate. Huc pertinent
   1) *Incraſſatio* humorum nimis fluidorum.
   2) *Reſolutio* humorum nimis ſpiſſorum.
   3) *Correctio* humorum peregrinorum prauitate peccantium.
   4) *Adſtrictio* partium nimis laxarum.
   5) *Relaxatio* partium nimium ſtrictarum.

3. *Methodus moderans*, motuum vitiis medetur, & complectitur
   1) Vel motuum *excitationem*, quando deficiunt.
   2) Vel eorum *placationem*, quando iuſto vehementiores ſunt.
   3) His ſubiungimus curationem per *ſpecifica:* licet enim haec curatio ad priora medicationum genera etiam quodam modo poſſit referri, ad motus tamen corrigendos potiſſimum accommodata videtur.

4. Notandum autem eſt quam maxime, Medicum morbos non profligare, ſed tamquam miniſtrum manus quaſi obſtetricantes ſolum admouere. Natura autem præſes eſt motuum vitalium, & energia ſua, contra morbos luctante, Medico ſynergo, tamquam certiſſimus hodegus viam commonſtrat.

5. Itaque palmarium therapiæ fundamentum in hac naturæ autocratia collocandum eſt. Hæc enim corpus, vtut ſanum, quotidie purgat a ſordibus illis, quæ in illo partim generantur, partim aliunde in ipſum introducuntur.

6. Hæc

6. Hæc corporis ſani therapia, quam STAHLIVS peculiari diſſertatione enucleauit, reſpicit

1) vel *quantitatem*, quam natura per varias hæmorrhagiarum vel aliarum fluxionum ſpecies imminuere adlaborat.

2) vel *qualitatem* vitioſam, quam a laudabilibus humoribus per apta organa ſeparat & conueniente loco excernit.

3) Atque hæc omnia præſtat per motum tonicum & progreſſiuum. Hac enim ratione humores, ad ſpiſſitudinem pronos, conſeruat fluidos, & quoduis noxium e corpore proſcribit; in partibus autem ſolidis inquinamenta mucida, quæ tranſitus humorum relinquit, hoc perpetuo adpulſu abſtergit, ne obſtructiones exoriantur. Denique defectum per nouam adpoſitionem, quam nutritionem vocamus, compenſat.

Eadem methodo natura corpus *læſum* reſtaurat; & quem ad modum in ſtatu ordinario ordinariis motibus vtitur; ita in ſtatu extraordinario hi motus, ob præceps discrimen vel damnum, in extraordinarium gradum plerumque intenduntur.

8. Licet autem autocratia naturæ plurimis morbis ſuperandis par ſit, optatus tamen effectus innumeris fere difficultatibus premitur. Atque inter has eminent præcipue ſequentes.

1) Corruptio illa, quæ per lapſum introducta eſt, & non tantum in morales, ſed & vitales actiones late diffuſa, vbique ſe conſpiciendam præbet. Ex hoc enim fonte fluunt tam *malitia* quam *ignorantia*, atque hæc in pathemata animi grauiſſima, modo iracundiam, modo terrorem, modo timorem, modo triſtitiam &c. erumpunt, quæ motus vitales non poſſunt non miſere confundere.

2) Indiuidualis temperamenti teneritudo, ſenſibilitas & impatientia, quæ efficiunt, vt ægroti incommoda ſua morboſa decente modo perferre recuſent. Quibus

bus accedit multorum peruersa educatio, indulgentia & prauis exemplis corrupta, inhibitorum errorum tenaciſſima & leuiſſimæ moleſtiæ prorſus intolerans.

3) Motus erronei in conſuetudinem & habitum deducti.

4) Præpoſteræ medicationes & vitia diætæ.

5) Tacemus impedimenta, quæ ex ipſius corporis parte obicem ponunt. Vnde non mirandum, ſi natura finem ſalutarem non ſemper adſequatur.

9. Ex hac conſideratione indiget adſiſtente miniſtro, cuius primaria requiſita & officia ſequentibus exhibemus:

1) Cognitionem corporis & vitæ naturalis ſufficientem ſibi adquirat.

2) Præcipue autem ex motibus probe obſeruet & dignoscat operationem & intentionem ipſius naturæ. Doctrina enim de motibus lux quaſi & anima eſt cognitionis medicæ.

3) Scopum intentioni naturæ congruentem ſibi præfigat, &, ſi tuto fieri poteſt, eadem organa, easdem vias & eadem tempora, quæ a natura indicantur, eligat.

4) Quoniam autem poſt lapſum proprium eſt animæ noſtræ, vt motus ſuos nimium vel intendat vel remittat, meminerit Medicus, motuum horum errantium medicinam præcipuum caput praxeos abſoluere; de qua re mox, vbi de ſymptomatibus dicendum erit, plura commendabimus.

5) Fontem & ſcaturiginem morbi magis quam ſymptomata reſpiciat, & hac ratione curationem ſolidam præferat ſuperficiariæ.

6) Materiæ peccantis indolem hunc in finem probe conſideret.

7) Euacuatio materiæ peccantis quoniam ſcopo medico proxime reſpondet, artifex hanc primario reſpiciat. Vt autem eo facilius & commodius hæc excretio ſuccedat, præparationem materiæ non numquam præmittendam eſſe meminerit, ſecundum aureum *Hippocra.*

pocratis aphorismum 22. sect. I. Concocta expurgare decet, non cruda, nisi quidem turgeant; raro autem turgent.

8) Quantumcumque autem præparata & correcta fuerit materia peccans, illam nihilo minus euacuandam esse, firmissime credat. In gratiam enim cum humoribus laudabilibus tantum abest vt redeat, vt potius impuritates augeat, & salutarium excretionum cursum interpellet.

9) Remota materia peccante, motus, nisi sponte cessent, prudente ratione sistat. Vbi autem non satis certus est artifex, omnem materiam peccantem esse sublatam, tum præstat correctionem materiæ sulphureo-acris, motus irritantis, respicere, vel specifice sopientia adhibere, quam adstringentibus aut sensum obnubilantibus vias occludere & excretiones impedire.

10) Symptomata *actiua*, quæ morbo a natura opponuntur, prudentissime æstimet, & a symptomatibus *passiuis*, a materiali noxa dependentibus, sollicite distinguat.

11) Præter ea symptomata actiua *essentialia* ab *accidentalibus* quauis occasione discernat, & illa, tamquam necessaria, vel promoueat (si quidem deficiant) vel (si excedant) prudentissime mitiget, aut, quam diu fieri potest, toleret; hæc autem, si vtilia sint, promoueat, noxia remoueat, superflua vel prudenter resecet, vel toleret. Præstat enim aliquid superflui, vtut molesti, tolerare, quam naturam turbare, & ipsius motus absolute supprimere.

12) Vbique autem rationem habeat temperamenti, sexus, ætatis, educationis, sensibilitatis indiuidualis & consuetudinis. Hæc enim quid valeant, & qua ratione rerum scenam turbent, sub *cautelis* fusius explicabimus.

13) Extra necessita is casum ab omni *violentia* & *curationibus heroicis* abstineat: moderata enim durant, & natura non cogi nec irritari, sed amice inuitari & blande

demulceri amat. Atque hoc obtinetur per remedia blanda & ſenſui naturæ iucunda. Eius modi gratus ſenſus non raro efficit, vt turbata & aberrans natura mox in ordinem redeat, & primæ doſes medicamenti optatiſſimum ſæpius effectum oſtendant.

14) Contra non ita facilis ſit ad curationes pacificas ſeu ſedationes motuum adhibendas. Vnde talia remedia non propinet, quæ vel directe vel indirecte motus ſecretorios & excretorios turbent, e. g. adſtringentia, opiata. Non minus & illa, quæ dubii ſunt effectus, excludat.

15) Quod ad remedia attinet, ſelectum, eumque curtum multitudini præferat: ſimplices enim effectus multum impediuntur per diffuſas compoſitiones; id quod STAHLIVS in *diſſertatione de multitudinis remediorum abuſu* fuſius docuit. Quod autem multa remedia in hoc tractatu indicauerimus, id non eo factum eſt, quaſi illa omnia in vſum recipienda exiſtimaremus, ſed vt hoc compendium paullo perfectius & materia medica ſat multis & perſpicuis notis illuſtrata prodiret.

16) Quod ad proportionem quantitatis medicamentorum attinet, meminerit artifex,

a) ingentem materiæ corrigendæ portionem ſufficientem remedii vſum poſtulare: pauca enim grana ſalis digeſtiui non incidunt magnam viſcidi muci portionem.

b) Alterationem autem motuum parcioribus medicamentis obtineri: pauca enim grana tartari emetici motus intendere & pauca grana remedii opiati eosdem mitigare poſſunt.

c) Doſes paruas & repetitas copioſis & nauſeoſis eſſe præferendas.

d) Remedia non facile eſſe mutanda, ſed iuſta methodo continuanda.

17) Diætam, cuiuis morbo conuenientem, præſcribat, & præcipue in acutis moneat,

a) vt

a) vt in locum quietum reponatur ægrotus.
b) Ad cibum ſumendum non cogatur.
c) Potus ſufficiens & dilutus ei porrigatur.
d) Regimen nimis calidum excludatur.
e) Animus tranquillus reddatur & conſeruetur. In hunc finem reconciliationem cum Deo, tamquam verum tranquillitatis fundamentum, commendet: fiducia enim, quæ ex hoc fonte fluit, magnæ virtutis eſt; contra memoria & conſcientia male actorum motus vitales inſigniter turbat.

18) Altiſſimi præſidium in omnibus morbis, vtut exiguis, re vera veneretur: ſine huius enim verbo benedicente neque panis vitam naturalem ſuſtentat, neque herba aut emplaſtrum morbos perſanat. Quod ſi vero ſigna, quæ periculum minitantur, omnino adpareant, ab his ne deterreatur, ſed in Deum exitum morbi quietus deuoluat.

V. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Quoniam artifex in corpus viuum abſolutam non habet poteſtatem, exceptis paucioribus, iisque externis & chirurgicis adfectibus, ſed tantum συνεργός & miniſter naturæ habendus eſt, firmiſſime credat ille, princeps therapeuticæ ſapientiæ momentum in eo conſiſtere, vt non tantum energiam magiſtri atque illius vires, motus & intentiones perſpiciat, ſed & imbecillitates atque errores ipſius dignoſcat, quo ſymtomata noxia a ſalutaribus, de quibus ſub methodo diximus, diſcernere poſſit. Confer. STAHLII diſſertat. *de poteſtate artis medicæ*, & altera *de neceſſitate artis medicæ*.

2. Autocratiam naturæ antiquorum multi, iique principes Medici profeſſi ſunt, e. g. HIPPOCRATES: *multi curantur ſine Medico.* Item CELSVS: *magni morbi curantur abſtinentia & quiete.* Vnde dolendum eſt, hanc artis cynoſuram a recentiorum plerisque præter videri. Quæ damna in praxin medicam exinde redundauerint, reſtaurator antiquæ huius veritatis STAHLIVS

paſſim indicauit. *Confer. diſſertat. illius de autocratia naturæ.*

3. Hæc ſimplex veritas, quod homo ſuum habeat Medicum, quod natura ſit morborum medicatrix, quod ſibi ſufficiat, conuenienter agat atque congruas plerumque vias eligat, plus ſane valet & in curandis morbis plus ſpei alit, quam ſplendidiſſimus artis noſtræ adparatus.

4. Non fluere autem hanc ſpontaneam morborum curationem ex neceſſitate corporis organici, ſuperius, vbi de *modo operandi* diximus, iam demonſtratum eſt. Rationi enim repugnat, quod corpus læſum ſe ipſum redintegrare poſſit.

5. Dari autem caſus, in quibus natura artificis ope indigeat, ſuperius ſub *methodo* inculcauimus. Reſtat, vt hoc loco errores naturæ ſpeciatim indicemus.

1) Errat, ſi vel nimis præcipitanter, vel nimis languide agit, & ita peccat contra εὐκαιρίαν ſeu iuſtam temporis menſuram, de qua re innumeri caſus in praxi medica occurrunt.

2) Errat euacuationis ſpecie, e. g. ſi materiam peccantem per periculoſas vias eliminare ſuſcipit.

3) Errat, ſi propoſito ſuo pertinacius inſiſtit, cum ſucceſſus reſpondere nequit; id quod in adfectibus arthriticis obſeruamus.

4) Errat, ſi per leues excitationes in extremos motus euagatur.

6. Hos & plures alios errores committit natura: vnde miniſterii medici partes ſunt, prudente ratione eos corrigere, ne motus vel in libertate ſua euagandi relinquantur, vel cum impetu ſupprimantur.

7. Artifex quando omnes officii ſui partes, quas ſub *methodo* recenſuimus, expleuit, indubium effectum nequaquam ſibi promittat. Experientia enim affatim illum docebit, proſperum effectum neque a medicamentorum phyſico-mechanica neceſſitate, neque a Medici dexteritate, ſed ab altiori potentia pendere.

8. Tem-

8. Tempus medendi ſeu εὐκαιρίαν non infimam in miniſterio therapeutico meretur conſiderationem. Omnes enim actus vitales, tam ordinarii quam extraordinarii, certa temporum periodo abſoluuntur. Exinde opportunitas cum natura agendi addiſcenda eſt, ita vt vel laborioſos & erroneos motus præueniamus, vel ſalutares & æquales actus ſubleuemus.

9. Huc ſpectant tempora, ab HIPPOCRATE inculcata, nempe *initii*, *incrementi*, *ſtatus* & *declinationis*, quæ, licet a multis riſu excipiantur, prudentem tamen imitationem & adplicationem expoſcunt, præcipue in febribus & inflammationibus.

10. Huc pertinent tempora *critica*, quæ ſane ſtudioſiſſime ſunt obſeruanda, ne contra illorum curſum, qui plerumque laborioſus eſt, quidquam eduerſi ſuſcipiamus, ſed declinationes criticas in motibus euacuatoriis promovendis exſpectemus.

11. Huc etiam referendæ *horæ* paroxyſmorum, quæ ſane probe obſeruandæ ſunt, vt Medicus tum cum natura operetur, & cum illa materiam præparet, excretionem autem, cui in primo actu ſecretorio locus non eſt, ad tempus remiſſionis, quo natura ad lenes excretiones inclinat, reſeruet.

12. Præcipue autem huc ſpectat curatio *per exſpectationem* in acutis morbis. Hi enim periodis ſuis ſpecialibus ita includuntur, vt nullis ſpecificis interrumpi nedum abrumpi poſſint. Dieſe Tage können durch die Kunſt nicht verkürtzet, wol aber erleichtert werden. Sane ſi ægrotans hoc conſideraret, a Medico non poſceret id, quod non eſt in eius poteſtate.

13. Ad εὐκαιρίαν therapeuticam referendi etiam ſunt morbi *chronici*, qui certis periodis recurrunt, e. g. hæmorrhagiæ, ſpaſmi, febres intermittentes &c. hi enim recurſus prudente artis miniſterio plerumque tum poſſunt præoccupari.

14. Culpandus etiam hic venit error ille craſſiſſimus, qui contra εὐκαιρίαν committitur in acutis, quando curationi-

bus ſuis *heroicis* ὕστερον faciunt πρώτερον, & mox ſub initium morbi, antequam præparatio & ſecretio facta ſit, euacuationem, & quidem ſatis immodeſtam moliuntur. Hac enim ratione natura turbatur & eneruatur, vt deinde impar ſit excretioni, quæ iuſto tempore tentanda eſſet.

15. Moris quidem eſt, vt eius modi Medicus, qui impetuoſa talia tentamina declinat, *otioſus ſpectator* ſalutetur, præſtat autem hanc contumeliam æquo animo ferre, quam in deuia abripi & officio ſuo deeſſe.

16. *Cunctatio* (feſtinationis oppoſitum) etiam euitanda eſt: hæc enim, ſecundum HIPPOCRATEM, vix alibi maiora damna poteſt inferre, quam quidem in arte medica. Hinc neceſſe eſt, vt timiditas, multo magis autem negligentia excludatur, ne ſero medicina paretur, e. g. quando habitus corporis athleticus tractandus occurrit, tum ἀνακαίτα poſtulat, quantitatem ſanguinis, ſiue per venæ ſectionem, ſiue per aliam ventilationem mature imminuere, ne ipſa natura ſcenam ſuam motibus auctis aperiat & negotium difficilius reddat.

17. Denique ad ἀνακαθαρσίαν therapeuticam etiam pertinet ipſa adeo *abſtinentia*, de qua ſequentia notanda veniunt:

1) Corpori ſano medicamina prophylactica adplicare, non promiſcue ſuadendum eſt, ne laſſa fiat natura & confundatur. Vbi autem natura certis medicationibus iam adſuefacta eſt, hæ non facile ſunt negligendæ, ne dicam abrupte reſcindendæ.

2) Idem ſentiendum eſt, cum in ipſis morbis motus vitales *vegete* & *ordinate* ſuccedunt; certe ſponte currenti calcar adiicere non conuenit. Alias placidæ excretiones turbantur, materia peccans maſſæ ſanguineæ intimius implicatur, exanthemata præcipue facile recedunt, & ſi luctæ tandem criticæ immineant, natura deficitur viribus ad plenariam deſpumationem.

3) Vana eſt medicatio promiſcua in caſibus *conclamatis*, *determinatis*, *radicatis*, *ſcirrhoſis* & *vlceratis*. Quando enim

enim in his multa tentamus, ſtatus tranquillior in hecticas commotiones facile exaſperatur. Huc etiam pertinent calculus, morbi hæreditarii & periodici, qui remediis acrioribus magis confirmantur quam exſtirpantur.

4) Morbi per alios *corrupti* quando offeruntur, Medicus vel abſtineat, vel ſincera prognoſi ſe præmuniat.

5) Abſtinendum etiam eſt a tentaminibus ambiguis, multo magis *ſiniſtris*.

6) Abſtinendum porro a *multitudine* & in ſpeciem magnifico adparatu remediorum; quidquid & ægroti & adſtantes vrgeant, immo quidquid etiam metus, ne in voculas imperitorum hominum incurramus, ſuadere & hortari videatur.

7) Inuigilet quam maxime in ægri etiam & adſtantium abſtinentiam, ne clanculum alia remedia interponant vel ſubſtituant plane; quod tamen difficillimum in praxi eſt negotium; cum ſi vsquam alibi, certe in medica arte ἀλλοτριοεπιστημοσύνη tam frequenter quam pernicioſe exercetur.

18. *Conſuetudo* vti altera eſt natura & non raro morbos a causſis materialibus liberos ſuſtentat; ita quam maxime conſiderandum eſt, illam non a phyſica, eaque incognita corporis qualitate, neque ab æternis motuum legibus, ſed a principio vitali dependere. Conſiſtit enim in peculiari promta naturæ habilitate, quæ certa æſtimatione & rationali intentione ſubnititur. Præter ea inuoluit ſimul *memoriam* (liceat ita loqui) *vitalem*, vnde natura, memor eorum, quæ alio tempore facta ſunt, ad repetitionem talium motuum non ſolum inclinat, ſed & promtam ad eosdem oſtendit agilitatem.

19. Quem ad modum autem non facile ſanus quisquam reperietur, qui a conſuetudinibus prorſus immunis eſt, ita præcipue valetudinarii & molliter educati hoc onus perſentiſcunt. Vnde neceſſe eſt, vt Medicus, ſi ægrotans ei offeratur, conſuetudinum rationem habeat, & noxias prudente ratione exſtirpandas curet.

20. Quid

20. Quid autem consuetudo possit, quantumque valeat ad motus inuertendos & morbos confirmandos, innumera exempla docent. E. g. quando quis diætam duram & crassam, cui a teneris adsueuit, in tenuem & mollem permutat, tum (quod paradoxon est diæteticum) in debilitatem ventriculi & febres intermittentes facile incurrit, restituitur autem, quam primum durioribus cibis denuo vescitur. Item quæ damna neglectio hæmorrhagiarum adsuetarum inferat, per vulgus notum est. Incidunt enim in congestiones, febres, adfectus rheumatico-arthriticos, inflammationes &c.

21. Superari autem debent consuetudines noxiæ sequente ordine

1) Materialis caussa, quæ occasionem dedit, præcipue plethora, remoueatur.

2) Deinde motus non vi quadam, neque repente, sed sensim & per vices modesta coërcitione & specificorum remediorum adplicatione patienter oppugnentur.

3) Simul autem motus ad alias corporis partes placide auocentur & excretiones debitæ vbique promoueantur.

4) Quando autem subiectum robustum & adfectus non adeo sonticus est, tum quacumque repugnantia tollatur. Sic e. g. orexin caninam curauimus, cum eum, qui hoc malo diu laborarat, a comestione panis, vehementer adpetiti, vi quadam retineremus & aliquoties exinde in deliquium animi incidere pateremur. Quod postquam per vnius diei spatium pertulerat, paulatim sequentibus eo deductus est, vt redeuntem adpetitum inordinatum firmo animi proposito ipsemet sine vllis incommodis refrenare posset.

22. *Temperamenti*, ætatis & sexus rationem habendam esse sub *methodo* diximus; & hoc plus veritatis alit, quam particularum figuræ. E. g. essentiæ alexipharmacæ excitant ægrotos melancholicos, cholericos autem in furorem agunt. Scorbutici cholerici non tolerant acria

illa

la antiſcorbutica, quæ ſalutaria ſunt melancholico-ſanguineis. Congeſtiones ſanguinis verſus caput, quæ hæmorrhagiam narium reſpiciunt, aliter tractandæ ſunt in adultis quam in iunioribus, in illis enim hæmorrhoides reſpici debent, in his autem huic reſpectui non eſt locus. Et quis ignorat in ſexu feminino negotium menſium, geſtationis, partus & puerperii multas conſiderationes ſibi vindicare, quibus omnibus in virili ſexu ſuperſedere poſſumus.

23. Præ omnibus autem *ſenſibilitas* indiuidualis in praxi medica multum iuris & conſiderationis ſibi tribuit, & non ſolum morbos ex friuolis cauſſis profert, ſed & eosdem mirifice ſuſtentat. Dabimus aliquot huius rei ſpecimina, ſatis luculenta & conſideratione digniſſima.

1) Matrona quædam illuſtris fluorem album, qua ſoror eius amantiſſima laborabat, tanta nauſea auerſabatur, vt prædiceret ſibi eumdem morbum, quam primum ſororem viſura eſſet. Quumque poſt aliquot dies fama audiretur, ſororem iam eſſe in itinere ad ſe inuiſendam, animo inſigniter commouebatur, & in fluorem album prius incurrebat, quam ſoror domum ipſius intraret.

2) Illuſtriſſima quædam perſona vomitu corripiebatur, quam primum pilulas nominari audiret, multo magis, quum easdem videret. Erat autem pathematibus hyſterico-cephalalgicis non mediocriter obnoxia, quumque Medicus ſpem faceret liberationis ab hoc malo per vſum quarumdam pilularum; multis tentaminibus, ſed multis etiam reiectionibus eo res peruenit, vt tandem pilulas retineret, & ſingulis dehinc annis plures vncias cum inſigni vſu lætabunda conſumeret.

3) Illuſtriſſimæ duæ ſorores mortem duorum fratrum ingenti triſtitia lugebant, & multis deinde annis vomitu corripiebantur, quotiescumque & in quo loco cantilenas illas audiebant, quæ die ſepulturæ cantatæ erant. Hæc ſcena tanto magis ridicula videbatur,

quod vnaquæque ab illa tantum cantilena ad vomitum excitabatur, quæ ſub ſepultura illius fratris cantata fuerat, quem præ altero dilexerat.

4) Alia illuſtriſſ. matrona vomebat, quotiescumque fratris ſui filiæ, vtut ſerico indutæ, lecto illius inſidebant.

5) Alia quædam mediocris conditionis, 42. annorum mane ſolebat poſt potum thee quatuor cochlearia iuſculi, poſthæc aliquot bolos panis bis cocti & tandem paullulum cereuiſiæ adſumere. Atque hanc conſuetudinem ſi exacte cuſtodiret, ſatis bene ſe habere videbatur. Vbi autem horum quidquam vel deerat vel paullo ſerius adferebatur, præceps in lipothymiam ruebat.

6) Nobilis quidam iuuenis toties vel animo labitur, vel conuulſionibus adfligitur, quoties, prius quam conſuetam modicam vini portionem (duo vitra) ſumſerit, cum aliis hominibus colloqui & verſari ſuſtinet.

7) Quumque ante aliquot dies litterato cuidam dixiſſem, adſpectum faciei pallidum indicio eſſe, ipſum mox ſcholam medicam frequentaturum, ille poſt paucas horas in muſeum ſuum ſe abſcondens, protinusque deliriis furioſis correptus reliquis domeſticis gladio ſuo mortem minabatur. Altero die poſt in febrem intermittentem delapſus eſt, quæ in tertianam ſatis ordinate adhuc durantem tranſiit.

24. Hæc ſatis docent, quantum valeat ſenſibilitas, & quam prouide eiusmodi homines tractandi ſint in ipſis morbis. In his enim ſenſibilitas & attentio naturæ longe maior eſt, quam in ſtatu ſano, ob imminens vel præſens periculum. Vnde tanto maiore circumſpectione vtatur Medicus, ne per remedia incongruentia naturam in nouos labores & anguſtias coniiciat, ſenſum moleſtum inducendo & motus inconuenientes excitando, atque ita oleum flammæ adfundendo. Certe enim natura motus illos, quos Medicus externus per remedia ſua excitat, probe examinat, atque ad archetypum motuum

tuum connatorum & a Creatore ſuo conceſſorum refert.

25. Et quem ad modum per remedia commoda non exiguum leuamen naturæ adfertur, excitando ſenſum acceptum & iucundum, ita curationes ineptæ maximum damnum inferunt. Ad prauos enim motus ſenſibilem naturam auertunt, vt contra vim illatam renitatur. Immo ipſæ formulæ paullulum incongruæ non numquam graues moleſtias pariunt ob ſenſibilitatem. Quod ſi enim formula naturæ aduerſa obtrudatur, phænomena quædam interdum, ac ſi venenum oblatum eſſet, accidunt. Sic e. g. dulcia his, amara illis ſunt aduerſa. Item ab abſorbentibus terreis confeſtim ingeſtis ventriculus non nullorum grauatur: ob grauitatem enim ſubſident & vel non immutantur, vel in mucilitatem abeunt, & variis ventriculi morbis alimentum ſuggerunt.

26. *Regimen* in morbis recte inſtitutum, vti non minimam curationis partem abſoluit, ita *nimis calidum*, ſiue per ſtragulorum molem, ſiue per hypocauſti calorem, fœcunda multorum malorum mater exſiſtit.

1) Humores enim nimium commouet, & motum inteſtinum intendit.

2) Hæc commotio materiam morbiferam auget. Nam materia peccans, e. g. in acutis malignis, niſi per contagium cum humoribus communicata fuerit, nil aliud eſt, quam excrementum quoddam ordinarium, motu humorum acri inteſtino ad extraordinariam ſubtilitatem euectum.

3) Sub hac orgaſtica humorum expanſione pori ita contrahuntur, vt æſtus quidem ingens, tranſpiratio autem nulla contingat.

4) Et tum materia peccans, licet multo cum labore ad ſuperficiem trudatur, exitum non inuenit. Vnde natura turbata & indignabunda illam ad interiores partes cum tædio reuocat, id quod vel hæmorrhagiis pericu-

riculoſis, vel diarrhœis, vel vomitibus, vel aliis malis introducendis par eſt.

5) Quando autem hæmorrhagiæ non ſequuntur, tum molimina illa incompleta per materiæ malignitatem & acredinem varias irritationes & inflammationes immo graues & funeſtas ſæpe læſiones producunt.

6) Quod ſi vero ad partes externas hæc materia excernenda protrudatur, adfectus eryſipelacei in carnoſis, in glanduloſis autem partibus tumores moleſtiſſimi & contumaces producuntur.

7) Sudores per regimen calidum coacti ſub morbi initium præmaturam quidem exanthematum eruptionem, ſed & facilem illorum retroceſſionem efficiunt, in ſtatu autem & declinatione modum ita excedunt, vt ægroti, ſuperato licet morbo, vires non facile poſſint recuperare.

27. Contra *regimen nimis frigidum* etiam valde noxium eſt, e. g. quando potus frigidus porrigitur, linteamina incaute mutantur, aër frigidus, dum lectum ſternunt, corpori tranſpiranti admittitur, ſtragulum abiicitur, hypocauſtum frigidum eſt &c. Hac enim ratione

1) excretiones ſalutares ſupprimuntur.

2) Has compenſare natura cogitur per noxias diarrhœas & vomitus.

3) Hæmorrhagiæ vel exacerbantur vel ſupprimuntur.

28. *Potus* quando ægrotis denegatur ab iis, qui ſitim pro ſymptomate noxio habent, multum impedimenti naturæ obiicitur. Quem ad modum enim humiditas in ſtatu naturali eſt inſtrumentum neceſſarium, quo natura in omnibus fere operationibus ſuis indiget; ita in ſtatu præternaturali, ob continuam tranſpirationem & crebriorem vrinæ excretionem, plurimum humidi conſumitur, cuius proinde defectum natura iuſto deſiderio compenſare adlaborat. Itaque e vanis ſpeculationibus proficiſcitur inconſultum illud tentamen, naturam ſitientem relinquere & neceſſario humoris ſubſidio, quo ſecretiones & excretiones facilius exſequi poteſt, defrau-

defraudare, quippe cum & multiplicis ac quotidianæ experientiæ ſuffragio potus conueniens temperatus & paruis identidem hauſtibus aſſumtus cupientem ægrum valde recreet, & medicinæ velut analepticæ vices ſuſtineat.

29. *Cibus* contra multo damno, renitente natura, obtrudi ſolet. Quum enim hæc in plurimis morbis digeſtioni vacare recuſet, moleſto ſenſu adficitur a cibis intruſis, & de illorum per proximam viam reiectione mox meditatur, id quod anxietates cardialgicæ, preſſoriæ, vomibundæ ſatis confirmant. Quando autem cibi retinentur, cruditates multæ, quæ morbo detrimentum adferunt, generantur.

30. Denique vbi iam conualeſcere cœpit æger, monendus eſt, ne nimium ſecurus omnem protinus medicamentorum vſum commodique regiminis curam abiiciat, neque aut ſubeundis grauioribus cœli iniuriis aut voluptatibus, animique peruerſis adfectibus indulgendo recidiuam ſibi contrahat, vel ſaltem retardet perfectam priſtini roboris integritatem.

TABVLA II.

DE

EMESI SEV VOMITV.

I. *DEFINITIO.*

Emeſis eſt vehementiſſima euacuationis ſpecies, qua natura materiam quamdam ſiue vere exſiſtentem, ſiue imaginariam e ventriculo, & non numquam ſimul e locis vicinis, per motum ventriculi ſpaſticum inuerſum, ſurſum eliminare intendit. Deriuatur ab ἐμέω, vomo.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Vomitus eſt

1) vel *ſpontaneus*, per quem natura ſponte ſua aliquid adverſi e corpore ſuo remouere conatur.
2) Vel *artificialis*, qui a Medico, naturæ miniſtro, per remedia emetica in eumdem ſalutarem finem prouocatur.

2. Materia, quæ per motum talem anotericum euacuatur, prouenit
1) vel e *ventriculo ſolo*.
2) Vel ex *inteſtino* ſimul *duodeno*; quo caſu emeſis grauior eſſe obſeruatur.
3) Vel in quibusdam caſibus etiam e *pulmonibus*, dum hæ partes per commotionem eius modi conſtrictoriam ſimul in conſenſum trahuntur, & pulmones ab infarctu mucido liberantur.
4) Eadem ratione vomitus adficit *vterum*, quando in motibus ad partum deficientibus prouocatur.

3. Vomitus artificialis differt ratione *gradus*, prout vel per blandiora remedia, vel per fortiora draſtica producitur.

III. *INDICANTIA.*

Vomitus artificialis locum habet

1. in deprauatione *ventriculi recentiori*, e. g. quando cibi vel nimii, vel dyspepti, vel ſub nauſea, iracundia, auiditate aut profunda meditatione adſumti ſunt; præcipue ſi cardialgia & nauſeabunda pathemata mox ſuccedant.
2. Huc etiam ſpectat, quando per cibos dyspeptos, e. g. piſces, cucumeres, melones, fungos, non ita pridem adſumtos, itemque globos illos farinaceos (Klöſe) aut placentas pingues calidas ſubito & largius ingeſtas, menſium fluxus ſuppreſſus eſt.
3. Item quando febris acuta manifeſtæ ventriculi repletioni accedit; neceſſe autem eſt, vt tum in principio principii vomitus, isque temperatiſſimus, prouocetur. *Conf. cautelæ.*
4. In *deprauatione ventriculi chronica*, nempe in ſaburra mucida vel bilioſa, quæ vel concoctionem impedit, vel cardial-

dialgiam nauſeoſam generat, vel ſaporem ac odorem aceſcentem aut nidoroſum per fauces ſpargit, vel febres intermittentes, præcipue quando parietibus ventriculi tenaciter adhæret, minatur.

5. In *febribus* quibusdam *tertianis*, quando ſpontaneus vomitus deficit.
6. In *cephalalgia*, quæ e vitio ventriculi exorta eſt.
7. Mox *poſt adſumtum venenum*, philtrum, cibum virulentum, ſi ſpontaneus vomitus deficit.
8. In *cacochymia ſcorbutica*, in qua *ſedum vermiculare* tamquam ſpecificum emeticum laudatur.
9. In *oppletione pectoris* mucida & ſuffocatiua, quando autocratia naturæ per tuſſim non ſufficit. Item in *apoplexia ſeroſa* aut *pituitoſa*.
10. *Defectus dolorum* in tali partus ſitu, qui pellentia concedit. Præ aliis ANGELVS SALA hoc concutiens remedium ad promotionem partus commendauit.
11. *Adſuetudo* huius euacuationis, cum primis quando negle-ctio eius modi remedii alia incommoda attulit. Quæ enim ſubiecta inconſideratæ diætæ ab vſu vomitoriorum melius ſe habent, & hanc euacuationem aliquoties repetunt, in his natura adſuefacta idem remedium exſpectat; vel, ſi non ſequatur, ad ſegnes cardialgicos motus tranſit, immo ſubinde febrilia molimina format, quæ circumſtantiæ vomitum tanto magis indicant.
12. In ſubiectis de reliquo *euemetis*, ſufficientibus quoque *viribus* præditis: multum enim roboris requiritur, vt motus ille ſpaſticus non ſolum in fundo ventriculi, ſed & per totum œſophagum exerceatur. Diſtinguenda autem eſt ſyncope cardialgica & ſuffocatiua, quæ vomitum omnino indicat, a lipothymia & virium vera debilitate.

IV. *INDICATA ſeu REMEDIA.*

Hæc deſumuntur

1. Vel ex *regno vegetabili*, in quo occurrunt
   1) *radices*:

Aſari, dos. drachm. ſemis ad drachm. j. Decoctum

ctum illius, cum vino paratum, ad aliquot vncias propinatur.

Radix Ellebori albi, cuius extractum ad scrupulum j. exhibetur.

Ipecacuanhæ, dos. scrup. j. ad drachm. semis.

Squillæ, cuius oxymel infantibus ad vnciam vnam præscribitur.

2) *Folia: Gratiolæ* dos. scrup. i-ij.

Nicotianæ, mandendo vel leniter coquendo.

Sedi vermicularis, dos. drachm. semis. Decocti dosis ad vncias aliquot adscendit.

Sambuci & *ebuli* folia prima, *iuli*, *gemmæ* vel *turiones* dicta.

3) *Flores:*

Iaceæ &

Persicorum, quorum syrupi infantibus ad vnciam vnam præscribi solent.

4) *Pinguia* & *oleosa*, e. g. oleum *amygdalarum* dulcium, butyrum aquæ tepidæ immissum, quæ nauseam mouendo emesin inuitant.

2. Vel ex *regno minerali*, quæ parantur

1) modo ex *antimonio*, quod præbet emetica præ aliis vsitata, e. g.

a) *regulus antimonii simplex*, ex quo pocula emetica conficiuntur vsus fere perennis. Quippe vinum calidum ex his pariter atque ex vitro antimonii vim vomitoriam extrahit prope in infinitum, pauxillulo de substantia eorum sensim decedente.

b) *Regulus antimonii medicinalis*, dos. scrup. I.

c) *Flores* antimonii, dos. gr. iv.

d) *Sulphur* antimonii, dos. gr. iv-vj.

e) *Vitrum* antimonii, dos. grana pauciſſima.

f) *Crocus metallorum Rulandi*, gr. vj-viij, paratur ex antimonio & nitro.

g) *Aqua benedicta Rulandi*, seu vinum emeticum, ex vitro antimonii & vino paratum, cuius dos. ab vncia semis ad integram vnciam.

h) *Oxy*

h) *Oxyſaccharum emeticum Angeli Salæ*, quod ex vitro antimonii & aceto vini paratur, doſ. a drach. ij. ad vnciam ſemis.

i) *Oxyſaccharum emeticum Ludouici*, quod ex croco metallorum & aceto vini præparatur. Doſis cum priori conuenit.

k) *Syrupus rubi idæi emeticus*, qui ex vitro antimonii vel croco metallorum & ſucco rubi idæi præparatur.

l) *Sapa vomitoria Syluii*, quæ ex vitro antimonii vel croco metallorum & muſto paratur.

m) *Tartarus emeticus*, qui omnium tutiſſimus & vſitatiſſimus eſt. Doſ. gr. ij - iv. Paratur e croco metallorum & tartaro.

n) *Mercurius vitæ*, qui e butyro antimonii per præcipitationem cum aqua præparatur, doſ. gr. iij.

o) *Roſa mineralis Angeli Salæ*, quæ nihil aliud eſt, quam mercurius vitæ in roſeum colorem exaltatus.

p) *Antimonium* cum duabus nitri partibus detonatum, infantibus conuenit, doſ. gr. ij - iij.

2) Modo ex *mercurio*, e. g.

a) *mercurius præcipitatus ruber*, ſeu *arcanum corallinum Crollii*, quod ex mercurio viuo & ſpiritu nitri paratur, doſ. gr. iv - v.

b) *Turpethum minerale*, quod ex mercurio viuo & oleo vitrioli, vel ex mercurio ſublimato & oleo tartari per deliquium paratur, doſ. gr. iij - vj.

c) *Mercurius præcipitatus albus*.

d) *Aurum vitæ Kegleri*, quod itidem ex mercurio paratur & olim magni fuit habitum.

3) Modo ex *vitriolo*.

a) *Vitriolum album*, doſ. drachma ſemis.

b) *Gilla Paracelſi*, quæ ex vitriolo albo, aqua ſoluto & inſpiſſato, conficitur, doſ. a ſcrup. ij. drachm. j.

c) *Sal vitrioli*, doſ. ſcrup. j.

d) *Manna vitrioli*.

e) *Cryſtalli lunæ*, alias validiſſimæ hydragogæ, huc etiam

iam referri aliquatenus poſſunt, agunt enim ex iis-dem cupri principiis, doſ. gr. iv.

3. Vel ex *regno animali*, ex quo pauca, eaque prorſus inuſitata proſtant, e. g.
   1) *raſura vnguium humanorum.*
   2) *Ouа piſcis vnius.*
   3) *Oua formicarum.*
   4) *Muſcerda.*

MODVS OPERANDI.

1. Simplex phyſica remediorum efficacia tam congruum effectum præſtare non poteſt, vt anoterica euacuatio proueniat. Alias periſtalſis tam facile deorſum, quam ſurſum fieret, vel ſpaſmi ad retinenda potius quam expellenda aduerſa valerent.

2. Docet etiam quotidiana experientia, emeſin ſæpius ſubſequi, licet remedium emeticum non adſumtum ſit; immo ſola phantaſtica idea vomitui prouocando ſufficit, id quod in tabula præcedente aliquot luculentis exemplis confirmauimus.

3. Error itaque eſt, quando perhibent, remedium emeticum neruos ventriculi confuſo actu vellicare, per hos ſpiritus adfluere & ſtomachum ad eiiciendum aduerſum inuertere. Tacemus fabulam de peculiari *ventriculi ianitore.*

4. Hinc neceſſe eſt, vt ſpecialis director talium ſpasmorum accedat. Nempe natura per rem ſibi aduerſam, ſiue vere exiſtentem, ſiue imaginariam, excitatur, vt per proximam viam promtiſſime illud eiiciat. Vnde etiam a diuerſa ſubiectorum ſenſibilitate diuerſus emeticorum effectus exoritur.

5. Operantur autem ipſa emetica,
   1) vel *nauſeam excitando.* Vnde ſola aqua tepida vomitum prouocare poteſt. Item pinguia, quæ in coagulum ſebaceum facile abeunt.
   2) Vel *ſtimulando*, dum ſal rodens tunicam ventriculi interiorem, quæ ad modum ſenſibilis eſt, adgreditur & natu-

naturam excitat, vt adpulsos humores in cauitatem ventriculi transcolet, inimicam materiam aut pharmacum diluat, & cum reliquis contentis per spasmodicum fibrarum motum exterminet.

3) Dependet autem haec stimulatio a particulis *salino-sulphureis resinosis*, quas emetica & purgantia vegetabilia habent communes. In mineralibus, vt antimonii & mercurii productis, simul arsenicalis impuritatis admixtio vim septicam dictamque stimulationem exercet.

4) Quo volatiliores sunt particulae illae salino-sulphureae in vegetabilibus, eo magis per *superiora* euacuatio sequitur; id quod de vomitoriis valet.

5) Quando autem *minorem* habent *volatilitatem*, per *inferiora* purgant.

6) Quae denique *mediae* sunt volatilitatis, ἄνω & κάτω purgant; sensibilitas autem subiectorum diuersas has materiae conditiones saepius infringit.

VI. *MODVS PROPINANDI.*

Hic inuoluit

1. *corporis praeparationem.* Mobile enim esse debet, quod mouere volumus.

1) Materia *mucida*, eaque *viscida*, abstergitur & resoluitur per incidentia salina, vno aut altero die praemissa, e.g. per tartarum vitriolatum, arcanum duplicatum &c.

2) Materia *biliosa* praeparatur per praemissa absorbentia, nitrosa, diluentia, mucilaginosa.

3) In casu *mixto*, id est, quando saburra mucida & biliosa coniuncta est, conuenit salibus digestiuis absorbentia immiscere & praecedente vespera a cibis paullulum abstinere aluumque apertam respicere.

2. *Vomitus ipsius directionem.*

1) Remedium emeticum, matutinis horis propinandum, cum cathartico & carminatiuo coniungatur, ne vniuersus motuum superuenientium vigor sursum tendat.

2) Neque eſculenta neque potulenta mox poſt adſumtum remedium ingerantur; minime omnium frigida, feculenta, lacticinia, quæ operationem impediunt.

3) Quam primum autem operatio remedii ſentitur, vomitus promoueatur per humidum aliquod tepidum, e. g. cereuiſiam cum ouo conquaſſatam, modico butyri decenter ſaliti adiecto, itemque per infuſum thée, coffée, iuſculum quodam modo pingue.

4) Abſtineatur a refrigeratione, præcipue ſi ſubiecta ſint ſenſibilia.

5) Non minus fugiatur commotio corporis vehemens, moderata autem ambulatio vomitum tam certo promouet, quam immodeſta concuſſio illum exacerbat.

6) Quando poſt tertium vel quartum vomitum bilis ſincera & fluida eiicitur, ſatis vomuiſſe ægrum concludatur. Hinc quieta corporis continentia & iuſculo pingui ſufficiente maior huius euacuationis progreſſus arceatur. Si autem ante tertium vomitum bilis excernitur, fruſtra emeſis inſtituta eſt. Subeſt enim materia vel pauca, quæ vomitu eliminari non poteſt, vel ſimul viſcoſa & ad motum inepta.

7) Poſt vomitum eſſentia quædam carminatiua, vel hauſtus vini generoſi ac aromatibus conditi propinetur.

8) Cibus poſt ea ſit parcus & mollis, ne adſtrictio alui ſuccedat, quæ alias commodo quodam laxante ſoluenda eſſet.

9) Quando vomitorium, vel ſine omni, vel ſine ſufficiente effectu, propinatum fuit, nouus ſtimulus emeticus, neque ſtatim, neque proximis diebus ſubiungendus; ſed potius leni laxante ſuccurrendum eſt.

10) In *hyperemeſi* propinentur ſtomachica & tonica, præcipue caſcarilla, diapnoica cum ſecuris anodynis coniuncta, e. g. vinum calefactum, ad gratiam ſaccharatum, cum modico cinnamomi & caryophyllorum, macis, nucis moſchatæ, eiusdemque tria cochlearia pro vna vice hauriantur. Porro theriac. gr. xij. extract. abſinth. card. benedict. ana gr. j. Item

corall.

corall. præp. cascarill. ana gr. vj. extract. theriac. gr. ij. denique conserua flor. anthos.

Externe conducunt emplastra stomachalia e tacamahaca, cerato de galbano, adspergendo olea aromatica & carminatiua, e.g. nucist. menth. item gallia moschata, cum zibetho, moscho.

VII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Quoniam abusus vomitoriorum & purgantium tantus est, vt non solum chirurgi & empirici, verum etiam multi Medicorum grauissime hic impingant, & vtrorumque vsum ad omnium fere morborum occupationem & medelam extendant; necesse est, cautelas circa hoc euacuationis genus tanto maiore sollicitudine inculcare, ne sine sufficiente indicatione vomitorium propinetur.

2. Vocantur autem circumstantiæ illæ, quæ vomitum artificialem prohibent, generali nomine *contraindicantia* & hæc sunt sequentia:

1) *insignis plethora*, nisi materia summe vrgeat. Simplex autem plethora directe contra non indicat.

2) *Hæmorrhagiæ* omnes & *molimina hæmorrhagica*, speciatim

3) *congestiones* sanguinis *versus caput*, plethoræ imminuendæ destinatæ, e.g. *vertigo* sanguinea, pertinaces & valde æstuantes *cephalalgiæ*, *hemicraniæ*, ophthalmiæ, adfectus erysipelacei & anginodei.

4) *Congestiones* sanguinis *versus pectus*, hæmoptysin minitantes; tanto magis, si ipsa *hæmoptysis* prægressa, vel *phthisis* iam inducta sit, aut *asthma siccum* & *spasticum* adfligat.

5) Vniuersus adparatus motuum congestoriorum circa *viscera* cum *vena portæ* connexa, nempe in adfectibus *hypochondriaco-hystericis*, e.g.

a) in restrictione sanguinis super *ventriculum*, cardialgiam nauseosam mentiente. In his enim vomitoria cardialgias syncopticas, conuulsiuas, singultuosas, flatulentias anotericas, atoniam ventriculi chronicam, adpetitus deiectionem, alui adstrictio-

ctionem, temerarios vomitus, icterum, viscerum inflammationes, febres syncopales &c. inferunt.

b) In *colica sanguinea*, seu *ileo hæmatite* HIPPOCRATIS.

c) In *mensium & hæmorrhoidum suppressione*, nisi quidem menses a cibis, recenter deuoratis, suppressi sint. *Conf. indicantia.*

6) Adfectus *nephritici*, *calculosi*, *podagrici*, *gonagrici*, *ischiadici.*

7) Adfectus *periodici sanguinei*, hereditarii.

8) Adfectus pure *lipothymici*, a prostratione virium dependentes. Vbi enim robur naturæ deest, violenta hæc euacuatio locum non habet.

9) *Conuulsiones.*

10) *Febres acutæ* omnes, præcipue *epidemicæ.* In his enim plerique ad vomitum non inclinant, qui vero vomunt, a magnis anxietatibus nihil aut parum subleuantur. Licet etiam vomitus *spontaneus* fortuito nonnumquam vtilis esse soleat, dum cruditates indiuidui remouet, hi tamen motus per artem non sunt imitandi. Hinc circumspecti Practici conatus illos vomendi, qui in acutis nimis diu continuant, & partibus vitalibus ob nimiam concussionem damnum minantur, per diluentia, temperantia, digestiva & diapnoica placandos esse potius, quam vlteriore stimulo incitandos, præcipiunt. *Conf. caut.* 7.

11) *Status grauiditatis.* Licet enim grauidæ a spontaneo illo vomitu, quem permultæ experiuntur, non facile in damnum incurrant, immo non nullæ a vomitorio adsumto abortum non patiantur; legibus tamen, non autem rarioribus illis exemplis, viuendum est.

12) Denique circumstantiæ quædam *indiuiduales*, e.g.

a) nimia subiecti sensibilitas & horror naturalis a vomitoriis.

b) Subiecta dysemeta, qualia præcipue sunt, quæ obesum nimis corpus, collum breuius ac angustum, stru-

ſtrumam & thoracis malam habent conformationem.

c) Homines, qui *hernia*, procidentia *ani* & *vteri* laborant.

d) *Infantibus* vomitoria efficacia propinare minime conuenit, niſi in caſu ancipiti, e. g. catarrho ſuffocatiuo. Sed neque hic virium defectus exſpectandus eſt.

3. Licet autem nullum adſit *contra-indicans*, ad emeſin tamen non eſt properandum. Quia enim vomitus inſtituendi nulla alia cauſſa eſt, quam vt *materia euacuetur*, perpendendum omnino, an non commodiore via ad finem hunc peruenire poſſimus, vel materia illa *correctionem* admittat, vt in corpore ad certum tempus ſine noxa tolerabilis ſit. Quod ſi ita ſit, conſultius ſane putatur, per digeſtiua, abſorbentia &c. corrigere eam, quam per violentam emeticam concuſſionem exturbare. Quæ autem materia dicto modo corrigi non poteſt, illam per proximam viam euacuare conuenit.

4. Quo fortiores ſunt motus emetici, eo certius ſenſibilibus damnum infertur. Vicinæ enim partes, nempe inteſtinum duodenum, diaphragma, hepar, cyſtis fellea, per ſpasmodicam talem conſtrictionem vehementer adficiuntur, immo vniuerſa humorum maſſa intenſius exagitatur & ſanguis verſus caput adigitur; quæ ſane ſymptomata non debent friuole contemni & inſuper haberi.

5. Profecto quo temperatius emeſis procedit, eo felicior effectus exſpectandus eſt. Hinc adſertum HIPPOCRATIS: quod *materia e ventriculo tum demum euacuata ſit, ſi bilis ſequatur*, eo valere non debet, vt in cauſſis *ſimplicibus* ad bilis vsque fluidæ excretionem emeſin vrgeamus.

6. Vitandus eſt craſſiſſimus ille error, qui in illis adfectibus emetica præſcribit, in quibus materia peccans non eſt in primis regionibus, ſed circa easdem, e. g. in quartana, in motibus hæmorrhoidalibus & hyſtericis menſtruis.

7. Oc-

7. Occurrunt non numquam casus in ipsis *acutis*, vbi vnus aut alter vomitus ægroto conducere posset, prouocare autem illum per medicamentum, non æque tutum est; præcipue quando Medicus non satis certus exsistit, materiam in ventriculo turgere seu abundare. Prudentia medica hic opus, quæ in talibus casibus moderationem & succedaneam placationem respiciat, & vomitum potius per digitum, pennam, laryngam irritantem, aut per nauseosam formulam, quam per positiuum emeticum promoueat.

8. In vomitibus *spontaneis* duo errorum extrema euitentur, ne ex vna parte sponte currenti calcar adiiciamus, & secundum vulgare adsertum *vomitum per vomitum curare* intendamus, ex altera autem parte a præmatura vomitus spontanei suppressione abstineamus. Priore modo placida materiæ euacuatio turbatur & connexæ partes offenduntur; posteriore autem ratione materia peccans excernenda infauste supprimitur.

9. *Asarum* principiis gaudet *acido-sulphureis*. Vnde potenter abstergit, incidit & stimulat.

1) *Radix* illius saporem habet aromaticum, & instar zingiberis acrem. Subtilius puluerisata emesin, crassius autem catharsin tantum prouocat.

2) *Decoctum* radicis *vinosum* retinet efficaciam emetico-catharticam; *aquosum* autem vim emeticam amittit, & diuresin atque diaphoresin satis notabiliter promouet.

3) *Folia* recentia quatuor vel sex incisa & trita atque cum *vino* infusa & expressa vomitum, mitiorem tamen quam radix, cient, cum *aqua* autem infusa tantum laxant.

4) *Folia* quia signatura aurem referunt, decoctum illius pro auditu difficili auribus instillandum, vel suffitus forma admittendum commendant.

5) *Electuarium diasari Fernelii* ab vncia semis ad sex drachmas pro vomitu excitando conducit.

6) Co-

6) Ceterum hæc planta non niſi robuſtis conducit, & in variis chronicis adfectibus, e. g. cachexia, hydrope, ictero & apoplexia ſeroſa, tamquam alterans & euacuans commendari ſolet.

10. *Elleborus albus.*

1) *Albus* vocatur non a floribus, qui nigri ſunt, ſed a radice *alba.*

2) *Iunior* a *Paracelſo* adpellatur; id quod exinde deriuant, quia iuniores ſeu fortiores, quam niger, poſſidet vires.

3) Principia habet acida cum ſulphureis mixta, & quia draſtica ſua efficacia vomitum vehementiſſime excitat, vſus ipſius internus, qui *Hippocratis* tempore frequentiſſimus erat, hodie potiſſimum exoleuit.

4) Et licet in maniacis pro vltimo refugio habeatur, non tamen niſi in robuſtis ſubiectis locum inuenit. Ac tum quidem non in ſubſtantia, ſed infuſo vinoſo ordinare illum expedit.

5) *Michaelis* eſſentia ellebori albi virginem maniacam curatam eſſe a B. *Ettmullero* adſeueratur.

6) *Externe* ſternutatoriis miſceri ſolet. *Hartmannus in praxi chymiatrica* refert, quod cingulum ex foliis ellebori albi, circa renum regionem adplicatum, vteri hæmorrhagias & nimios menſes ſiſtat.

7) Ceterum perhibent, coctione per vinum purgandi vim mitiorem reddi. Ac tum quidem pauca illius grana alterandi ſcopo, præcipue in hydrope, dari poſſent conuenientius.

11. *Ipecacuanha.*

1) Hæc radix, quæ ante paucos annos ex America, & ſpeciatim *Braſilia* ad nos deportata eſt, magnam quidem famam commendantium laudibus adquiſiuit, ſed dolendum, encomia illa experientiæ non ſemper reſpondere.

2) Gaudet principiis ſalinis, reſinoſis, cum ſubtili terra adſtringente mixtis. Vnde non tantum emeſin prouocat, ſed & tonico adſtringentem efficaciam exhibet.

3) Hæc eſt cauſſa, quod ſpecificum dyſentericum a multis nationibus habeatur. Sed cauendum, ne nimis ſero propinetur.

4) In ipſa peſte *Viennenſi* anno 1713. vtiliter adhibitam fuiſſe hanc radicem nouellæ retulerunt. Si vero vmquam cautelæ, certe in acutis neceſſariæ ſunt, ne experimentum ſecundum *Hippocratem* ſit fallax.

5) Cohibendi ſcopo commendari etiam ſolet ad diarrhœas, fluorem album, febres intermittentes &c. Sed vti reliquorum adſtringentium, ita & huius remedii vſus debet eſſe cautus.

6) Ceterum anguſtia illa præcordiorum, quam hæc radix propinata ſub initium inferre ſolet, non adeo pertimescenda eſt, mox enim rurſus euanescit.

32. *Scilla* ſeu *ſquilla.*

1) Hæc radix a nonnullis ad ceparum, ab aliis autem ad hyacinthi ſpecies refertur. Ex maritimis locis, e.g. *Hiſpania*, *Sicilia*, *Balearibus inſulis* ad nos venit. Non differt niſi accidentibus externis. Eligenda vulgo commendatur alba & quæ alteri adnexa eruitur; quæ autem ſola eſt, virulenta eſſe creditur.

2) Licet ad alterantia magis quam euacuantia pertineat hæc radix, placet tamen ea occaſione, qua oxymel illius pro blando emetico infantum commendatur, virtutes illius recenſere:

3) Omnes ceparum ſpecies acrimonia ſuperat, ita vt manibus diu tractata puſtulas excitet. Imbuta enim eſt ſale volatili acerrimo. Vnde efficaciter incidit, abſtergit & colliquat humores mucido-ſeroſos, ideoque amplum in praxi vſum nacta eſt.

4) Præcipue laudatur in adfectibus pectoris mucidis, ſuffocatiuis, in cachexia, œdemate, hydrope, ictero, quartana, glandulis induratis & aliis chronicis adfectibus, in quibus materiam mucoſam ad euacuationem efficaciter præparat. Conf. *Stahlii diſſert: de adfectibus pectoris* & *de tumore œdematoſo podagrico.* Præter ea in vitiis vrinæ, a viscido muco dependentibus,

tibus, conducit & ſerum per vias vrinarias ſimul euacuat. Ad vermes etiam laudatur.

5) Datur vel in ſubſtantia, præcipue ſucco, vel in alia forma, e. g. radix cum aceto infunditur, & ſic ex ſale acido aceti & ſale volatili ſquillæ ſalſum volatile emergit, *acetum ſquilliticum* vocatum, quod veteres pro panacea habuerunt. Hoc acetum ſquilliticum, cum melle mixtum, dicitur *oxymel ſquilliticum ſimplex* ad differentiam *compoſiti*, quod plura quidem habet ingredientia, vix autem easdem ſimplices virtutes.

13. *Gratiola* ſeu *gratia Dei*, Wild-Aurin.

1) Discernant, quorum intereſt, num *centaurii* potius *minoris*, quam *hyſſopi* ſpecies ſit.

2) Principia habet ſalino-ſulphurea. Hinc *folia*, quæ ſaporem habent amariſſimum, efficacia gaudent abstergente, reſoluente & ſtimulante. ανω & κατω purgat, ſed non violenter, vnde correctione non adeo indiget, inter ea tamen ad minus vſitata refertur.

3) *Conſerua*, quæ exinde paratur; ad integram vnciam, *ſuccus* autem inſpiſſatus ad drachmam ſemis[illegible] integram exhibetur.

14. *Nicotiana* ſeu *tabacum*.

1) *Nicotiana* nomen habet a *Nicotio*, qui, Regis Galliæ in Hispaniam legatus, anno 1560. ex inſulis Americanis in Galliam hanc herbam primum tranſtulit.

2) *Tabacum* autem ab inſula *Tabago* vocatur.

3) Cum *peto* vnam eamdemque eſſe herbam non nulli affirmant, non nulli autem petum in India tantum crescere contendunt.

4) Gaudet principiis *ſulphureis*, crudis, narcoticis, vaporoſis, & *ſalinis* volatilibus acerrimis.

5) A *principiis ſulphureis*, fumoſis, quæ totum corpus celeriter perreptant, dependet narcoticus, anodynus, ſtupefactiuus effectus.

6) A *principiis ſalinis* potiſſimum arceſſenda eſt vis emetico

tico-cathartica, ſternutatoria, apophlegmatizans, incidens, reſoluens, abſtergens.

7) Pro ſcopo emetico, extra neceſſitatis caſum, non facile eligenda eſt hæc herba, quia anxietates cardialgicas fere intolerabiles efficit.

8) *Extractum* vero aquoſum per diuturnam ſatis coctionem paratum & in forma ſicca conſeruatum, peculiarem efficaciam abſterſiuo-anodynam exſerit, & in tuſſi phthiſica ſedanda egregiæ eſt virtutis. Sumitur vel cum iuſculo, vel cum ſtomachico remedio ad 4-5. grana, & quando in ſenſibilibus conatus vomendi obſeruatur, hauſtu vini calefacti, aromatibus & ſaccharo imbuti, ſuccurritur. Conf. *Stahlii diſſert. de adfect. pectoris.* Notandum autem, generaliora præmittenda eſſe, ne citius, quam par eſt, tuſſis ſedetur & aſthma augeatur.

9) Præter ea hæc herba vſum habet chirurgicum, nempe mundificantem & conſolidantem, & quidem tam efficacem, vt praua ſubinde & maligna vlcera, quibus alia remedia imparia ſunt, illius vſu reſtituantur. A ſalinis enim particulis dependet effectus abſterſorius & mundificans, ab oleoſis autem ſeu ſulphureis dolorum mitigatio & conſolidatio.

10) *Vnguentum nicotianæ*, quod ad pediculos enecandos vulgo præſcribitur, caute adplicandum eſt, ne ſtuporem capiti inducat.

11) De vulgatiſſimo *fumi* vſu & abuſu multi ſcripſerunt, e. g. *Simon Pauli*, *Neander*, *Albinus*, præcipue etiam *Iacobus Rex Britanniæ tractatu de miſocapno.* Summa huc redit: robuſti, laborioſi, ſucculenti, catarrhoſi a moderato vſu commodum aliquod perſentiscunt, immo a qualicumque etiam abuſu conſpicuum damnum non patiuntur. Conſuetudine enim diſcit natura ipſam adeo veneni portionem perferre. Contra ſicciores, ſenſibiles, debiles, otioſi a nimio præcipue vſu turbas non ſolum vitalium, ſed & animalium

um functionum experiuntur, & stupidi denique redduntur.

12) De vsu huius fumi *clysmatico* tabula chirurgica de *injectionibus* diximus.

15. *Sedum vermiculare.*

1) Abundat sale volatili acerrimo.

2) *Decoctum* saturatum, & ad iv - vj vncias in adfectibus manifesto scorbuticis propinatum & pluribus diebus repetitò exhibitum, in exemplis innumeris specificam efficaciam demonstrasse, celebrat *Bernhardus Below* in A.N.C. dec. 1. ann. VI. obs. 22 Sed cautione opus est, ne commotio talis emetica extra casum crassiorum ventriculi impuritatum suscipiatur. Scorbutus enim ægre tolerat vehementem medicationem.

3) *Decoctum* vel *succus* melle subactus in stomacace externe adhiberi solet.

4) Num *amuleticus* vsus (dum sacculo includitur & collo adpenditur) in febribus intermittentibus contumacibus talem efficaciam exserat, qualem *Ettmullerus* recenset, experientiæ relinquitur.

16. *Sambucus.*

1) Integrum fere rusticorum pharmacopolium replet sambucus.

2) Ad *euacuantium* autem censum pertinent *Iuli*, die ersten Sprößlein, qui, quando concisi comeduntur, ἄνω & κάτω purgant. Communis est auctorum, præcipue *Agricolæ*, adsertio, quod sursum decerpti vomitum, deorsum vero secessum excitent.

3) Item *baccarum acini* seu *arilli*, quorum *oleum* potentius euacuat. De hisce granis experientia docuit, quod in aquam immissa, quæ fundum petunt; catharsin, quæ supernatant, vomitum, promiscue vero exhibita vomitum & catharsin simul operentur.

4) *Ebulus* cum sambuco viribus conuenit.

17. *Emetica antimoniata* licet plura superius nominata sint, pro scopo tamen directe emetico *tartarus emeticus*, rite præparatus, omnibus anteponendus, quia securio-

ris vsus est, quam reliqua, quæ e vitro parantur, vtpote non facile, nisi robustis & quadratis corporibus, offerenda.

18. Imo ipse *syrupus emeticus Angeli Salæ* & *oxysaccharum emeticum Ludouici* moderatum exposcunt vsum, in qua parca dosi votis secure satis faciunt.

19. Speciatim *mercurius vitæ* impetuose operatur. Hinc ante non debet adhiberi, quam satis fuerit edulcoratus, quo casu vsum illius tartaro emetico æquiparant, non nulli præferunt.

20. *Rosa mineralis Angeli Salæ* ad pompam potius quam vtilitatem comparata videtur. Hinc operæ pretium non iudicamus anxie inquirere, num mercurio vitæ roseus color per hæmatitem an per alia additamenta concilietur.

21. *Sulphur antimonii auratum* sub præcipitatione primum cadens, sensibilibus non est propinandum, quia nimis violenter vomitum excitat. Quod vero *vltimæ* est præcipitationis, peculiarem & admirandum plane effectum per plures annos nobis exhibuit, nempe pro circumstantiarum ratione modo euacuantem, modo anodyno-sedatiuum. De qua re legatur *dissertatio D. Rœmpleri de catarrho suffocatiuo*. Immo post huius dissertationis editionem alios adhuc effectus ostendit, in illa haud allegatos, & quidem in febribus intermittentibus ante paroxysmum propinatum, prima dosi ordinarie euacuantem, altera autem sedantem efficaciam edidit. Conducit etiam in variis congestionibus & stasibus.

22. *Mercurialia* emetica, quia damnum non raro dant, merito reiiciuntur.

23. *Sal vitrioli* in apoplexia serosa a *Langio* multum extollitur. Propinandum est cum largo vehiculo. Præter euacuantem effectum peculiarem habere vim resoluendi & incidendi prædicatur.

24. Reliqua, quæ supra adduximus, emetica, vt crystallos lunæ, rasuram vnguium human. & alia e regno animali petita, quia tum nimis validi tum incerti effectus neque etiam vsitata sunt, latius non recensebimus. TAB.

TABVLA III.
DE
CATHARSI SEV PVRGATIONE STRICTE DICTA.

I. *DEFINITIO.*

Κάθαρσις est euacuatio catoterica, qua materia quædam, siue quantitate, siue qualitate, siue vtraque peccans, non solum ex primis regionibus, verum etiam ex ipsa sanguinis massa motu intestinorum spastico seu peristaltico aucto per aluum educitur. Deriuatur a καθαίρω, purgo.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Κάθαρσις est
   1) vel *spontanea*, quam natura sponte sua in salutarem finem instituit, quæque differt a passiuis colliquatiuis hecticorum deiectionibus.
   2) Vel *artificialis*, quæ a Medico per remedia purgantia in eumdem salutarem finem prouocatur, & de hac nobis præcipue hic sermo est.
2. *Materiæ*, quæ per motum hunc catotericum deiiciuntur, proueniunt
   1) vel ex *primis viis*, quando scilicet vitiosa digestio saburram mucidam, fæculentam, acidam, biliosam, nidorosam, verminosam parturit.
   2) Vel ex ipsa *sanguinis massa*, dum cathartica illa, quæ non ita impetuose agunt, in ipsos humores penetrant, mucido seroſas portiones resoluunt & fundunt, vt deinde copiosius versus intestina congeri, ibidemque segregari & eliminari possint.
3. Catharsis *tres* habet *gradus*.
   1) *Primus* dicitur *lenitio*, id est, quando materiæ viscidæ, coagulatæ & induratæ per diluentia, emollientia, & humectantia fluidæ redduntur, & simul ipsæ viæ lubricantur, vt motui huic excretorio magis sint ad-

com-

commodatæ. Hæc lenitio vti placidiſſima ita ſemper eſt ſecura, & in ipſis adeo *acutis* morbis locum habet; item grauidis & puerperis conuenit: ſolam enim alui ſolutionem producit.

2) *Secundus* vocatur *laxatio*, quando talia remedia exhibentur, quæ per particulas ſuas præcipue ſalinas materiam viſcidam reſoluunt, & vias ſimul placide ſtimulant. Hæc euacuatio, quæ ſine impetu contingit, ampliſſimum ſui vſum in totam praxin medicam diffundit. Abſoluitur autem vel *vna* döſi, vel *pluribus*, per vices & per aliquot dies propinatis, ac per *epicraſin*, vt dicunt, operantibus.

3) *Tertius* vocatur *purgatio*, & hæc per talia remedia producitur, quæ, licet emeticis violento impetu cedant, atque per viam magis naturalem, nempe aluum, euacuent, multos tamen motus moleſtos, validos, torminoſos, ſpaſticos ſibi comites adſciſcunt. Hinc neceſſe eſt, vt artifex a commotionibus hisce violentis in omnibus fere illis contra-indicantibus abſtineat, quæ tabula præcedente de emeſi enarrata ſunt.

4. Denique differentiæ loco adlegamus diuerſitatem illam, quam ſic dicta *electiue purgantia* ratione diuerſorum humorum euacuandorum exſerunt, quo intuitu alia ſunt

1) *phlegmagoga*, quæ ſerum mucilaginoſum educunt.
2) *Hydragoga* quæ ſerum fluidum, effectu plerumque draſtico, exturbant, e. g. aquas hydropicorum.
3) *Cholagoga*, quæ bilem euacuant.
4) *Melanagoga*, quæ ſecundum antiquam hypotheſin bilem nigram expurgant.
5) *Panchymagoga*, quæ ordinarie compoſita ſunt, & quos-uis noxios humores exhauriunt.

III. *INDICANTIA.*

1. *Lenitio* & *laxatio* in plurimis morbis requiritur. Blanda enim euacuatio campum habet in therapia longe ampliorem, quam *alteratio* ſeu *correctio*, licet vulgata praxis hanc potiſſimum reſpiciat. 2. *Pur-*

2. *Purgatio* autem, quia valide & satis impetuose euacuat, angustioribus limitibus circum scripta est, vti superius iam diximus. Locum autem habet

1) generatim in omnibus illis adfectibus, in quibus blandæ laxationes non sufficiunt.

2) Speciatim in cruditatibus primarum viarum copiosis, mucidis, verminosis, biliosis, digestionem impedientibus.

3) In massæ sanguineæ impuritatibus mucido-serosis, præcipue in mucida pectoris oppletione cum vel sine tum coniuncta.

4) Specialissime in illis adfectibus, qui a corruptione lymphatico-serosa dependent, & resoluentia atque colliquantia efficacia postulant, e. g. in hydropicis adfectibus, lue venerea &c.

5) In congestionibus versus superiores corporis partes contumaciter contingentibus. In his enim purgantia reuellendi scopo efficacem præstant vsum.

6) Omnes hæ circumstantiæ tum inprimis indicant purgationem, quando subiecta sunt robusta & huic euacuationi adsueta:

IV. *INDICATA seu REMEDIA.*

A. VEGETABILIA.

1. *Lenientia.*

1) Decocta ex emollientibus parata.

2) Iuscula pinguia.

3) Liquiritiæ radix, & alia dulcia.

4) Mucilagines hordei, auenæ.

5) Oleum lini, amygdalarum, oliuarum, chamomillæ expressum.

6) Passulæ maiores coctæ, item pruna & alii fructus dulces cocti.

2. *Laxantia.*

1) Cassia fistula ʒij-ʒj. in decocto.

2) Centaurium minus.

3) Manna. ʒj-ʒij.

4) Myrobalani. ʒβ-ʒj.

5) Pſyllii ſemen.
6) Rhabarbarum monachorum ſeu hippolapathum ʒß.
7) Rhabarbarum ʒß-ʒj. extract. ʒß.
8) Roſarum pallidarum ſyrupus. ʒ-iß.
9) Tamarindi, ℥j ℥ij in decocto.
10) Violæ.
Hæc omnia *cholagoga* vulgo audiunt.
11) Acaciæ flores.
12) Agaricus ʒj-ʒij in infuſo, extract. ʒß.
13) Bryonia ʒij infuſ. ℥ij. ſuccus ℥j.
14) Carthami ſemen ʒij.
Ad *hydragoga* pertinent.
15) Ebuli radix.
16) Hermodactylorum radix ʒij. extr. ʒj.
17) Iris Florentina gr. ij-iv. pro infantibus.
18) Mechoacanna ℈j-℈ij infuſ. ℥ß.
19) Mataliſta.
20) Perſicorum flores. Conſerua illorum ʒj. pro inf.
21) Rhamnus-ſolutiuus ſiue ſyrupus domeſticus ℥j-℥iß.
22) Squilla, eius oxymel ℥j. pro infant.
23) Turpethum vegetabile ʒß. Reſina eius gr. x-xv.
24) Epithymum.
Hæc ad *phlegmagoga* referuntur.
25) Aloë roſata vel violata. gr. ij-iij ℈j.
26) Helleborus niger. gr. iij-iv. fibræ in infuſo compoſito ʒij-ʒß.
27) Polypodium.
28) Senna in infuſo ℥ß-ʒj; extract. ʒß.
Hæc iuxta veterum regulas ſunt *melanagoga*.

3. *Purgantia.*
1) Cataputia. gr. vj.
2) Colocynthis ℈ß. extract. gr. iv-vj.
3) Cyclaminis radix.
4) Elaterium gr. iij-℈ß. eſt ſuccus cucumeris aſinini.
5) Eſula, cuius extract. gr. iij-iv.
6) Euphorbium.
7) Frangula.

8) Gra-

8) Gratiolæ herba in infuſo ℥ß.
9) Gummi guttæ gr. v - ℈ß.
10) Ialappa ℈j - ʒß. eius reſina gr. v - ℈ß.
11) Iris noſtras, radix ʒj. infantibus autem gr. ij-iij.
12) Mezereum ſeu Laureola.
13) Ricinus Americanus ſeu grana tilli.
14) Ricini vulgaris ſemen.
15) Soldanella.
Hæc omnia *hydragoga* ſunt.
16) Scammoneum *cholagogum* habetur. doſ. ſcammonei ſulphurati ſeu diagrydii gr. v - x. reſin. ſcammon. gr. iv - x.

B. MINERALIA.

1. Aurum fulminans gr. j viij.
2. Lapis Armenus.
3. Lapis Lazuli.
4. Magneſia alba ʒj - ʒij - ℥ß.
5. Mercurialia nonnulla, cumprimis mercurius dulcis ℈ß - ℈j.
6. Nitrum crudum & præparata ex illo ℈ß - ʒß: Nitrum antimoniatum ℈ij. Lapis prunellæ ʒß. Arcanum duplicatum ſeu nitrum vitriolatum.
7. Sal Ebshamenſe, ſeu anglicanum, ſeu mirabile Glauberi ʒiij ℥ß - ʒvj.
8. Sal Egranum.
9. Tartarus crudus & præparata ex illo, e. g. tartarus vitriolatus, tartarus tartariſatus ſeu ſolubilis, arcanum tartari, terra foliata tartari, doſ. vbique ℈j - ʒj.

V. *MODVS PROPINANDI.*

Hic inuoluit

1. *corporis neceſſariam præparationem*
1) Per placidam alui ſolutionem. Hæc enim quando clauſa eſt, ſtimulum purgantem eidem admouere non conuenit.
2) Per cœnam parcam & lubricantem.
3) Per materiæ euacuandæ digeſtionem & reſolutionem,

pro diuersa illius conditione instituendam. *Conferantur*, quæ *tabula præcedente* hac de re dicta sunt.

2. *Ipsius purgantis conditionem*, de qua notamus sequentia:
   1) vbi blanda & repetita laxatio, cum epicrasi dicta, locum habet, hæc purgationi vno impetu factæ & repentinæ præferenda.
   2) Subiectis siccioribus formulæ humidæ, humidioribus autem siccæ propinandæ sunt.
   3) Remedium purgans, præcipue resinosum, cum resoluente & carminatiuo copulandum est, ne tunicis intestinorum adhærendo tormina excitet.
3. *Temporis opportuni rationem*:
   1) Tempus *necessitatis* nullis legibus circumscriptum est; vbi autem *electio* locum habet, sequentia notentur.
   2) Purgationes vehementes non in ipsis paroxysmorum exacerbationibus, sed tempore remissionis exhibeantur. Præstat enim præseruandi quam curandi scopo hanc euacuationem instituere.
   3) Tempus vernale & autumnale reliquis præferendum est, manu ducente ipsa natura, quæ iisdem temporibus collectos hiemali vel autumnali tempore noxios humores per varia molimina euacuare intendit.
   4) Luna decrescente natura humores superfluos facilius & tranquillius dimittit, quam crescente. Et licet hoc adsertum a multis contemnatur, constantis tamen experientiæ testimonio stabilitur.
   5) Purgans remedium commodius matutino tempore, quo primæ viæ ab alimentis liberæ sunt, & natura vegetior est, propinatur.
4. *Regimen post adsumtum purgans obseruandum.*
   1) Cibus solidus ante non sumatur, quam remedium effectum suum fere absoluerit. Caueatur etiam, ne copiosa illorum ingestio optatum purgantis effectum turbet, & partibus laxatis maiorem molestiam faceſſat.
   2) Neque potulenta mox post adsumtum remedium ingeran-

rantur, ne pharmaco nimium diluto vis purgans hebeſcat. Quam primum autem operatio medicamenti initium ſumere videtur, promoueatur per potum calidum, iuſcula carnium cum ouo molli ſorbili mixta, vel per alia decocta conuenientia, abſtergentia, demulcentia & torminoſos adfectus impedientia. Laudatur hic præcipue decoctum ex paſſulis minoribus, tamarindis & leni quodam carminatiuo præparatum.

3) Placida corporis motio in loco tepido operationem medicamenti egregie promouet. Moderatus enim calor humores fluidos & ad excretionem aptiores conſeruat; refrigeratio autem & potus frigidus notabiles turbas infert; & ſi medicamen reſinoſum fuerit, hypercatharſi facile anſam præbet.

4) Quando purgans paullo vehementius effectum vel nullum vel leuiorem, quam ad malum expugnandum requiritur, edidit, nouus ſtimulus neque eodem, neque ſequente die addatur. Hypercatharſis autem eadem expoſcit remedia, quæ præcedente tabula hyperemeſi deſtinauimus. Præſtat autem principiis obſtare, & acriora pharmaca aut largiores doſes, quibus eiusmodi euacuatio impetuoſa vltra modum incitatur, fugere.

VI. *MODVS OPERANDI.*

1. Effectus formalis catharſeos non abſoluitur a medicamine per ſe ab illius phyſica relatione ad corpus & materiam euacuandam; ſed natura ipſa eſt principium purgans, quod congruam & adæquatam motuum directionem & quidem pro diuerſa ſui ſenſibilitate, æſtimatione & materiæ euacuandæ conditione, inſtituit, vti præcedente tabula iam inculcatum eſt.

2. Eluceſcit hoc ex ſequentibus præcipue circumſtantiis.

1) Certis anni temporibus diarrhœæ ſpontaneæ proueniunt, quarum quidem originem a cauſſis humorum ſalinorum ſtimulantibus vulgo deriuant, ſæpiſſime autem ab experientia refutantur.

2) Cibi dispepti, copioſe adſumti, nullo ſtimulo præditi, ſolis naturæ motibus ſpaſtico-colicis per aluum promte eiiciuntur.

3) Quo ſenſibilius eſt ſubiectum, eo citius & efficacius natura offenditur a moleſto purgantis ſenſu, eoque facilius & copioſius catharſin exſequitur. Quod quidem videre eſt in omnibus teneriori corporis textura donatis, delicatis vrbanis debilibus; quamquam & hic etiam materiæ & viarum conditionem, conſuetudinem, tempus anni aliaque, quæ hunc actum circumſtant, miram ſubinde varietatem inferre comperiamus.

4) Quando natura ad euacuationem catharticam inclinat, blande laxans tum temporis plus efficit, quam alio tempore directum purgans. Inclinare autem potiſſimum obſeruatur luna decreſcente, quidquid alii in contrarium adferant.

5) Emetica non numquam per catharſin, & viciſſim cathartica per emeſin reiiciuntur; id quod ſingularem naturæ directionem deſignat.

6) Solus viſus, auditus, olfactus, immo mera imaginatio & inſomnia nonnumquam ſufficiunt, vt ſenſibiles homines catharſin experiantur.

3. Quem ad modum autem natura *motum* illum *periſtalticum auctum*, ita remedia *ſenſum* efficiunt, eoque ipſo naturam diuerſe adficiunt, excitant, ſtimulant.

4. Non nulla humectando, lubricando & vias flexiles reddendo efficaciam ſuam edunt, ad quam claſſem pertinent lenientia ſuperius enarrata.

5. Quædam ſalina ſua efficacia abſtergente & leniter vellicante naturæ anſam præbent, vt materiam ſibi onerosam hisce ſubſidiis mobilem factam expellat. Huius cenſus ſunt ſalia media.

6. Alia *humores* reſoluendo agunt, & efficaciam ſuam colliquantem non ſolum in primis regionibus exſerunt, ſed & in ipſam ſanguinis maſſam transferunt, vt reſoluti tales humores poſtea ad inteſtina deferantur, & per aluum

aluum euacuentur. Huc ſpectant formulæ, quæ per epicraſin laxare dicuntur, item gummatoſa.

7. Non nulla fermentationem excitant, & ſub hoc actu reſolutorio humores ad euacuationem præparant, e. g. tamarindi, manna, paſſulæ, pruna.

8. Quem ad modum autem hæc purgantia, in humores agentia, phyſica ſua efficacia differunt, ita etiam pro diuerſitate materiarum diuerſus ſubſequitur effectus. Quapropter veterum differentia, quæ purgantia in cholagoga, hydragoga, phlegmagoga & melanagoga diſtribuit, haud quaquam in vniuerſum erroris arguenda & reprobanda, ſed potius, quia non ſiculneo nititur fundamento, diligentiore perueſtigatione digniſſima cenſetur.

9. Sic alia agunt in *vias*, easque particulis ſuis ſalino-ſulphureis ſeu reſinoſis plus vel minus ſtimulant. Quoniam autem talis ſtimulus ventriculum mediocriter tantum adficit, natura illud remedium tam promte ſurſum reiicere non cogitur, ſed tam diu illud tolerat, donec teneram inteſtinorum texturam moleſtius pungat, & tum humores e maſſa ſanguinea copioſe adfundit, &c. e. g. ialappa, ſcammoneum, folia ſennæ.

10. Non nulla autem cauſtico ſuo ſale primas regiones ita rodunt, vt inflammationes exoriri poſſint, indeque natura excitetur, ad moleſtam illam materiam promtiſſime ἄνω & κάτω excutiendam. Huius cenſus ſunt colocynthis, helleborus albus.

11. Quando autem particulæ reſinoſæ plicis inteſtinorum tenaciter adhærent, natura non ſolum per motus ſpaſtico-colicos, ſed & per copioſam humorum adfuſionem illas detergere & abluere adlaborat. Hæc eſt ratio quod tepidus potus, copioſe adſumtus, dolores tales mitiget.

12. Non nulla peculiarem tantum tractum inteſtinorum adficiunt, id quod dependet vel a differente illorum relatione ad diuerſos in inteſtinis humores, vel promtiore aut tardiore illorum reſolutione, ſecundum quam modo citius, modo tardius operantur, e. g. helleborus niger

ger & centaurium minus adficiunt præcipue inteſtinum rectum.

13. Non nulla in *humores* & *vias* ſimul agunt, illos reſoluendo has autem ſtimulando, & talia effectum edunt facilioremac copioſiorem. Huc ſpectant potiſſimum compoſita panchymagoga.

14. *Martialia*, quando aluum mouere dicuntur, id non niſi toni augmento contingit.

15. Quæ purgantia manu chirurgica venis infunduntur, illa humores potiſſimum alterant, vias autem leniter ſtimulant, quem ad modum lac nutricis ab adſumto purgante eius modi vim imbibit, vt humores abſtergere, & vias moderate ſtimulare ſoleat.

16. Topica purgantia, præcipue quæ regioni vmbilicali adplicantur, agunt primario ſtimulando, hæ enim ligamentoſo-tendinoſæ partes, quando exquiſitius a purgantibus fortibus adficiuntur, naturam ad motum catharticum excitant.

VII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. *Catharſis* licet ordini naturæ magis reſpondeat, mitior etiam & tolerabilior ſit quam emeſis, abuſus tamen, qui cum purgantibus fortioribus vulgariter committitur, quouis modo damnatur. Impetuoſæ enim, violentæ & torminoſæ commotiones aliis motibus irregularibus in corpore excitandis pares ſunt.

2. Quando ipſa natura, præcipue circa æquinoctia, per ſpontaneas diarrhœas corpus ſuum exonerare intendit, hi motus leniter potius promouendi quam indiscretim ſiſtendi ſunt.

3. Catharſes quando nimis frequenter & impetuoſe inſtituuntur, non tantum varii motus irregulares accenduntur, ſed & vtiles humores cum neceſſarii roboris decremento exhauriuntur. Hinc cum prudente moderamine ſemper ſunt inſtituendæ.

4. Subiectorum diuerſa indoles ſemper conſideranda eſt, vti ſub *modo propinandi* iam monuimus. Senſibilia enim a mediocri interdum purgante, immo a ſapore nauſeo-

ſo

ſo vel ſimplice mentis fictione vomitum & multa incommoda experiuntur, quæ proinde laxantibus potius quam efficacibus purgantibus tractanda ſunt. Sic etiam infantes, ſenes & feminas validis purgantibus aggredi & in varias turbas coniicere, nemo temere ſuaſerit.

5. Minime omnium, ſecundum *Hippocratem*, conuenit in acutis purgantia adhibere: typum enim febris turbant & ſalutari morbi decurſui ſufflamen aut damnum adferunt. Hinc moderate tantum lenientia hic locum habent.

6. Sic etiam poſitiuæ & efficaces purgationes contra indicantur in omnibus fere illis adfectibus, in quibus vomitoriorum vſus abeſſe debet. *Conf. tab. de emeſi.*

7. Præcipue etiam purgantia nocent puerperis. Commendant quidem auctores vina medicata vel alia blanda laxantia, circa finem puerperii inſtituenda, ne ſordes in primis viis collectæ, variis morbis, præcipue purpuræ chronicæ anſam præbeant, notandum autem eſt, quod præſtet prioribus nouem diebus pilulas *Stahlianas* propinare, & hac ratione tali catharſi ſuperſedere. Commendant alias puerperis, vt aluum ſiccam per eſum pomorum Borſtorfianorum lubricam reddant.

8. CASSIA FISTVLARIS.

1) Eſt arboris cuiusdam exoticæ ſiliqua plus vel minus longa, quæ externe corticem habet lignoſum, fiſtulam referentem, interne autem fouet medullam ſeu pulpam, & ſemina membranoſo ſepto diſtincta. Hæ ſiliquæ maturescentes quando a ventis agitantur, ſtrepitum edere dicuntur, ac ſi mille anſeres clangerent.

2) *Solutiua* ſeu *laxatiua* dicitur ad differentiam *caſſiæ ligneæ*, quæ cum cinnamomo conuenit.

3) Eſt vel

a) *orientalis*, quæ vel ex *Cananor*, *Cambaia* & aliis Indiæ locis ad nos fertur, & κατ' ἐξοχὴν orientalis audit, vel *Alexandria Aegypti* prouenit, & ſiliquas habet præ illis teneriores, vſitatiſſimas. Vel

b) *occidentalis*, & hæc modo *Braſilienſis*, quæ maximis quidem ſiliquis prædita, virtute autem laxante inertior, vti *Ettmüllerus* contra *Schræderum* expoſuit; modo *Inſularum Antillarum*, quæ & forma & qualitate ad orientalem propius accedit.

4) *Occidentales arbores* olfactu ſuo penetrante inſignem formicarum copiam arceſſere dicuntur, quæ, quidquid in vicinia ſatum, conſumant.

5) Eligendæ ſunt ſiliquæ ponderoſæ, quarum fiſtula ſeu cortex lignoſus purpuraſcentem habet colorem, pulpa autem ſucculenta eſt, & ſitu non infecta.

6) Hæc pulpa, quæ *flos caſſiæ* ſeu *caſſia extracta* audit, & ſola in vſu eſt, prius non extrahi, quam in vſum vocari debet: nam mox poſt extractionem acescit & tormina excitat.

7) *Semina* potius adſtringunt quam laxant; id quod de *interſtitio lignoſo* non nulli etiam contendunt, ſed *Ettmüllerus* ex *Pechlino* contrarium docet & memorat, hunc corticem ſimiæ oblatum efficaciter purgaſſe.

8) Præter extractam caſſiam habemus præparata: *electuarium de caſſia* & *manna*, item *cum foliis ſennæ*, item *ſyrupum de caſſia*. Adhiberi ſolet in clyſteribus ad ℥ij.

9. MANNA.

1) Diſſenſum auctorum de manna dies noſtri nondum prorſus deleuerunt. Plurimi illam non amplius pro vapore terræ & melle aëreo, æſtatis calore eleuato, noctis frigore condenſato & cælitus delapſo cum *Galeno*, vel a muscis quibusdam, vti mel ab apibus elaboratum habent.

2) Sed pro lacrima, quæ præcipue ex arboribus orni & fraxini in Calabria, vnde Calabrina dicitur, & etiam alibi prouenit. Adulteratur ſaccharo penidio, herbarum foliis circumuoluto.

3) Conſtat vel granis *maioribus*, quæ ex trunco arboris vulnerato ſtillat, & cultris ligneis abraditur; vel minora

nora habet grana, quæ purior eſt & priori præfertur. Per ſe enim ex ramusculis in folia ſtillat, hærens in illis ſiccescit, & ventorum motu in terram delabitur.

4) Eligenda eſt recens, anno non vetuſtior, alba, ſolida, non ſpongioſa.

5) Recens manna ſine torminibus aluum blande laxat, in ſpecie bilem, non æque vetuſta. Quoniam autem ampliſſima doſi, nempe ad ℥ i v ab adultioribus ſumi debet, infantibus ordinarie deſtinatur.

6) Principia habet ſalina, acida & mucilaginoſa, vnde abſtergit, colliquat & laxat.

7) Mucilaginoſa ſua parte flatulentiam concitare poteſt, hinc ſale quodam digeſtiuo vel ſemine carminatiuo miscenda.

10. MYROBALANI.

1) Sunt fructus ex numero prunorum exoticorum, antiquis Græcis incogniti, ab Arabibus in ſcholam medicam introducti. Proueniunt in *Iaua* Indiæ inſula, & quidem in arboribus, quæ magnitudine a prunis noſtris parum recedunt.

2) Numerantur vulgo quinque horum prunorum genera, nempe
   a) myrobalanus *Bellirica*, quæ & figura & colore nucem moſchatam refert.
   b) *Chebula*, quæ nigra & omnium eſt maxima.
   c) *Citrina*, a colore flauo ita dicta.
   d) *Emblica*, ſubnigra, multa carne, exiguis oſſibus prædita.
   e) *Inda*, nigra, oſſibus fere deſtituta.

3) Denominatio, quæ ab *Auicennæ* & *Serapionis* interpretibus prouenit, minus conueniens eſt: myrobalanus enim vi etymologiæ deſignat glandem vnguentariam, ex qua oleum, vnguentis deſtinatum, exprimunt, noſtri autem myrobalani neque oleum fundunt, neque balani figuram exhibent.

4) Habent principia ſulphurea & ſalino-acida, cum terra ſubadſtringente ſociata. Hinc non nulli dubitant,

an ad laxantia magis, quam adſtringentia myrobalani ſint referendæ.

5) Multo incertiore experientiæ fundamento innititur adſertum, quo *belliricæ* panchymagogæ, *chebulæ* hydragogæ, *citrinæ* cholagogæ, *emblicæ* phlegmagogæ, *indæ* melanagogæ habentur. Et licet bilioſos humores quantisper eliminent, hodie tamen, quia præſtantiora remedia proſtant, raro adhibentur.

11. SEMEN PSYLLII.

1) Hæc planta glabra in Italia crescit. Semen eius ſecundum *Ettmüllerum* eſt vel *maius* vel *minus*, illud euacuans, hoc alterans. Sed ſi dicendum quod res eſt, vtrumque ob principium inſigniter mucilaginoſum materiam volubilem reddit, lenit. Deſtinatur autem magis externis quam internis vſibus, ſpeciatim doloribus & ardoribus leniendis, abſceſſibusque maturandis. In angina autem, in qua vulgo extollitur, hoc remedium non commendamus. Mucida enim anguſtiam tam facile augere quam ſoluere poſſunt. Sed ad linimentum pro lingua fiſſa æque ac ſemen cydoniorum valet.

12. RHA-BARBARVM MONACHORVM.

1) Rhabarbarum genuinum vti ſpecies eſt lapathorum, ita monachi, commentatores *Meſues*, ob illius defectum aliam lapathi ſpeciem ſubſtituerunt, nempe *lapathum latifolium*, græce *hippolapathum*, quod cum lapatho anguſtifolio, ſeu oxylapatho, quod etiam in vſu eſt, non confundendum.

2) Viribus rhabarbari veri aliquo modo accedere dicitur, quoniam autem dupla portione adſumendum eſt, & ſapore ſuo maiorem nauſeam mouet, plebeiis & minus delicatis tantum præſcribi ſolet, & quidem vel in decocto, vel infuſo.

13. RHA-BARBARVM & RHA-PONTICVM.

1) Rhabarbarum licet per plura ſæcula in ſchola medica cognitum fuerit, planta tamen huius radicis minus adhuc explorata habetur.

2) De-

2) Denominationem mutuatur a fluuio Rha, hodie Volga, in Tartaria. Quod autem in Tartaria penes fluuium Rha non creſcat, ſed ex China tantum ad illum fluuium Rha aduehatur, hodie innotuit, vnde vel mari per Hiſpanos & Belgas ad nos defertur, vel terra per Tartariam & Moſcouiam. Alexandrina audit, quia ex hoc emporio ſolo olim transferebatur.

3) Multi auctores rha-barbarum & rha-ponticum verum, quod *Dioſcorides* deſcribit, pro vna eademque planta reputant, alii autem differre illas adſeuerant. Quocumque modo res ſe habeat, ſunt radices, quæ forma externa & viribus multam habent cognationem, atque ſolo tantum natali differre videntur, videlicet rheum ſeu rhabarbaricum ex plaga Scythiæ meridionali, rha-ponticum autem ex ſeptentrionali ad fluuium Rha vehitur.

4) Rhabarbarum verum a loco natali diuerſo diuidere ſolent in *Leuanticum* ſeu *Sinenſe*, *Turcicum* & *Moſcouiticum*, quod valore minimum habetur.

5) Eligendum eſt id, quod aureum habet colorem ruffis venulis largiter interſperſum, ponderoſum, amarum, & quod madefactum croceo colore manum tingit.

6) Principia habet ſalino-ſulphurea, cum terreis limoſis & auſteris mixta, vnde non ſolum abſterſiuum, inuoluentem & laxantem habet efficaciam; ſed & a terra illa auſtera dependet famoſa illa rhabarbari toſti adſtrictio. Igne enim eiiciuntur particulæ eius ſulphureæ.

7) Vberrimum in praxi habet vſum, tutumque effectum præſtat. Panchymagogum quidem eſt, ſed tamen ſigillatim inter alia eminet vt princeps cholagogorum. Hinc præcipue laudatur in ſaburra primarum viarum biliosâ, ſpeciatim infantum, in dyſenteria, vitiis iecoris, ictero, chloroſi. A *Cratone* anima hepatis vocatur. Non tamen, vt veteres opinati ſunt, vis ſpecifica cholagoga probatur per colorem flauum, quem excrementa ſub illius vſu oſtendunt.

8) Propinatur vel in ſubſtantia, vel in infuſo. Extractum atque tinctura tam efficaciter non operantur. Vis laxans reſidet in ſubſtantia mucilaginoſa, quæ aquoſo menſtruo extrahitur commodiſſime.

9) Præparata officinalia ſunt *ſyrupus de cichoreo cum rhabarbaro*, qui in infantibus vſitatiſſimus: pilularum variæ compoſitiones, e. g. *aggregatiuæ*, *de tribus*, *ſine quibus*, *Meſue*.

14. TAMARINDI.

1) Sunt fructus arboris cuiusdam peregrinæ, quæ præcipue in Arabia felici, item in inſula Summatra, Ceylon, Peru &c. crescit, & ſiliquas, caſſiæ fiſtulæ congeneres, profert, quarum pulpa, remotis reliquis, in vſum vocatur. Eliguntur ſiliquæ recentes e nigro ruffescentes, vinoſi acidiusculi ſaporis.

2) Principiis gaudet hæc pulpa ſalino-acidis & ſubtiliter mucilaginoſis, vnde effectum habet abſterſorium, inuoluentem & temperantem.

3) Euacuat benigniſſime, bilioſos præcipue humores, vnde in hepatis vitiis, ictero, febribus bilioſis modeſte adhibita prodeſt; immo virtute ſua temperante ſiſtit non numquam deiectiones bilioſas impetuoſas, & ad ſanguinis orgasmum temperandum a non nullis adhibetur.

4) Non nulli hanc arborem ad palmam Indicam referunt, & tamarindos eſſe fructus palmæ, nempe dactylus barbara lingua tamar vocatur, ſed errant.

5) Adhibetur modo in ſubſtantia, nempe pulpa tamarindorum cum ſaccharo condita ad ʒj-ʒij exhibetur, vel pulpa cum ſucco paſſularum inſpiſſatur, modo in decocto, vbi præcipue ſerum lactis tamarindinatum celebre eſt.

15. FLORES ACACIÆ.

1) Principiis gaudent ſalinis, acidulis, cum mucilaginoſis mixtis, vnde humores ſeroſo-mucidos & bilioſos reſoluunt & colliquant.

2) Præ-

2) Præter effectum leniter catharticum diuresin etiam blande promouent.

3) Commendari præcipue solent in adfectibus chronicis, cacochymicis & oppletionibus pectoris mucidis; vnde aqua florum horum ad asthmaticas refertur.

4) Propinantur in forma vel infusi vel decocti.

5) Externe adplicati effectum edunt antispasticum.

16. AGARICVM vel AGARICVS.

1) Est fungus nobilissimus larici præcipue adnascens, quæ arbor & terebinthinam Venetam seu resinam laricea-am fundit.

2) Nomen habet a patria prima, nempe *Agariæ Sarmatiæ* regione, vnde olim per Alexandriam & Venetias ad nos deferebatur, hodie autem copiose reperitur in montibus Delphinatus, item in tractibus Rhætorum, Vindelicorum ac Noricorum.

3) Eligitur illud, quod femina vocatur, hoc enim albissimum, post dulcedinem subamarum, leue & friabile, mas autem quod dicitur est nigricans, lignosum, graue.

4) Præscribitur vel trochiscatum (quia in substantia ob leuitatem ventriculo minus acceptum est) vel in nodulis, decoctis & clysteribus. In extracto aliis purgantibus miscetur, e. g. ingreditur extractum *panchymagogum Crollii*, Electuarium hieræ picræ cum agarico in clysteribus.

5) Principiis gaudet sulphureis, salino acidis & mucilaginosis, vnde humores mucido-viscidos resoluit, colliquat, abstergit, & intestina stimulando euacuat.

6) Multi specifici effectus, qui huic fungo tribuuntur, e. g. in capitis morbis & vteri adfectibus, item alexipharmaca efficacia, experientiæ non respondent.

17. BRYONIA.

1) Hæc radix subtilibus particulis sulphureis & alcalicis prædita est, vnde efficaciter resoluit, colliquat & euacuat humores seroso mucidos. 2) Con-

2) Conuenit in adfectibus chronicis ſeroſis, item in hepatis & lienis infarctu:

3) Vermes enecare & expellere a *Freitagio in auror. med. cap. 37.* duobus egregiis exemplis confirmatur. Vid. etiam in *A. N. C. Ann. I. obſeru. 103. p. 236.* hiſtoriam *Michaelis*, qui ope bryoniæ & iridis bufones & ranas ex ancilla quadam expurgauit.

4) *Zacutus Luſitanus libr. I. Med. Princ. hiſtor.* exemplum habet curatæ per bryoniæ vſum melancholiæ.

5) *Helmontius tract. hydrops ignotus* contendit, quod ſi venenum laxatiuum huius radicis ablatum ſit, effectum eximium diureticum exſerat. Hanc correctionem per adfuſionem vini & exſiccationem aliquoties repetendam obtinere quidam ſperant.

6) Fascinationes autem ſecundum *Paracelſum* an tollat, dubium eſt:

7) Externe reſoluendi ſcopo adplicatur pedibus œdematoſis, ſcroto tumore adfecto, liuoribus & contuſionibus ad ſanguinem grumoſum discutiendum, gangrænæ ſecundum *Tackium;* membris etiam arthriticis hanc radicem aliquamdiu adpendunt, deinde illam in hortum ſepeliunt, & ſic per transplantationem arthritidem curare ſperant.

8) Fæcula præparata nullius eſt efficaciæ.

9) Succus vel per ſe ad vnciam vnam hydropicis propinatur, vel per ſaccharum in ſyrupum redigitur, cuius doſis eſt vncia ſemis.

10) Succus ingreditur etiam *vnguentum Agrippæ*, quo vmbilicalis regio inungitur, ad ſerum per aluum euacuandum.

18 Semen Carthami ſeu Cnici.

1) Huius vſus debet eſſe circumſpectus, quia nimis potenter ſerum euacuat. Hinc non niſi in ſubiectis robuſtis vel deſperatis morbis adhiberi oportet.

2) Principia habet acria ſalina cum ſulphureo-acidis & mucilaginoſis mixta.

19. Ebv-

19. EBVLI RADIX

1) Hæc, ob vim drasticam raro etiam adhiberur, & secundum *Pancouium* singulares hominum naturas exposcit.

2) Principiis gaudet mucidis, cum salinis acribus & sulphureis mixtis.

3) Dicitur alias *chamæacte*, hoc est sambucus parua. Parum enim a sambuco ebulus differt, nisi quod ad gradum vehementiæ sambuci non accedat.

20. HERMODACTYLORVM RADIX.

1) Quæ hermodactylorum radix in officinis hodie prostat, est species colchici non venenati, atque ex Syria ad nos deuehitur. Quare vero veteres plantam hermodactylorum nomine designare voluerint, incertum est. Vi vocis enim animam articulorum denotat, negant autem optimi auctores, nostram radicem in adfectibus articulorum laudatum effectum edere. Vnde *Paracelsi* puluis podagricus purgans cum colchici radice alba, & famosum electuarium marocostinum *Mindereri* inde natum reticiuntur, item pilulæ de hermodactylo.

2) Principiis gaudet sulphureo-salinis, vnde abstergit, colliquat, & mucorem serosum euacuat. Præstat autem hoc remedio minus fido & certo abstinere.

3) *Ettmullerus* notam superstitionis illis inurit, qui colchici nostratis radicem in peste superioris seculi amuletice gestauerunt. *Wedelius* autem in peste Hamburgensi efficaciam illius laudat.

21. MECHOACANNA.

1) Hæc radix alba in taleolos concisa, ex prouincia Hispaniæ nouæ, *Mechoacanna* dicta, circa medium superioris sæculi ad nos primum adlata est. Speciem bryoniæ illam non nulli existimant, alii, quod nullum fere saporem habeat, contradicunt.

2) Principiis gaudet sulphureo-resinosis cum terreo-gummosis, vnde colliquat & euacuat humores mucido-serosos, catarrhales.

3) Cum ialappa virtutes quidem continet easdem, sed mi-

tiores. Vnde etiam ialappa alba vocatur & maiore dosi præscribitur; rhabarbarum vero album dicitur ob intercedentem cum eo conuenientiam.

4) Extractum *simplex* quando cum spiritu vini paratur, minoris est efficaciæ. Vis enim laxans non latet in substantia resinosa, sed in mucilagine gummosa, quam spiritus intactam relinquit. Hinc cum menstruo aquoso vel vino rhenano præparari debet. Extractum mechoacannæ, quod prostat *compositum*, elegantis est compositionis.

22. MATALISTA.

Hæc radix peregrina ab Hollandis ad nos adlata cum ialappa easdem habere virtutes dicitur, in vsum autem adeo non dum recepta est. Inferior autem ialappa, superior mechoacanna creditur.

23. FLORES PERSICORVM.

1) Gaudent principiis acidis cum subtilibus terreis remixtis.

2) Præter virtutem abstergentem & diureticam aluum sine molestia laxant, licet nihil in tota arbore sit, quod purget. Hinc in vinum vel serum lactis infundunt, & tempore vernali præseruandi scopo adhibent, zur Frühlings-Cur. Variis enim adfectibus quadrant, nempe cachecticis, cacochymicis, vitiis lienis, hepatis.

3) Infusum vinosum vermibus expellendis conducit, & saburram biliosam in infantibus eliminat. Non nulli cataplasma faciunt ex foliis persicorum & felle tauri atque vmbilico pro lumbricis expellendis adplicant.

4) Aqua & conserua ex hisce floribus parata etiam contra vermes præscribuntur.

24. RHAMNVS CATHARTICVS seu SOLVTIVVS, SPINA INFECTORIA, SPINA CERVINA.

1) *Bauhinus* nouem huius fruticis species recenset, e quibus sexta solutiua seu cathartica nostra est, quæ baccas fert, nucleum ceraforum adæquantes.

2) Crescit hic frutex iuxta sepes, in syluis & per culturam in hortis.

3) Bac-

3) Baccæ colliguntur initio Octobris, vel in fine Septembris. Ex his præparatur famosus ille *syrupus domesticus* seu *de spina ceruina* dictus cuius dosis ʒj - ʒjß.

4) Succus e baccis maturis expressus dicitur Saftgrün.

5) Baccæ gaudent principiis salino-acidis, parcius mucilaginosis & humores biliosos æque ac serosos efficaciter eliminant, præcipue in infantibus.

25. TVRPETHVM VEGETABILE.

1) Multum dissentiunt auctores, cuius plantæ sit hæc radix. Recentiores statuunt esse radicem plantæ lactiferæ in Cambaia & in aliis Indiæ locis crescentis. Non nulli pro radice scammonei illam habent.

2) Turpethum *vegetabile* vocatur ad differentiam turpethi *mineralis*, quod ex mercurio præparatur.

3) Gaudet principiis magis resinosis, sulphureis, quam salinis, acribus, acidis.

4) Non solum humores efficaciter resoluit & colliquat, sed & vias potenter stimulat. Hinc ad classem fortiter purgantium referri potuisset. Superat enim agaricum, secundum regulam: quidquid agaricus non attingit, turpethum promouet. Sed quocumque loco ponatur, vsum tamen non habet hæc radix, nisi in robustis subiectis & contumacibus morbis, e. g. hydrope, lepra.

5) *Species diaturbith* cum rhabarbaro vermibus destinari solent. Post mercurium enim nihil fortius illos expellit, quam hæ species, quæ a ʒß ad ʒj. in formam morsulorum ope sacchari redactæ, propinantur.

6) In *pilulis de agarico* & *adgregatiuis maioribus* turpethum vegetabile non adeo impetuose stimulum suum exserere potest. Hinc quodam modo tutioris vsus sunt.

26. EPITHYMVM.

1) Est species cuscutæ. Nam quod apud nos in lupulo, vrtica &c. est cuscuta, id in thymo, cui circum nascitur, est epithymum, sed odore, qui cum thymo conuenit, differt.

2) Hæc planta blandiſſime laxat. Raro ſola adhibetur. *Syrupus de epythymo* ad vnc. iij - vj. propinatur. Veteres ad blanda laxantia & diuretica retulerunt. Eſt ordinarium ingrediens nodulorum purgantium vino infundendorum, nam multa coctione vis auolat.

27. ALOE.

1) Eſt ſuccus inſpiſſatus, qui ex planta eiusdem nominis colligitur.

2) Nascitur in Cambaia, Bengala, Socotera. Quæ vero aloë apud nos nata eſt, ex illa talis ſuccus non ita elici poteſt.

3) Tres ſpecies ad nos feruntur, quæ *puritatis* ratione differunt.

a) *Caballina*, impuriſſima, & fex quaſi aloës, equis curandis deſtinata.

b) *Hepatica*, quæ hepatis colorem refert, & priorem puritate longe ſuperat, ſed nigrior, fractu contumacior & odoris minus grati, quam ſequens.

c) *Socotrina*, optima & ab inſula orientali Socotera nomen adepta. Altera denominatio *ſuccotrina* quaſi ſucco citrina hodie reiicitur. Hæc quando ita pura eſt, vt ad vitri pelluciditatem fere accedat, *lucida* vocatur, & hanc non nulli pro quarta ſpecie habent. Optima autem Aloë prius debet purgari.

4) Diuerſitas puritatis a modo colligendi plurimum dependet. Succus enim ille, qui in terram ſtillat, impurior eſt illo, qui vaſis excipitur, & ita ſine omni peregrina ſubſtantia colligitur. Sic etiam impurior eſt, quando folia per machinam exprimuntur, quam ſi ſponte ſua exſtillet.

5) Acaciæ ſucco aloën adulterari putant, ſed hic ſuccus in illis inſulis haud dubie carior eſt, quam ipſe ſuccus aloes. De adulteratione per gummi arabicum & ſignis diagnoſticis, vid. *Angel. Sala.*

6) Duplici gaudet principio,

a) *gummatoſo*, in quo virtus purgans latet, per menſtruum aquoſum extrahenda.

b) *re-*

b) *Resinoso*, tonico, adstringente, quod spiritu vini solubile est.

7) Hallucinari videtur *Zwelferus*, qui in resinoso hoc principio quærit effectum laxantem, & pro hoc scopo aloën spiritu vini extractam commendat. Non nulla enim vegetabilia in parte quidem resinosa vim laxantem habent, e. g. *ialappa*; alia autem in mucilaginosa, e. g. *senna*, alia in gummatosa, vti *aloë*, alia in gummatosa & resinosa simul, e. g. *gummi guttæ*, *scammonium*, *euphorbium*.

8) Hinc resinosa pars ab aloë est segreganda, alias pertinaces alui adstrictiones & orgastica incommoda succedunt. Modus separandi per solutionem in menstruo aquoso vti simplicissimus est, ita præferendus vulgo sic dictæ *insuccationi*, quando aloë depurata in succis vegetabilium soluitur & exsiccatur, e. g. violarum, rosarum, borraginis: vnde *aloë* modo *violata*, modo *rosata* &c. audit. In hisce enim insuccationibus resina non separatur, neque etiam per illas correctio acrimoniæ vel virtutis purgantis augmentum, vti vulgo creditur, obtinetur.

9) Aloë, quæ a resina non est liberata, quando larga dosi præscribitur & nimis diu vsus eius continuatur, molimina hæmorrhagica suscitare valet, e. g. abusus *pilularum Francofurtensium*, *elixirii proprietatis*, quæ remedia aloë partim ingreditur, partim mere constituit, hæmorrhoides excitant. Hinc neque hæmorrhagicis, neque siccioribus temere præscribenda.

10) Aloë hoc habet peculiare, vt aliquot illius grana aluum æque bene laxent, ac integer scrupulus.

11) Veteres resinam acrem aloës corrigere quidem voluerunt per tragacantham, bdellium, mastichem, decoctum passularum, olea &c. sed hæc potius occultatio & inuolutio quam correctio acrimoniæ dici potest, hinc æque ac recentiorum insuccationes reiicitur.

12) Improbatur aloë colore nigra, fractu contumax, difficulter liquescens. Eligenda pinguis ex rubro-ruffa, translucida, friabilis, arenarum expers, myrrhæ odorem æmulans.

13) Præter vsum melanagogum præcipue inteſtinum rectum purgat, & ſanguinem hæmorrhoidalem perinde ac menſtruum verſus conuenientia loca inuitat, modo adhibeatur in refracta doſi.

14) Vermibus enecandis & expellendis conducit. Ventriculo autem non adeo amica, licet amara ſit.

15) Externe vlceribus mundificandis & abſtergendis par eſt. Hinc eſſentia aloës cum eſſentia myrrhæ & ſuccini parcius remixta in talibus læſionibus bene ſe gerit.

16) Præparata proſtant *pilulæ Francofurtenſes*, quæ nil aliud ſunt, quam aloë violata, cuius lbi. additur ℥ j. extracti gemmarum ſambuci contuſarum, *vide Ettmüllerum;* item *pilulæ argelicæ, peſtilentiales Ruffi, Glaſſianæ, ſpecies hieræ picræ, elixir proprietatis Paracelſi*, &c.

28. Elleborvs niger.

1) De elleboro *albo* ſub emeticis iam diximus, cui præcipue etymologiam vocis quadrare perhibent, videlicet quod per os ſumta radix interficiat, ἀπὸ τοῦ ἐλεῖν interficere & βορὰ esca, eine tödtende Speiſe.

2) Verum enim vero ipſe etiam *niger* elleborus ſua pollet vehementia, niſi legitime præparetur & prudenter adplicetur. Eam ob cauſſam grauibus in hunc diem morbis fuit dicatus, nempe deliriis melancholicis, maniacis, hydropi. *Claudius Deodatus* fugam dæmonum vocat, quod mentis turbas diabolo ſtabulum præbentes curet.

3) Inter melanagoga primus ipſi conceditur locus. Operatur enim in humores ſanguineos craſſiores, quos antiqui melancholicos & atrabilarios adpellabant. Speciatim efficaciam ſuam edit in inteſtinum rectum, teſte experientia. Sæpius enim hæmorrhoides con-

gruo

gruo illius vsu prouocauimus. Hinc in vitiis sanguinis circa venam portæ prudens eius vsus commendatur, nempe pauca grana extracti aquosi aliis resoluentibus & laxantibus miscentur.

4) *Paracelsus* præcipue hanc plantam maxime extollit & remedium exinde parat, non solum quatuor morbis cardinalibus, epilepsiæ, apoplexiæ, hydropi & podagræ curandis, verum etiam vitæ longius protrahendæ suffecturum. *Daura* (quasi aurea, vti *Iohnson* in lexico chymico interpretatur) & *thesaurus vitæ* ab auctore vocatur, item *senior*, quia virtutes seniles habet respectu albi, & præparat illam e foliis ellebori nigri ʒ v. Macis ʒ j. essent. croc. melisſ. chelidon. margarit. aur. ana ʒv. Hisce addit pondus ad omnia triplum sacchari in spiritu roris maialis, aqua melisſ. & chelidon. soluti.

5) *Rolfincius* de eo prædicat: facit acquirere iuuenescentiam & incolumitatem, mores laudabiles & complexiones bonas, animum ad actiones reddit promtum; quæ omnia tamen ὑπερβολὴν sapiunt.

6) Virtutem purgantem a sale volatili dependere, omnes fere consentiunt, fixi enim parum continet. *Boulduc* in anatomia ellebori per ignem reuerberii euocauit primum spiritum pure acidum; hunc deinde secutus est spiritus mixtus ex acido & vrinoso volatili, post ea prouenit spiritus alcalinus volatilis cum particulis spiritus acidi immixtis; denique oleum penetrans & fœtidum atque vltimo ex capite mortuo exigua portio salis fixi prodiit.

7) *Fibræ* radicis efficaciores sunt, quam crassior radix, cuius medulla lignosa virtutis expers est.

8) *Veratrum* dici putant, quod mentem vertat.

9) Quatuor species ab auctoribus præcipue adlegantur (vid. *Ettmullerum*) nempe

a) elleborus niger legitimus seu veratrum nigrum flore roseo albo, vel iuxta *Matthiolum* styriacus flore purpureo. Sed florum diuersitas non debet mouere

uere dubium, primum enim albicantes paucis diebus rubescunt. Ob effectum sternutatorium vocatur germanice: schwartze Nieſe-Wurtzel. Dicitur etiam Christ-Wurtzel, quia circa festum natiuitatis florere incipit. Folia septem vel plura ex parte crenata ad caulem habet. Optimus hic est.

b) Elleborus niger hortensis flore viridi.

c) Elleboraster niger nostras domesticus, hortensis, flore ex flauo viridescente.

d) Elleborus ferulaceus *Theophrasti*, quem alii ob florum similitudinem pro buphthalmi specie habentt. Alii Elleborum *Hippocratis* illum vocant. Sed verosimile est, quod de albo semper intelligendum sit, quidquid de ellebori vsu apud *Hippocratem* occurrit. NB. In defectu styriaci hic & hortensis flore viridi sub litt. b) substitui possunt.

e) Acrimoniam ellebori nigri olim cogitarunt per stomachica, deinde per acida emendare, sed per hasce præparationes elleborus castratur. Hinc præfertur modus recentiorum, qui aquam tantum simplicem radicibus a medulla liberatis adfundunt, leni calore exsiccant, adfusionem & exsiccationem tam diu repetunt, donec fœtorem amiserint.

f) Extractum alii præparant menstruo spirituoso, alii acido & spirituoso simul, alii primum spirituoso deinde aquoso. Sed quocumque specioso titulo hæc extracta commendentur, id quod aquoso menstruo paratur, omnibus præfertur. Spiritus enim vini parum extracti, & quidem tormina excitantis, & leuiter purgantis producit, quod autem per acida paratur, multum efficaciæ amittit, & pauca etiam portione prodit. Menstruum vero aquosum extrahit non tantum partes gummatosas, sed abripit etiam simul paucas particulas resinosas illis interspersas. Nam quando spiritus vini remanentiæ adfunditur, nil resinosi extrahit. In M. N. C. describitur extractum

ctum non purgans, quod *Paracelſus* balſamum perpetuum vocat.

12) *Folia*, radicibus mitiora, rarius vſurpantur, quia commode conſeruari non poſſunt. Borrichius aquam ex illis purgantem deſtillauit, & licet auctores plurimi negent, purgantes particulas alembicum tranſcendere poſſe, *Zwelferus* tamen & *Ettmüllerus* adfirmant.

13) In collectione ellebori legitimi cauendum, ne *radices aconiti*, quæ venenoſa qualitate mortiferæ ſunt, ſumantur. Colliguntur poſtquam defloruerunt, nempe menſe Maio & initio Iunii.

14) Ceterum licet ὑπερβολαὶ odioſæ ſint, quæ de vſu huius radicis mirifico feruntur, plus tamen in receſſu habere videtur, quam vulgo creditur. Vti enim tum temporis floret, quando macrocosmus cis æquatorem telluris languescens & morte quaſi interceptus iacet; ita etiam microcosmo languenti & ægrotanti inſignem opem adlaturus exiſtimatur.

29. RADIX POLYPODII.

1) Nascitur in fago, corylo, quercu (quod optimum habetur) item in antiquis ſaltibus & ruderibus ſaxoſis.

2) Eligendum eſt recens, antiquum enim adſtrictoriam nanciscitur efficaciam.

3) Principia habet ſalino-acida, mucilaginoſa & ſubtiliter terrea, vnde abſtergit & colliquat.

4) Præter autem effectum purgantem, quem in primis viis exſerit, abſterſoria quoque virtute ſe commendat in viscerum, abdominis æque ac pectoris pathematibus, e. g. in cachexia, ictero, infarctu glandularum meſaraicarum, malo hypochondriaco, tuſſi, aſthmate, vitiis renum, anomaliis hæmorrhagicis.

5) Præſcribitur ℥ i in decocto vel infuſo.

6) In officinis præſtat *ſyrupus de polypodio*.

30. SENNA.

1) Eſt planta ſiliquoſa, non tam frutex quam herba, quæ

magnitudine cubitum circiter refert, & cum *coluteа veſicaria*, vulgo falſche Sennes-Blätter, quæ ſpecies in Gallia, Germania &c. reperitur, multum conuenit.

2) Decem enim ſennæ ſpecies a *Langio* recenſentur, quarum duæ tantum in vſu ſunt, videlicet *Alexandrina*, quæ optima, folia habet acuminata, & *Italica*, quæ obtuſa protrudit folia, Alexandrinis virtute inferiora.

3) *Folia* ſunt tantum in vſu, rariſſime *folliculi*.

4) Eligenda ſunt folia viridia, ſaporis ſubacris & amaricantis, bene ſiccata, integra, a ſtipitibus & folliculis libera, neque coluteæ foliis adulterata. Hæc enim in dupla doſi id modo præſtant, quod ſennæ folia in ſimplice.

5) Ad melanagoga quidem vulgo referunt hæc folia, ſunt autem polychreſta & catholica: omnibus ſubiectis & ætatibus conueniunt, blande purgant humores viscidos & ſeroſos. *Wedelius* ait: *ſenna tota bona eſt, vniuerſali vſu in morbis quibuſuis, poſita indicatione laxandi, interpres eſt quaſi generalis omnium purgantium & omnium morborum, adde & indiuiduorum, ſicubi purgatio neceſſaria eſt.*

6) Taxant quidem plurimi auctores in ſenna, quod flatulentiam & tormina excitet, & hoc alii directe, alii per accidens fieri ſtatuunt. Poſteriori ſententiæ fauent ſequentia: vis laxatiua ſecundum *Ettmüllerum* reſidet in ſubſtantia mucilaginoſa, cui ſal acre tamquam nucleus incluſum eſt. Mucilago ſubtilior (verbis *Ettmülleri volatilior*) blande laxat, craſſior autem inſignia tormina excitat, quod & ſtipites, tamquam fibræ corticis, faciunt, & hinc reiiciuntur cum folliculis itidem inflantibus. Hinc folia non coquenda ſunt, alias craſſior mucilago ſimul extrahitur, ſed infundenda tantum, neque ea nimis vetuſta eſſe oportet, vtpote iam ſubtili mucilagine, tamquam primaria laxante ſubſtantia, priuata.

7) Ad

7) Ad tormina (ſiue directe, ſiue per accidens a ſenna metuenda) corrigenda adhibebant olim zedoariam, zingib. aniſ. fœnicul. melius autem fit per ſalia alcalina. Hæc enim iuuant extractionem, augent vim laxantem, humores ſpiſſos incidunt & vias aperiunt.

8) Infuſum fit optime menſtruo aqueo, cuius odorem & ſaporem nauſeoſum hodie feliciter emendant per plantam Braſilienſem, *Yquetaya* dictam, quæ ſpecies eſt ſcrophulariæ & conuenit cum ſcrophularia noſtra aquatica maiore (cum qua itidem correctio obtinetur) *vid. Acad. reg. Pariſ. 1701. memoir. p. 209. ſeq.* vbi integra de hac planta diſſ. legitur. Infundunt in aquæ feruentis lb. j. ſennæ & ſcrophulariæ fol. ana ℥ij. & liquorem frigidum propinant. Prius autem ſcrophul. in loco vmbroſo per 12 dies aſſeruant & deinde ſoli ad perfectam exſiccationem vsque exponunt.

9) *Decoctum* cum prunis vti vulgatiſſimum eſt, ita ad tormina vitanda leni coctione fiat & deinde non exprimatur.

10) *Pulueres* ſennati ob molem nauſeoſam & principium torminoſum non ſeparatum itidem reiiciuntur.

11) *Extractum* minus etiam vſitatum eſt.

31. CATAPVTIA.

1) Cataputia dicitur *minor* ſeu *latbyris* minor, ad differentiam *maioris*, quæ *ricinus* eſt.

2) Lac fundit hæc planta inſtar eſulæ, hinc ad eſulas refertur & minor dicitur.

3) Semina ex capſulis prodeuntia germ. Spring Körner dicuntur.

4) Ob ſummam violentiam, qua & ſuccus lacteus inſpiſſatus & grana ſerum exturbant, & nulli lacti eſulino cedunt, e foro pharmaceutico proſcribuntur.

32. COLOCYNTHIS.

1) Colocynthis quæ ab Arabibus *Al Handal* vocatur, eſt cucurbita quædam ſilueſtris, quæ ex India orientali & Perſia ad nos defertur.

2) Sola huius pomi pulpa in vſu eſt, ſemina reiiciuntur.

3) Principia habet ſulphurea, reſinoſa, acria, & quia ſumme draſtica eſt & humores ſeroſos ac viscidos valenter euacuat, robuſtis tantum ſubiectis & morbis contumacibus deſtinatur. Immo nonnulli pro infami & virulentiſſimo remedio hunc fructum habent, quod ſolo tactu & odore purget. *Pechlinus* vocat eum fructum ſine exemplo amarum, fel terræ & peſtem plantarum, quod herbas ſibi vicinas inſtar veneni enecet.

4) Alii magni illum faciunt in morbis contumacibus, nempe epilepſia, apoplexia, cephalalgia, hemicrania, lue venerea, morbis ſoporoſis, hydropicis, catarrho ſuffocatiuo. *Helmontius* colocynthidem morborum chronicorum curatricem vocat egregiam, corrigendam vero *ſale Paracelſi circulato*, additque confidenter, ſe per colocynthidem melius quam per decoctum lignorum curare velle luem veneream.

5) Accuratiſſima ſane correctione opus eſt, ne ægri ſub vſu infeſtæ huius plantæ idem exclament, quod filii prophetarum de *morte in olla* vociferabantur.

6) Veteres gummi arabico, bdellio, tragacantha, oleis &c. acrimoniam corrigere & obtundere conati, cum hisce corrigentibus colocynthidem in trochiscos redigebant, qui arabico nomine *trochiſci Al-Handali* audiunt, ſed colocynthis gummoſo inuolucro delinita, ſecundum *Helmontium*, eſt inſtar lupi domeſtici, qui data occaſione ad ferociam ſuam naturalem redit. Hinc recentiores trochiscos ex colocynth. extracti part. I. panis triticei p. II. & aliquot guttis nucis moſch. expreſſ. præparant, certiorem hac ratione doſin ſibi confecturi.

7) *Extractum* licet variis menſtruis & artificioſis methodis a pluribus componi doceatur, id tamen, quod ſecundum *Ludouici* per aquam ſimplicem cum ſale tartari præparatur, idem præſtat, quod alia eaque operoſiora artificia. Etenim per ſalis tartari portionem copio-

copioſiorem extractio promouetur, craſſiores terreſtres particulæ ſeparantur, & extractum ſub diuturniore digeſtione amaritiem notabiliter amittit.

8) Analyſin colocynthidis a *Boulduc* modo per deſtillationem, modo per fermentationem cum muſto, modo per digeſtionem, modo per extractionem inſtitutam refert *hiſt. acad. reg. memoir. p. 12. ſq.* Concluſio eſt, optimum eſſe illud extractum, quod & gummoſas & reſinoſas partes continet, modo per longas digeſtiones, ad fermentationem tendentes, particulæ mucilaginoſæ, irritationem efficientes, ſeparatæ ſint.

9) Licet autem optime præparatum ſit extractum, non tamen per ſe debet adhiberi, ſed aliis ſtimuli loco ad pauca grana adſociari.

10) Externe clyſteribus ſtimulantibus miscetur *electuarium diacolocynthidos*, item *oleum diacolocynth. Quercetani.* Hoc etiam ſuppoſitoria inungunt, vel ad vermes pellendos vmbilicum illinunt vnguento ex hoc oleo & felle taurino parato.

11) *Semina* mitius purgant. *Lobelius* ſemina maiore quam pulpam doſi ſine incommodis exhibuit cum ſufficiente purgante effectu. Egrediuntur etiam *Freytagii* extractum purgans compoſitum.

34. CYCLAMINIS *ſeu* ARTHANITÆ RADIX.

1) Huius plantæ *folia* cum aſaro conueniunt, radix eſt tuberoſa, foris nigra, intus alba, ſaporis pungentis.

2) Principia habet ſalino-acria, vehementer colliquantia & ſtimulantia. Hinc circumſpecti auctores ab vſu interno huius radicis dehortantur.

3) Externe duplex illud vnguentum ἐπόμφαλον, quod in officinis proſtat, vmbilico ſolet adplicari, nempe de *arthanita maius & minus Meſue*, ſed & hisce carere poſſumus.

35. ELATERIVM.

1) Eſt ſuccus cucumeris aſinini ſeu ſilueſtris inſpiſſatus.

2) Genuinum elaterium deſumitur ex *fructibus*, iisque medio-

mediocriter maturis. Nonnulli etiam ex radice, alii ex tota planta contusa succum exprimunt & inspissant.

3) Hæc planta in hortis nostris sæpius colitur, germ. dicitur: Spring-Kürbis, vel vexier Kürbis. Si enim petiolum fortius tangitur, interiora fructus maturi, caro nempe cum lapillis, impetuose prosiliunt.

4) Fructus cucumere vulgari longe minor est, & glandem maiorem vix superat.

5) Principia habet salino acria, saporem acrem, amaricantem, non amarissimum, vti *Dioscorides* dicit, & nauseosum.

6) Optimum habetur, quod candelæ admotum accenditur, adulteratur amylo, quo etiam desideratam a *Dioscoride* albedinem conciliare illi allaborant. Corrigunt autem auctores modeste *Dioscoridem*, quod succus viridescens albus fieri nequeat, sed tantum *albicans*.

7) Succus ita causticus est, vt Medici quidem ante triennium in vsum illum non vocandum censeant. *Dioscorides* dicit, quod a bimulo ad decennium accommodate purget, sed dissentientes habet 1) *Mesuen*, qui illius virtutem purgantem ad tertium tantum annum extendit. 2) *Theophrastum*, *Plinium* & *Cardanum*, qui quo vetustior est, eo meliorem dicunt, ita vt ad ducentos annos possit seruari.

8) Elaterium raro solitarium sed aliis stimulandi scopo iunctum specificum in hydrope habetur.

9) *Succus* recens ad cochlear 1 propinatus fortiter purgat, externe tumoribus emolliendis scirrhosis destinatur, in forma vnguenti vel cataplasmatis. *Riuerius* efficaciam eius ad scrophulos vsque extendit.

10) *Radix* in taleolos discissa etiam purgandi scopo adhibetur, sed non cruda, verum in extracti vel essentiæ forma. Sed has minus vsitatas formulas mittimus.

35. EVPHORBIVM.

1) Veterum euphorbio destituti sumus, id autem quod sub

ſub nomine euphorbii ex Aſia ad nos fertur, eſt ſuccus ex arbore ferulacea ſauciata profluens. Nomen habere dicitur ab inuentore *Euphorbo*, fratre *Antonii Muſæ*.

2) Hoc magma, quod gummatoſa magis quam reſinoſa fouet principia, conuenit quidem cum ſignis illis, quæ *Dioſcorides* de vero euphorbio tradit, effectui autem ipſius non reſpondet, præcipue quando *Dioſcorides* dicit, euphorbium facere, vt pars corrupta a ſana intra 24. horas abſcedat. *Vid. tab. chirurg. de carie.*

3) Ob cauſticam ſuam acrimoniam, qua etiam ſolidas partes erodit & humores vehementiſſime commouet, inter purgantia haud referri meretur. Immo etiam externe caute adhibendum, quando vel paralyticis membris ad motum in iis reuocandum imponitur, vel errhinis miſcetur. De exiguo in carioſis vlceribus vſu num. 2) iam diximus, præc. autem tabula allegata.

36. ESVLA.

1) Generale nomen eſt omnium *tithymalorum*, qui inter plantas venenatas referri ſolent, & quorum ſpecies fere ſunt innumeræ. Quæ autem officinalis eſt, vocatur *eſula vulgaris maior* ſeu *tithymalus cupreſſinus*.

2) Hinc male quidam diſtinguunt inter eſulam & tithymalum, quia non niſi patriæ & loci diuerſitate differunt.

3) Continet eſula ſuccum lacteum, qui inſpiſſatus ſcammonium æquat, & pro hoc ſæpe venditur atque etiam in eumdem ſtimulandi vſum vocatur.

4) *Radix*, & præcipue *cortex* illius radicis, ob vehementiam a circumſpectis auctoribus reiicitur, licet *Meſuë* & *Fernelius* admodum eius vſum extollant.

37. FRANGVLA. Faulbaum. ALNVS NIGRA BACCIFERA.

1) *Cortex* radicis *interior* lutei coloris, non autem exterior fuscus, eligendus, qui ἄνω & κάτω ſerum potenter euacuat. Raro adhibetur.

2) *Al-*

2) *Alnus* rotundi folia, folio glutinoſo, Erle. Si cortex non ſolum radicis ſed & ramorum luteus aqua coquitur, etiam probe ſerum educit, ſed & hic rari vſus eſt.

3) Frangulæ cortex principia habet ſalina, acria, modice acida, copioſe alcalina.

4) Quoniam per vomitum & aluum potenter euacuat, præſtat ab hoc remedio abſtinere. Viridis cortex ἄνω & κάτω, ſiccatus per aluum tantum purgat.

5) Scabiem & alios adfectus cutaneos cito curare dicitur, ſed experientiæ non reſpondet.

38. Gratiola, Gratia Dei. Wild-Aurin.

1) Multæ & diuerſæ ſunt plantæ, quæ hoc nomine inſigniuntur, noſtra autem eſt *centauroides*, nempe planta parua, foliis exilibus, plus vel minus crenatis, flore purpureo, interdum albo, rarius luteo.

2) Tam planta integra, quam ſpeciatim folia inſigniter ἄνω & κάτω ſerum purgant. Quamuis *Ettmüllerus* non tantam eis vehementiam adſignet.

3) *Bauhinus* vult, gratiolam hyſſopo magis quam centaurio adfinem eſſe.

4) Præter virtutem purgantem adſcribunt etiam gratiolæ vim alterantem & ſpecificam anthelminticam. *confer. Tab. de emeſi.*

39. Gvmmi gvttæ.

1) Eſt lacryma ſeu ſuccus gummoſo-reſinoſus, ex arbore quadam indica collectus, ſaporis acris & coloris rutilo-flauescentis.

2) Multis gaudet nominibus, frequentiſſimum autem eſt *gummi guttæ* & *gutta Cambodia*.

3) *Guttæ* nomen deriuant a barbaro illo *gutta*, quo podagram deſignant, ob virtutes, quas in podagra habere creditur; *Cambodia* autem vocatur a regione Indiæ orientalis *Camboia* Chinæ proxima.

4) Innotuit primum hoc vegetabile circa initium ſæculi ſuperioris, a quo tempore auctorum diſſenſus de hoc ſucco propemodum fuit infinitus. Alii enim pro com-

composito ex chelidonio maiore, scammoneo & croco, alii ex scammoneo & tithymalo, alii ex rhamno solutiuo &c. illum habuerunt.

5) Clarius autem innotuit hoc vegetabile ex descriptione *Bontii* de medicina Indorum. cap. 9 sequentibus verbis: nascitur in siluis gutta Cambodja, tithymali quædam species, in tantam altitudinem, vt cacumina magnarum arborum, quas hederæ instar amplectitur, æquet; crassities eius est facile brachii humani.

6) Modus præparandi sequens est: succus ex vulnerato hoc vegetabili destillans aqua soluitur, & deinde in massam puram rutili coloris redigitur.

7) Notabile est de hoc succo, quod serosas humiditates, quas excernit, non tingat, licet colorem possideat valde tingentem.

8) Habet principia salino-sulphurea, satis acria, quapropter hoc gummi ad remedia drastica referendum est. Hinc raro per se adhibetur crudum, ἄνω enim & κάτω purgat: correctum autem mitius agit.

9) Corrigitur vel fumo sulphuris, ad modum scammonei sulphurati, vel spiritibus acidis (Spiritus vitrioli, licet bonum corrigens, ingratum tamen virorem ei conciliat) vel tritura cum guttis aliquot olei cuiusdam destillati, vel cremore tartari, &c. Hac enim ratione partes resinosæ disiunguntur seu discontinuantur, vt tanta violentia agere non possint. Et sic ad gr. v-x. dari potest. Pari ratione, vbi aliquot guttis spiritus cuiusdam acidi, e. g. vitrioli vel sulphuris correctum est, absque noxa sumitur.

10) Frequentius stimuli tantum loco adhibetur, & cum extracto panchymagog. scammon. jalapp. &c. miscetur. Vsus eius frequens est in hydrope.

11) Præparata, quæ prostant in pharmacopoliis, respiciunt maximam partem correctionem, e. g. *gummi guttæ vitriolatum Mi. deresi*, quo l *Zwelferus* perstringit, *Schroeckius* autem propugnat, item *magisterium*, quod alii simplici spiritu vini cum modico spiritus

vitrioli additamento, vel cum tinctura ſantali rubri tincto, vel oleo tartari &c. præparant.

12) *Boulduc* præter varia alia experimenta, quæ de gummi guttæ inſtituit, ſequentem præcipue laudat præparationem: gummi guttæ in petia ligatum pani calido, e clibano modo extracto, includitur, & per 24 horas in loco calido relinquitur. Poſtea gummi exemtum pulueriſatur, & in petia denuo ligatum pani calido includitur, idque aliquoties adhuc repetitur. Hoc modo præparatum gummi guttæ absque violentia purgare aſſerit. *Vid. Hiſt. Acad. Reg. Memoir.* p. 132.

41. IALAPA, GIALAPA, IALAPIVM.

1) Eſt radix oblonga, craſſa, ſaporis acris, quæ in noua Hispania copioſe prouenit, & in taleolos conciſa inde ad nos deportatur.

2) Eligenda eſt, quæ exterius nigricans eſt, interius autem aliquo modo ruffescens, & quæ reſinoſas particulas, circularibus ſtriis diſtinctas, copioſe oſtendit, non carioſa ſed ponderoſa, & candelæ admota flammam concipiens.

3) Nomen habet a Xalapa, portu nouæ Hispaniæ. Dicitur etiam *Mechoacanna nigra*, ad differentiam *albæ*, quæ ſuperioribus ſæculis admodum clara fuit, Ialapa autem inuenta laudes illius obſcurauit.

4) *Tournefort. elem. botan.* p. 105. tres ialapæ ſpecies recenſet, quarum vltima, quæ *ialapa fructu rugoſo* dicitur, officinalis eſt & a prima ſpecie, quæ *flos mirabilis Peruuianus*, vel a *Bauhino ſolanum Mexicanum flore magno* vocatur, omnino diſtincta eſt. Errat igitur *Ettmüllerus*, qui ex radicum & virium aliqua conuenientia vnam eamdemque eſſe radicem ſtatuit.

5) Principia habet copioſa ſulphurea ſeu reſinoſa, parcius ſalino-alcalica, acria, ita vt etiam puluis inter terendum naribus exceptus, inſtar aliorum fortium purgantium, ſternutationem moueat.

6) Eſt catholicum & panchymagogum purgans in omnibus

bus casibus, in quibus purgatio electiua seu perfecta indicatur, licet in siccioribus non ita, vti in succulentis, efficaciter operetur. Speciatim colliquat & purgat humores seroſos, hinc in hydrope præ aliis laudari solet. In omnibus vel mitius vel tamen mediocriter operatur.

7) A mala autem vel præparatione, vel nimis larga dosi, vel neglectione sufficientis resinarum partium dilatationis, tormina & alia incommoda inducere valet. Quibus quidem præcauendis sequentia inseruient:

a) sola non propinetur, non quod sit violenta, sed quia est resinosa, adeoque indiget resolutione seu laxissima sui expansione & discontinuatione. Nam resina ab humoribus corporis nostri non resoluitur. Vnde per intestinorum tractum æqualiter distribui nequit, & vel prorsus sine effectu præterlabitur, licet maior dosis adhibita sit, vel vni tantum regioni adhærens irritationem nimiam, indeque tormina, hypercatharsin &c. concitat.

b) Probe hinc notetur axioma, quod *resinæ non agant nisi solutæ seu dilatatæ*. Obtinetur hæc dilatatio vel spiritu vini, qua solutione resinæ exigua dosi plus operantur, quam sine illa in maiore dosi propinatæ; vel cum oleosis aut emulsiuis teritur, e.g. vna vel altera guttula olei destillati, item cum vitello oui, nuce moschata, præcipue etiam cum amygdalis dulcibus, qua emulsiua præparatione teneroribus aliquot grana cum effectu & commoditate propinantur. Vel denique admixtione salinorum, cui rei eximie velificantur tartarea. Sic v.g. Ialap. puluerisat. gr. xv. tartari vitriolati vel cremoris tartari ℈ß pro dosi propinata tutissimum edunt effectum.

8) In officinis præ cæteris puluerem prostat *extractum*, quod quocumque etiam modo artificioso præparetur, languidum tamen est, & *magisterium*, quod nil aliud est quam resinosa pars per spiritum vini extracta & aqua

quacumque præcipitata; hinc vulgo *resina* adpellatur. Porro *diacydonium pellucidum ialappæ* dos. ʒij-ʒß ſpecificum ialappæ dos. ʒj-ʒß.

42. IRIS NOSTRAS ET FLORENTINA ILLYRICA.

1) Iris eſt vel *communis* ſeu *noſtras* vel *Florentina*, *Illyrica*.

2) Vtraque gaudet principiis nitroſo-alcalinis, parcius ſulphureis & terra mucilaginoſa.

3) Noſtras eſt gladiolus cæruleus maior in pratis & aruis crescens, hydragogis adnumeranda. *Succus* ad ʒj-ʒij cum iuſto moderamine propinatus in adfectibus œdematoſis & cachecticis pertinacibus vſum præſtat. Infantibus in lactis vitio ad grana duo propinari ſolet.

4) *Oleum irinum*, quod ex iride communi præparant, in clyſteribus abſtergentibus & ſtimulantibus vſum habet.

5) *Florentina* & *Illyrica* non ſpecie ſed natali ſolo differunt. Præſtantiorem ducunt mercatores Florentinam Illyrica ſeu Sclauonica, quæ Venetias & inde ad nos fertur, quia licet Illyricam haud vincat efficacia, tamen candidior adparet ac fragrantior.

6) Florentina *externe* adhibita egregie reſoluit & ſimul roborat. Hinc in tumoribus non ſolum ſic dictis frigidis ſeu mucidis, ſed & inflammatoriis cum effectu propinatur. Errhinis etiam misceri ſolet, item cariei deſtinatur a quibusdam. *Interne* ſatis efficaciter quidem reſoluit, atque hinc viscidis pulmonum humoribus incidendis, tuſſi & aſthmati, phthiſi quoque cum multis encomiis deſtinatur, ſed optatum effectum non præſtat. Interea tamen vnum vel alterum granum infantibus, pectoris oppletione mucida adfectis, cum vſu exhibetur.

43. MEZEREVM ſeu LAVREOLA.

1) Eſt frutex ſeu arbuscula, crescens in hortis & in principio veris flores proferens, germ. Kellerhalß, Seidelbaſt. Vocatur etiam *daphnoides*, *thymelea*, *piper montanum*.

tanum. Laureola dicitur quia folia Laurinis quodam modo gemina protendit.

2) Baccæ vocantur *grana* ſeu *coccignidii*, quæ rariſſime in vſu ſunt, rarius cortex & radix. Ob vim enim ſumme draſticam hoc remedium ab omnibus fere damnatur.

3) In officinis proſtant *pilulæ de mezereo*, quæ itidem reiiciuntur. Vis enim draſtica huius remedii per acida, quæ alias adhiberi ſolent pro ſcopo corrigendi, non obtunditur.

44. RICINVS.

1) Præter multas ricini ſpecies duas in foro pharmaceutico vſitatas nominamus. *Vulgaris* dicitur etiam *cataputia maior* ad differentiam *minoris:* Vid. *cataputia:* item *planta Chriſti* Wunderbaum, quod ſpecioſe & ſine pari fere crescat. Ricinus dicitur, quod grana eius figuram animalis ricini, germ. Hunds-Mücken, repræſentent.

2) In hortis colitur & eſt planta annua, *Cretenſis* autem in multos annos durare & in magnam altitudinem adſurgere perhibetur.

3) *Americanus* dicitur etiam *Curcas, nux cathartica, grana tilli* vel *tiglia.* Eſt arbor, quæ figura & magnitudine ficum quodam modo refert, in quolibet fructu (qui inſtar iuglandis eſt) ſunt tres nuclei pineis ſimiles, cortice nigro.

4) Ob ſummam vehementiam, qua ſemen ricini vtique ἄνω & κάτω purgat, vſus eius a Medicis reiicitur.

45. SOLDANELLA ſeu BRASSICA MARINA Meer-Winden, Meer-Kohl.

1) Nil adfinitatis habet cum braſſica; Winden vero vocatur quia in maritimis locis hinc inde ſerpit & flores dispergit inſtar voluuli.

2) Hæc planta vbertim crescit in locis maritimis Italiæ & Galliæ, vnde folia eius ad nos exportantur.

3) *Quatuor* ſoldanellæ *ſpecies* ſunt, e quibus illa tantum offici-

officinalis eſt, quæ *minor* dicitur. Præſcribitur in infuſo vel decoćto ad ʒj-ʒij. rariſſimi autem eſt vſus.

4) De Soldanella *Alpina vid. Rulandus Iun. apolog. contra Oberndorferum p.67.* vbi ad hydropem & icterum illam magnopere extollit atque ſoldanellæ marinæ anteferendam putat.

46. SCAMMONEVM.

1) Eſt ſuccus reſinoſus, ex radice Scammoneæ Syriacæ collectus, continens duas partes reſinoſæ & vnam tantum gummoſæ ſubſtantiæ. Deriuatur ἀπὸ τῦ σκάπτειν, fodere, excauare. Illud enim ſcammoneum, quod ex radice excauata & in locum frigidum repoſita exſudat, melius eſt, quam quod ex tota planta exprimitur.

2) Plura ſunt vegetabilia, quæ ſcammonei nomine veniunt, noſtra autem ſpecies conuoluuli Syriaci reperitur etiam in inſula Creta.

3) *Dioſcorides* ſcammoneum laudat *pellucidum*, ſed hoc hodie non reperitur, eam haud dubie ob cauſſam, quod non ad mentem *Dioſcoridis* amplius colligatur, verum ope torcularis exprimatur, atque eo ipſo impuras partes, pelluciditatem auferentes, habeat commixtas.

4) Optimum eſt, vti ſuperius dictum, quod ex inciſa radice ſudat, inprimis quod ex Antiochia adfertur, ſpongioſum, friabile, leue, cito liquescens, madefactum lactescens, linguam non exurens. Hæc enim mordacitas, ſi præſto ſit, teſtatur, tithymali ſucco adulteratum fuiſſe.

5) *Sebizius* & alii ſcammoneum tamquam peſſimum & nocentiſſimum pharmacum deſcripſerunt. Vnde multis in hunc vsque diem exoſum eſt medicamentum. Sed ſi experientiam conſulamus, planum eſt, legitime præparatum, parca & ſtimulante tantum doſi datum, habita ſubiectorum & diuerſarum circumſtantiarum iuſta ratione, catharticum eſſe non contemnendum.

6) Li-

6) Licet etiam ſucco eſulæ adulteratum ſit ſcammoneum, *magiſterium* tamen illius vi ſua rodendi vix illam, quæ magiſterio ialapæ ineſt, ſuperabit.

7) Præparant non nulli e ſcammoneo *puluerem*, quem *polychreſtum* vel ob colorem *rubinum vegetabilem* vocant. E variis præparationibus illa optima eſt, quæ inſtituitur cum ſantali tinctura per vitrioli & ſimul vini ſpiritum parata. Acida enim quando ſulphureis menſtruis iunguntur, optime ſoluunt ſuccos, qui ex gummoſa & reſinoſa parte conſtant. Et quoniam in hoc puluere particulæ gummoſæ reſinoſas disiungunt & dilatant, atque eorum conglobationem ſic impediunt, facilius miscetur aliis compoſitionibus quam *magiſterium*.

8) *Magiſterium* ſeu *reſina* ſcammonei (puluis Syrius vti & ipſum ſcammoneum a non nullis vocatur) largiore quantitate quam ex ialapa obtinetur. Dilatari debet, ne tormina excitet, vti de *reſina ialapæ* ſuperius diximus. Præſcribitur ordinarie paucis granis vt ſtimulans & quidem in variis formis.

9) Tormina, quæ a parte gummoſa rodente exſpectanda ſunt, optime per ſalium additionem præcauentur.

10) Quoniam ſcammoneo malignitatis nota inuſta eſt, variæ illius correctiones excogitatæ ſunt, quas auctores in tres claſſes diſtribuere ſolent.

a) *Prima claſſis* exhibet correctiones, quæ vim cauſticam ſcammonei potius ad tempus occultant quam vere temperant, præter ea impuritates in illo relinquunt. Huc pertinet, quando ſcammoneum malo cotoneo excauato incluſum & paſta circumductum in clibano coquitur, vel quando ſuccis citri, roſarum, cydoniorum imbuitur. Præcipue autem huc ſpectat ſulphuratio notiſſima, vnde *ſcammoneum ſulphuratum* audit; vocatur etiam *diagrydium* vel melius *diacrydium* ſulphuratum; item quando ſpiritus vitrioli vel ſulphuris ei adſpergitur, & poſt ea guttulæ quædam olei ſœniculi

niculi vel alius carminatiui adduntur. Quoniam autem per acida vis purgans non corrigitur ſed caſtratur, tantum virtutis amittitur, quantum acidi accedit.

b) *Altera claſſis* offert correctiones, quæ magnam reſinæ partem disperdunt, & portionem tantum gummoſam, quæ tamen ob vim rodentem minus tuto ægris propinatur, conſeruant. Huc ſpectant, quando aqua vel ſimplice vel deſtillata, item ſuccis acidulis, phlegmate vitrioli, ſucco citri, cydoniorum &c. extractionem ſcammonei ſuscipiunt. Item quando emulſiones exinde parant, vel cum decocto glycyrrhizæ corrigunt.

c) *Tertia claſſis* habet correctiones, quæ labores & ſumtus fruſtra augent e. g. quando extractum ex diacrydio cum ſpiritu vini parant, atque ei aliud e variis aromatibus paratum iungunt, quod *extractum* diacrydii *aromatiſatum* vocant. Sed vti extractum minore labore ex ipſo ſcammoneo paratur, quam ſi prius diacrydium & ex hoc magiſterium conficiatur, ita aromata admixta neque corrigunt, neque vires extracti exaltant. Hinc ſalia alcalina & ſpiritus ardentes, optimi correctores cenſentur e. g. eſſent. ſcammonei ad ʒj-ʒij. blande laxat.

47. AVRVM FVLMINANS.

1) Eſt ſpecies calcis ſolaris per ſolutionem auri cum aqua regia armoniacali, tum per præcipitationem cum oleo tartari per deliquium & edulcorationem cum aqua ſimplici paratæ.

2) *Fulminans* dicitur, quod, calorem externum ſentiens fulminis inſtar ſtrepitum edat, & cum impetu quæuis adſtantia conquaſſet.

3) Quando autem aqua regis loco ſpiritus ſalis armoniaci cum ſpiritu ſalis communis paratur, calx hæc non fit fulminans.

4) Sic etiam fulminans vis cauetur, quando inter terendum aliquot guttulis ſpiritus ſalis vel olei ſulphuris

hæc

hæc calx humectatur. Sic damnum ſub tritura metuendum ſimul auertitur.

5) *Cardilucius* adſerit, præcipitationem melius ſuccedere, ſi loco olei tartari per deliquium ſpiritus ſalis ammoniaci, ex æqualibus partibus ſalis armoniaci & ciner. clauell. factus, ſumatur.

6) Quo ſollicitius calx edulcoratur, eo magis vim fulminantem amittit; alias leui calore immo tritu accenditur & perditur. Quocirca in exſiccando circumſpectione opus eſt, ne ſupra fornacem ponatur, & calore leuiter excedente periculum aut detrimentum inferat tam facilis quam vehemens diſploſio. Tutius igitur ſub vmbra vel calore hypocauſti, quidquid humidi ei adhæret, abigitur.

7) Aetiologia huius phœnomeni, quod hæc calx fulminet, & inſuper contra naturam ignis ac pulueris pyrii non tam ad ſuperiora quam potius ſubiacentia vergat, eruditorum ingenia quouis tempore multum vexauit. Prius quidem (quod fulminet) vno ore particulis nitroſis regeneratis & a flamma accenſis acceptum ferunt, poſteriorꝭ autem phænomeni cauſſam in auri grauitate ſolent quærere, cuius mole ſalia compreſſa ad inferiora cogantur; ſed puluis pyrius ordinarius maiora quam aurum fulminans pondera ſurſum proiicit.

8) Mittimus hæc ad chemiam curioſam, & hic tantum adiicimus vſum medico-pharmaceuticum. Principium in hac compoſitione acidum, quando non prorſus per edulcorationem ſublatum eſt, aluum ſtimulat a gr. vj. ad ℈ß. calx vero exactius edulcorata diaphoreſin tantum promouet. Vomitum aliquando excitat, & tum a cupro non ſatis purgatum eſt, quod pertinaciter auro adhæret.

9) Laudari ſolet in epilepſia infantum a torminibus alui excitata, ſi leniter edulcoretur a gr. ß. ad gr. j & cum tart. vitriolat. gr. iv. mixtum ſit. Sic enim lac vitio-

sum euacuatur & causſa talium conuulſionum præ-
scinditur.

48. LAPIS ARMENVS.

1) Est substantia lapideo-metallica ex paruis quasi grumis constans, colore cæruleo-viridi, vnde cum chrysocolla natiua adfinitatem habet. Leuis est & friabilis.

2) Olim ex Armenia ad nos ferebatur, hodie vero etiam in Germaniæ & Bohemiæ argenti & auri fodinis reperitur. Raro tamen in officinis ostendi potest. Dicitur germ. Berg-blau.

3) Vitriolicæ est indolis & more cupreorum inferne & superne purgat.

4) Olim vsus eius fuit celeberrimus & speciatim atræ bili veterum opponebatur, hodie autem in praxi euiluit, cæterum pictoribus in vsu est & color exinde paratus *azureum* vocatur.

49. LAPIS LAZVLI.

1) Multum cum lapide Armeno conuenit. Est enim substantia lapideo-metallica & quidem cupreæ seu vitriolicæ indolis, sed vti Armenus lapis coloris magis viridis, sic Lazuli saturate cœrulei est, argenteis & aureis punctis interspersis coruscans, saporis plus est adstringentis quam Armenus. Germ. Berg-Lasur, Lasur Stein. Color Armeni perit in igne, Lazuli durat.

2) Ex pluribus speciebus optima est, quæ *Vltramarina* dicitur, seu quæ vltra mare ex Cypro, Asia, Africa ad nos transuehitur. Fodinæ germanicæ etiam hunc lapidem largiter proferunt. Qui ex fodinis auri prouenit e. g. Hungaricis, Transyluanis, a non nullis expetitur ad aurum ex eo separandum.

3) Facultates nocentes, lotione licet frequenti non emendabiles, plurimi illi adscribunt, & hinc e foro practico excludunt. *Wedelius* autem vires purgantes leues & innoxias tribuit. Immo sunt, qui plus huic lapidi quam elleboro fidendum esse putant in adfectibus melancholicis & elephantiasi. Porro antispasticam

cam, antiictericam, antinephriticam virtutem ei adsignant, & speciatim contra podagram retropulsam laudant, licet sine fundamento.

4) *Pilulæ* de lapide Lazuli etiam exoleuerunt.

50. MAGNESIA ALBA.

1) Est calx alcalina seu puluis albissimus, qui paucos ante annos demum inclaruit, & paratur ex lixiuio nitrariorum, aus der so genannten Mutter-Lauge, euaporando, calcinando, edulcorando, exsiccando.

2) Habet effectum absterſiuum & blande laxantem, dos. 3j-3ij & plus.

MERCVRIALIA. De his sub saliuantibus dicetur.

Sic etiam de NITRO & TARTARO alibi dicemus.

51. SAL ANGLICANVM seu *Ebshamense* vulgo *d' Epson.*

Conuenit in principiis cum sale *mirabili*, quod ad salium mediorum classem pertinet, acidoque vitriolico & terræ alcalicæ salis communis suam originem debet ac mixtionem. Effectum habet absterſiuo-laxantem, digerentem.

52. SAL EGRANVM.

Vti salia neutra & tartarisata aut sal mirabile, si largior dosis sit, aluum ducunt; ita hoc sal ex acidulis Egranis euaporando & crystallisando paratum & eadem fere principia cum sale Anglicano & easdem virtutes laxantes obtinet, ita vt extra locum commode auehi & vsum quoque alibi adferre possit non pœnitendum.

TABVLA IV.

DE

DIAPHORESI SEV SVDATIONE.

1. *DEFINITIO.*

Diaphoresis est euacuatio per peripheriam corporis porosam,

qua humores ſeroſi, ſiue ſuperflui, ſiue noxii, & quidem vel transpirationis inſenſibilis, vel aquoſi ſudoris forma expelluntur. Deriuatur a διὰ, per & φέρω, fero.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Diaphoreſis eſt
   1) vel *ſpontanea*, ſeu *naturalis*, quam natura ſine artis auxilio in ſalutarem finem ſuscipit, atque hæc a ſudoribus hecticis paſſiuis & colliquantibus diſtingui debet.
   2) Vel *artificialis*, quæ aptis remediis in eumdem ſalutarem finem prouocatur, & de hac præcipue hic nobis ſermo eſt.
2. Vtraque
   1) eſt vel *halituoſa*, quæ fit per transpirationem *inſenſibilem* & *diapnoë* adpellatur.
   2) Vel *aquoſa* quando viſibilis ſudor excernitur, & hæc pro aëris, adſumtorum, motus corporis & cooperturæ diuerſitate multum variat.
3. *Materiæ*, quæ per hanc euacuationis ſpeciem eliminantur, ſunt duplicis generis: naturales aliæ, aliæ præter naturam; in eo autem conueniunt, vt ſint vaporoſæ tenues plus vel minus volatiles, nempe tam pure aqueæ quam bilioſo-oleoſæ & ſalino-acres in volatilem ſubtilitatem extenuatæ.
4. Non tantum *qualitates* humorum *noxiæ*, agiles & ſubtiles per ſudorem eiiciuntur, ſed & *quantitas* ſanguinis, dum in ſerum reſoluitur, hac ratione imminuitur.

III. *INDICANTIA.*

1. Diaphoreſis *halituoſa* ſeu *diapnoica* vti eſt ſubſidium ſaluberrimum, quo natura corpus ſuum quotidie a noxiis materiis repurgat, ita & in plurimis morbis ſalutari effectu per artis auxilium promouetur.
2. *Aquoſa* autem ſudatio pauciſſimis morbis opportuna & neceſſaria eſt. Immo licet non adeo impetuoſe, ſed moderate tantum inſtituatur, anguſtioribus tamen limitibus circumſcripta eſt; id quod contra vulgatiſſimum abu-

abuſum probe notari meretur. Locum autem præcipue habet

1) *in ætate congrua*, quæ infantilem perpetuo fere excludit.

2) In ipſius naturæ inclinatione, habitudine corporis ad ſudorem facili & peruia & conſuetudine, quæ multum hic valet. Præcipue autem conſtitutio ſanguineo-phlegmatica huic excretioni quadrat; in hac enim non tantum abundant humores ſeroſi, ſed & habitus corporis eſt poroſus, atque ad largiorem exhalationem periphericam admodum idoneus:

3) In *plethora moderata*. Vbi autem *inſigni* vbertate ſanguis luxuriat, ibi non niſi ſumma prudentia tales commotiones ſudoriferæ ſuſcipiendæ ſunt:

4) In *dyſcraſia* humorum ſalino-ſulphurea:

5) Speciatim *in fine paroxyſmorum febrilium* tam intermittentium, quam acutarum. Nullæ enim febres, ſecundum veterum & hodiernorum practicorum obſeruationem, ſine omni, ſed pleræque cum notabili ſudore ſalutariter ſoluuntur. De febribus autem *exanthematicis* legantur *cautelæ*.

6) In *febribus lentis*, in quibus natura viam monſtrat per largos ſudores: in his enim materia magis præparata eſt, quam in aliis febribus. Moderate autem omnia ſunt proſequenda.

7) In *grauantibus & tendentibus artuum moleſtiis* (vulgo laſſitudinibus) quæ chronice adfligunt, & ſpasmos arthriticos minantur. Notandum autem eſt, prudentem corporis motum plus hic valere ad ſudorem feliciter promouendum, quam vlla alia remedia. *Conf. obſeruatio Hildani*, in proprio corpore facta; item alia illius obſeruatio de arthritide inueterata, tormentis corpori admotis, vel per torturam ſanata, *cent. 1. num. 79.*

8) Denique in omnibus morbis, qui a *ſeri impuritatibus* dependent, e. g. in ſcabie, lue venerea, aqua inter cutem, inprimis anaſarca.

IV. *INDICATA seu REMEDIA.*

A. VEGETABILIA.

Rad. Angelicæ
Anthoræ
Ari
Bardanæ
Biſtortæ
Caryophyllatæ
Carlinæ
Chinæ
Contraieruæ
Dictamni albi
Doronici
Enulæ ſeu helenii
Galangæ
Gentianæ
Imperatoriæ ſeu oſtrutii
Lapathi acuti
Leuiſtici
Morſus diaboli ſeu ſucciſæ
Olsnitii
Petaſitidis
Pimpinellæ albæ
Sarſaparillæ
Scorzoneræ
Tormentillæ
Valerianæ
Vincetoxici
Zedoariæ
Zingiberis

Herb. præcedentium radicum pleræque, item
Beccabungæ
Cardui benedicti
Capilli veneris
Centaurii minoris
Chamædrios
Chærefolii
Cochleariæ
Epithymi
Fumariæ
Millefolii
Naſturtii
Origani
Rutæ
Saluiæ
Scabioſæ
Sedi murarii
Serpilli
Scordii
Trifolii fibrini
Verbenæ

Flor. Acaciæ
Calendulæ
Hyperici
Saluiæ
Sambuci
Scabioſæ
Tiliæ
Vlmariæ

Semina Aquilegiæ
Cardui benedicti
Cardui Mariæ
Napi
Rutæ

Baccæ Iuniperi
Lauri
Paradiſi
Sambuci

Cor-

Cortices Aurantiorum
Citri
Cascarillæ
Succus Citri
Ligna Fraxini
Iuniperi
Sanctum
Saſſafras
Santalum album
citrinum
& rubrum
Camphora
Aqua Card. benedict.
Flor. acaciæ
Sambuci
C. C. citrata
Galeæ
Scordii
Scorzoneræ
Theriacalis
Chærefolii
Plantaginis
Scabioſæ

B. Mineralia.

Antimonii ceruſſa
Clyſſus ſulphuratus
Flores
Regulus medicinalis
Sulphur
Antimonium diaphoreticum
Bezoardicum
minerale ſimplex & compoſitum
Corallia præparata
Mercurius diaphoreticus
Sulphuris Flores
Spiritus
Terra Sigillata Strigenſis
Lemnia
Melitenſis
Samia
Gemmæ e. g.
Carneolus præparata
Granatus præparata
Hyacinthus præparata
Rubinus præparata
Smaragdus præparata

C. Animalia.

Conchæ præparatæ
Cornu cerui vſtum & philoſophice præparatum
Spiritus & ſal volatile
Formicarum ſpiritus
Hirci ſanguis
Lapis bezoardicus orientalis & occidentalis, porcinus
Lumbrici terreſtres
Perlarum mater
Lucii piscis mandibulæ
Cranii humani ſal volatile
Sanguinis humani ſal volatile
Serpentum & viperarum caro, ſal volatile & oſſicula
Vnicornu verum & foſſile

D. Compoſita.

Eſſentia alexipharmaca Stahlii
Lignorum
Fracaſtorii diascordium
Liquor cornu cerui ſuccinatus
Mixtura ſimplex
Theriaca, Mithridatium
Tinctura bezoardica Michaëlis.

V. MO.

V. *MODVS OPERANDI.*

Diaphoretica promouent ſudorem

1. vel diluendo, incidendo, reſoluendo, attenuando ſanguinem ſpiſſum, qui ſeceſſioni & fluxui partium ſeroſarum impedimento eſt. Huius cenſus ſunt decocta calida, pleraque vegetabilia ſuperius indicata, quæ principia habent reſinoſo-ſalina & ratione graduum in calidiora & temperatiora diſtinguuntur.
2. Vel commouendo, quæ cum prioribus *poſitiue* ſudorem euocare dicuntur.
3. Vel temperando, præcipitando & inſpiſſando ſubtiles & orgaſticas partes humorum. Hac enim ratione ſerum agile, quod alias a celeri ſanguinis fluxu ſimul abripitur & propter ſubtilitatem colatoria ſecernentia crebro ſubterfugit, facilius ſecedere poteſt. Atque hæc *priuatiue* agere dicuntur, & proſunt illis, qui ſanguinis ebullitione laborant. Huiusmodi ſunt terrea abſorbentia, acida, nitroſa.
4. Vel demulcendo naturam & nimios motus placando; de qua re inſignis eſt obſeruatio *Schellhammeri* in A.N.C. *dec. 2. aphoriſm. 5.* Huc pertinent anodyna correcta, quæ naturam ad placidas exonerationes inuitant, ſpeciatim pilulæ *Wildeganſii*, quæ nihil aliud ſunt, quam laudanum opiatum correctum.
5. Vel relaxando peripheriam corporis; id quod non tam per remedia mere humectantia, quam per externa humido-calida obtinetur.
6. Cæterum notandum, qualitates materiarum ad ſudorem abſolute promouendum non ſufficere. Vti enim is ſine adſumtis remediis ſæpiſſime excitatur, ita in quamplurimis procedere recuſat, licet remedia diaphoretica largiter ingeſſeris, cuius rei paroxysmi febriles, primis horis exæſtuantes, teſtimonium exhibent luculentiſſimum.
7. Et ſic ipſa natura eſt cauſſa efficiens ſudoriferæ excretionis. Hæc enim ſuperficiem corporis relaxat, hæc poros aperit & humores ad circumferentiam dirigit. Remedia autem

autem augendo motum inteſtinum excitant naturam, vt hæc motum progreſſiuum, qui ſolius naturæ actus eſt, intendat, atque hac ratione ſudorem propellat.

8. Hinc licet remedia externa humida e. g. balnea, peripheriam corporis omnino relaxent, non abſoluunt tamen vniuerſum negotium ſudoris. Etenim terrorem repentinum largiſſimo ſudori ſtatim reprimendo parem eſſe quis ignorat?

9. Multo minus calor ſiccus externus per ſe ſudorem promouere poteſt, ſed infert tantum ſenſum moleſtum, qui naturam excitat, vt humoribus ad peripheriam directis hanc moleſtiam mitigare & auertere conetur.

10. Sic etiam interne res ſe habet; ſiquidem particulæ agiles, quas medicamentum continet, & particulæ ſanguinis motu inteſtino reſolutæ, ſatis cauſſæ vel occaſionis præbent circumſpectæ naturæ, vt motum ſanguinis progreſſiuum mox augeat, & noxias illas moleculas, diuturniore mora & ſui incremento reliquum bonum ſanguinem corrupturas, euacuet, ſiue per halituoſam, ſiue per aquoſam ſudoris ſpeciem pro remediorum agilium, particularum peccantium, temperamentorum, vel reliquarum circumſtantiarum diuerſitate.

VI. *MODVS PROPINANDI.*

Hic inuoluit

1. *corporis neceſſariam præparationem*
   1) per placidam alui ſolutionem: adſtricta enim aluo non conuenit ſudorem promouere.
   2) Per humorum ſudore excernendorum correctionem. Vnde ſi humores nimis ſpiſſi ſunt, neceſſe eſt, vt prius reſoluantur, vel, ſi admodum tenues & agiles, inuoluantur; id quod veteres in febribus *coctionem* vocarunt.
2. *Temporis opportuni electionem.*
   1) Tempus ſudori maxime conueniens eſt matutinum, ab hora III. ad IX. Tum enim coctio & ſecretio quorumlibet excrementorum in corpore maximam partem peracta eſt.

2) Sudatio, qua corpori in futurum proſpicere, idque ab imminentibus maioribus malis præmunire volumus, circa æquinoctia optime inſtituitur, niſi quidem natura alio tempore viam maioremque commoditatem oſtendere videatur. Valet enim hic, ſi vmquam alibi, regula: Medicus naturam imitetur & tempora illius opportuna obſeruet.

3) Quæ vero diaphoreſis ad curationem ſuscipitur, illius tempus pro morborum indole variat; generatim autem tenendum eſt, in principio mali nos eo haud feſtinanter progredi, ſed attentione adhibita naturæ ductum ac propenſionem ſequi oportere.

4) In febribus enim ſudores ſpontanei non primis initiis neque ſub ἀκμῇ æſtus, ſed in declinatione paroxysmi prodeunt. Vnde & eodem tempore commodiſſime ſudorem excitandum, & tum vſum analepticorum ſuccis acidis citri &c. modice imbutorum, præcipue in acutis, & peracutis coniungendum eſſe, meminerit Practicus.

5) Verbo: In peracutis in principio moderati & per totum morbi decurſum continuandi ſudores conueniunt, in aliis benignis & intermittentibus deferuescente paroxysmo.

6) Item in febribus inflammatoriis ſub initium ſtatim prouide adiuta & perpetuata diapnoë eum vſum adfert, vt ad optatam ſtaſeos discuſſionem, vtpote quæ lente & pedetentim, neutiquam autem præcipiti impetu ſuccedit, eo facilius perueniamus.

7) Sic etiam in morbis a ſeri & lymphæ impuritatibus productis e. g. Scabie, hydrope, ictero, lue venerea, ſudores ſub initium promoti non conducunt. Ideoque materia prius præparanda & tum demum exhaurienda eſt.

3. *Diaphoreſeos gradum.*

1) Vti natura plerumque ab omni impetu abhorret, ita Miniſter ipſius idem moderamen ſeruare debet, atque ita per lenis ſudoris progreſſum durabilem reuera tan-

tantum efficiet, quantum alias magna vi paucis horis vel fruſtra tentabit, vel non ſine multis incommodis & exaſperatione morbi molietur. Hoc pacto etiam tum vires cuſtodiuntur, tum graue illud periculum, quod exanthemata chronica & acuta ſudatorio impetu expulſa facileque retrocedentia creant, anteuertitur.

2) Speciatim probe conſiderandum eſt, quinam ſudoris gradus cuiuis morbo, indiuiduo, temperamento & ætati conueniat; num diapnoë halituoſa, an diaphoreſis placida, an ſudatio largior & vehementior?

3) Sic e. g. malignæ amant diapnoën, quia materia peccans eſt ſubtiliſſima & agillima; reliquæ acutæ diaphoreſin placidam & conſtantem, lues venerea mitioris gradus & phlegmaticorum anaſarca largiorem ſudationem.

4) Cholericis & melancholicis diapnoë conuenit, regimen autem ſudatorium quod phlegmatici & ſanguinei melius perferunt, ipſis infenſum & certo nocituru eſt.

4. *Regimen ſub ſudore:*

1) Quemadmodum tranſpiratio naturalis corpus noſtrum optime defendit & ſanum tuetur; ita coactum regimen ſi non plures turbas aut detrimentum, certe tamen magnam anxietatem plurimis adferre compertum eſt.

2) Tranquilla continentia multum promouet ſudorem, iactatio corporis vero ventilatione aëris refrigeratoria eumdem interrumpit.

3) Neque negligenda eſt debita corporis obtectio, ſub qua, ſi euacuatio congruenter ſuccedere detrectet, in ſubſidium vocandæ ſunt frictiones.

4) Calor humidus præferendus eſt ſicco, vti formulæ fluidæ ſiccis. Hinc in morbis chronicis, venereis, hydropicis, ſudor commode promouetur per balnea decocta, lateribus calidis adſuſa, ſpiritum vini accenſum &c. vbi ſimul interne conuenit potus calidus

aqueus e.g. thée, coffée, ne viæ exarescant & humores condensentur. Potum enim denegare est absurdum.

5) In chronicis, grauatiuis e. g. hypochondriacis, arthriticis, scorbuticis sudor sub motu corporis excussus vtilior est. Is vero tum leniter inchoandus, gradatim augendus & cum sudor erumpit, placida remissione sensim minuendus, sæpiusque iterandus est, coniuncto, si necesse videatur, vsu radicis ari, simplici spiritu vini extractæ.

6) In acutis quies & mediocris obtectio sufficiunt ad diaphoresin prouocandam & longiore tempore conseruandam. Remediis autem diaphoreticis commode miscentur roborantia & lenia acida, vt nimia humorum resolutio impediatur & vires conseruentur.

5. *Regimen post sudorem.*

1) Indusium excluso frigore cautim est permutandum.

2) Quies cum vel sine somno custodienda est. Quod si vero præcauendi scopo præscribatur diaphoresis, tum non æque necessaria est, neque vt domi se contineant, nisi quidem aër humidus vel frigidus iniurias minetur.

3) Sub & post requiem analeptica potulenta conueniunt, sed tepida, e. g. haustus vini saccharo & cinnamomo gratior redditus. Cibus autem per aliquot horas differendus est.

4) Aluus aperta conseruanda.

III. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Quemad modum blanda diaphoresis ductui naturæ consentanea est, & amplissimam in praxi vtilitatem ostendit, dum materias salino-sulphureas, summe agiles, orgasticas, motum fermentatiuo-putridum minitantes, e corpore proscribit, ita non tantum *Hippocratis* effatum: *vbi sudor ibi morbus*, cum grano salis accipiendum; sed & maxime culpandus est abusus, qui tum quemlibet fere morbum per sudores expurgare intendit, tum gradu, tempore atque ordinatione multos errores errat & a regia naturalis methodi via deflectit.

2. Si

2. Si enim per calida remedia & regimina coacta humores tam impetuose exagitentur, vt intimius resoluti hac ratione agiliores & pernicioſiores reddantur, tum pluribus morbis plus damni quam auxilii adfertur, præcipueque vires nimium pessundantur.
3. Hinc necesse est, vt sudatio copiosa a moderata diapnoë, quæ vbique fere conducit, sollicite discernatur, & ea, quæ sudorem dissuadent, probe obseruentur.
4. *Contra indicantia* hæc audiunt & sunt sequentia:
   1) nimia sanguinis *quantitas*. Hac enim præsente aut irrito tentamine humores acrius percellimus, aut, nisi summa circumspectio adhibeatur, sudorem qualemcumque inutiliter elicimus.
   2) *Qualitas* materiæ vel ad motum ineptæ vel alteri ineptiori immersæ. Huc spectat præcipue *spissitudo* humorum & adfectus cachectico cacochymici, hydropici, in principio constituti. Sic & in aliis chronicis cauendum, ne dyscrasiam sanguinis ante exterminare nobis proponamus, quam sufficiens absterſio & resolutio præcesserit.
   3) *Viæ* siue spasmis internis, siue refrigeratione aëris externi *constrictæ* & ad transmissionem seri, licet subtilioris, inhabiles factæ.
   4) *Enormes hæmorrhagiæ*, immo procliuitas ad illas vel aliæ copiosæ euacuationes.
   5) *Cruditates primarum viarum*, præcipue bilioſæ post iracundiam vel vinum affatim ingurgitatum. Bilis enim magis exagitatur & in massam humorum altius diffunditur.
   6) *Alui adstrictio* & *oppletio ventriculi*, præcipue post repentinum terrorem.
   7) *Adfectus capitis contumaces.*
   8) *Pectoris labes.*
   9) *Defectus virium & hectica.* Hinc & thermæ atque acidulæ his dissuadentur, quia humores magis colliquant & resoluunt.
   10) *Venenum modo haustum.*

11) *Morbi maligni.*
12) *Morbi hæreditarii.*
13) *Habitus corporis ſtrictus.*
14) *Adfectus exanthematici:* exanthemata enim acuta per copioſos ſudores nimis exagitantur, cumulateque excuſſa citius retroëunt, chronica autem parum per eumdem promouentur. Plus hic valet liber tranſpirationis ſucceſſus.

5. Tranſpiratio naturalis, vti ante diximus, eſt optimum valetudinis tuendæ præſidium, quam ob rem qui eius beneficio non fruuntur, vt melancholico cholerici & ſicco corporis habitu præditi, pluribus ordinarie incommodis ſubiiciuntur, & ſi quando in febrem incidant, grauius aliis laborare, ægriusque eluctari videntur. Licet enim impulſus ſanguinis ſatis vehemens ſit, ſudor tamen ob ſtricturam ſuperficiei difficulter erumpit.
6. Culpanda eſt hoc loco quam maxime ſtulta illa & adfectata mundities, quam aulici & alii delicatuli homines in exteriore corporis habitu conſeruare ſtudent, dum diaphoreſin modo per quietam continentiam in locis frigidiusculis, modo per ſacculos lithargyrio refertos, modo per frequentem denudationem & linteorum permutationem ſemper impedire conantur.
7. Sudor vniuerſi corporis eſt ſalutaris, particularis autem, qui turbato tono in ſuperficie erumpit & frigidus eſt, ſuſpectus merito & ſæpe exitiabilis exiſtit.
8. Sudor colliquatiuus, qui tono amiſſo paſſiue fluit, vti rarus eſt, ita noxius ac plerumque letifer iudicatur.
9. *Plethora* ſi ſudorem impediat, eſt imminuenda & orgaſmus temperantibus nitratis & abſorbentibus obtundendus, quæ quidem hoc in caſu diaphoreticis poſitiuis multo præſtantiora ſunt.
10. Sudores, ſiue naturales ſiue artificiales, repente ſuppreſſi grauia pericula minantur.
11. Præcipue *ſudores* illi *ſpontanei*, qui ſanis quibusdam largiter interdum ſolent euenire, nullo modo ſunt reſtringendi, ſed potius per moderatum corporis motum & potum

potum ſufficientem promouendi. Quando enim tales perſonæ circa æquinoctia grauitates tenſiuas (vulgo vocant laſſitudinem corporis) adpetitus imminutionem, ſitim maiorem, adfluentiorem mucum narium, faucium, pectoris ſentiunt atque his incommodis deinde ſpontanei matutini ſudores ſpiſſi, ſubmucidi, olidi accedunt, tum primum quidem fatigationem quamdam, poſt ea autem notabilem alleuationem atque euphoriam experiuntur.

12. Neque etiam ſimpliciter coërcendi, ſed potius promouendi & abſterſionibus tractandi ſunt ſudores illi moleſti, qui in *pedibus*, *inguinibus*, *ſub axillis* &c. quibusdam copioſius exoriuntur. Subitam enim aut temerariam repreſſionem ſequuntur facile adfectus rheumatico-arthritici. Nam quamuis in particularibus locis præ aliis erumpant, non referendi tamen ſunt ad particulares illos noxios ſudores, quos num. 7. accuſauimus.

13. Cauendum etiam eſt, ne copioſos febrium *lentarum* ſudores ſupprimamus, immo ne hecticorum quidem olidos ſudores, qui nondum extreme colliquatiui ſunt, ſimpliciter cohibere, ſed potius conueniente ratione, quantum poſſumus, mitigare tentemus.

14. Accuſant vulgo practici *debilitatem* illius partis, in qua talis ſpecialis ſudor emergit; nec male de præſenti ſtatu: adficitur enim pars iam aliquo incommodo, dum relaxata eſt. Quoniam autem talis diaphoreſis ad noxæ alicuius correctionem tendit, nullo modo reprimenda, ſed potius iuuanda, naturæque ſalubre conſilium artis ſubſidiis, quoad licet, maturrime exſequendum eſt.

15. Calor blandus vti multum valet ad ſudorem eliciendum, ita *nimius* & *vehemens* magna damna infligit. Nam ſanguinem reddit turgidum & ſeri ſecretionem impedit, & dum humores eo impetuoſe ad exteriora protruduntur & diffunduntur, diſtenſioni & obſtructioni partium fomentum ſubminiſtrat.

16. *Stu-*

16. *Stuphæ* vaporoſæ, humidæ, ſiccæ, balnea, hypocauſta ſudatoria, vanni linteis obtectæ & quæcumque aliæ machinæ multum quidem non differunt ad ſudorem obtinendum, præſtat autem pro ſubiectorum & morborum varietate ſelectum adhibere. Generatim illa methodus præferenda eſt, qua caput & reſpiratio in libertate permanent. Vnde in hydropicis & aliis, in quibus ſudatio longa & repetita requiruntur, immiſſio in *clibanum piſtorium* tepescentem, prominente extrorſum capite, ſuam habet vtilitatem. In lue venerea vapor ſpiritus vini accenſi a Belgis præcipue adhibetur. *Pediluuia, fotus & ſuffimigia* præ aliis conducunt menſibus reuocandis, coniunctis internis. In *balneis Laconicis*, quibus vapor nudo corpori admittitur, cauendum eſt, ne capiti incommodetur; neque *veſicæ*, liquore calido repletæ, ſuo vſu deſtituuntur.

17. *Sympathetice* ſudorem prouocare, non ſatis tutum eſt.

18. Sudores per *narcotica* excitati non leuamen ſed torporem & debilitatem adferunt. Niſi enim genuino *Starckii correctore* & probatiſſimis alexipharmacis emendentur, omnia ſulphure ſuo vaporoſo naturæ ſunt inimica. Vnde ſudor cum angore animi & reluctante natura quaſi extorquetur.

19. *Peripheriam* humidis oleoſis relaxare & hac ratione ſudorem promouere, nocet: pori enim tali illitu pinguium obſtruuntur.

20. In adfectibus *chronicis* ſeroſo-lymphalibus, ſpeciatim in lue venerea, hydrope & œdematoſis tumoribus ſudor optime cietur in ſtupha ſicca ſeu balneo Laconico cum vapore aquæ, decocti, ſpiritus vini, coniuncto decocto lignorum vel eſſentia alexipharmaca.

21. In adfectibus *ſpasmodico hypochondriaco-hyſtericis* & *arthriticis* magis conuenit ſudatio in balneis: hæc enim tonum nimis intenſum ſuauiter relaxant.

22. Remedia, quæ commendauimus, differunt gradu virium agilitatis & ſpecificis qualitatibus. Hinc pro differen-

rentia temperamentorum & morborum delectum habere expedit, idque eo magis, cum tot proſtent formulæ compoſitæ tincturarum & puluerum, vt abundantia potius quam penuria laboremus.

23. In *malignis* calidiora, quæ nimium feruorem & ebulli-tionem humoribus important, raro ſine noxa dantur, quapropter tutius eſt, ea prorſus excludere. *Acetabezoardica* proſunt quidem in malignis, quando iulapiis moderate immiſcentur, tantum autem non præſtant, quantum de illis vulgo ſperamus.

24. In *repulſione ſcabiei* & aliorum vlceroſorum adfectuum, non minus in *ſeminis fluxu virulento* ſpecifice per diaphoreſin expellunt *rad. valerian. pimp. alb. ſuccinum* & *ſulphur* moderate adhibitum. *Herba fumariæ* prodeſt quidem in adfectibus vlceroſis infantum, nocet autem in exanthematicis febribus.

25. RADIX ANGELICAE.

1) Ex variis angelicæ ſpeciebus *ſatiua* ſeu *vera* tantum in vſu eſt, & hæc in minorem & maiorem, quæ temperatior exſiſtit, diuiditur.

2) *Angelicæ* nomen ab angelicis virtutibus, quas ei tribuunt, accepiſſe dicitur. Germ. die Engel-Wurtz. Eamdem ob cauſſam a nonnullis radix *ſpiritus ſancti:* ab effectu autem, quem in adfectibus pectoris exſerit, Bruſt-Wurtz adpellatur.

3) Abundat principio ſulphureo, cum parcioribus reſinoſis mixto. Vnde efficaciam habet calefacientem, impellentem, attenuantem, reſoluentem, discutientem, roborantem, diaphoreticam, diureticam.

4) Prodeſt in adfectibus ſeroſis, catarrhalibus, cachecticis, ſcirrhoſis, item hepaticis & primarum viarum.

5) In acutis autem & aliis æſtuoſis pathematibus, licet alexipharmaca radix habeatur, parce & circumſpecte adhibenda eſt, præcipue quando ſubiecta ſunt calidiora.

6) In morſibus venenoſis dubiæ eſt efficaciæ.

7) Ad menſes promouendos non niſi generatim conducit, nempe ſanguinem reſoluendo & impellendo.

8) Angelicæ radix ad fabæ magnitudinem comeſta ebrietatem arcere dicitur, ſed præſtat principiis obſtare, quam remedium dubium adhibere.

9) Externe variis chirurgicis vſibus quadrat, ad reſoluendos tumores frigidos & roborandas partes relaxatas.

10) Radix manſa & dentium cauitati impoſita, horum dolores auferre dicitur.

11) Datur modo in ſubſtantia, modo infuſo, modo extracto, modo eſſentia.

26. RADIX ANTHORAE.

1) Coaluit ex principiis ſulphureis, acribus & tenuibus terreis.

2) Eamdem fere cum angelica habet efficaciam calefacientem. Vnde tam humores quam vias adficit, & ſudorem copioſe promouet.

3) Laudatur vulgo contra venena variorum vegetabilium, tamquam alexipharmacum. Quare anthoræ nomen contractum eſſe volunt ex antithora. Eamdem ob cauſſam *aconitum ſalutiferum* vocant, putant enim hanc plantam infringere *aconiti lethiferi* ſeu *thoræ venenoſæ* noxium effectum; germ. Gifft Heyl. Sed ſpem fallere experientiam, auctores contra *Geſnerum* adfirmant.

4) Neque virtus ſpecifica anthelmintica, quæ vulgo ei tribuitur, vſu confirmata eſt.

5) In acutis, præcipue malignis, carere hac radice poſſumus.

6) Veteres ἄνω & κάτω illam ſubinde purgare perhibent.

27. RADIX ARI.

1) Concreuit ex principiis copioſe ſulphureis & moderate alcalinis, vel potius acribus calcareis & ſubtilibus terreis. Quando enim acetum adfunditur, efferueſcit, adeoque ad alcalinam indolem propius reliquis plantis accedit.

2) Effe-

2) Effectum exſerit reſoluentem, incidentem, discutientem, tonicum &, vt putant, alexipharmacum. Ob acrimoniam vocatur teutſcher Jngber.

3) Vſum habet fere polychreſtum, prodeſt enim in adfectibus ſeroſis, mucidis, atrophicis, cachexia, chloroſi virginum, colica mucida, febribus intermittentibus, hydrope, dum vrinam promouet & mucescentes ſubſtantias eiicit; in ictero, obuiscationibus abdominis, maxime primarum viarum, glandularum meſenterii, hepatis, lienis, atonia ventriculi, tuſſi humida, viscida, catarrhali.

4) Dubiæ contra eſt efficaciæ in hæmorrhoidibus turgentibus, vbi ad ardorem mitigandum cum oleo liliorum alborum illam remiscent & externe adplicant.

5) Neque prodeſt in nephritide & podagra externe adhibita.

6) Contra in vlceribus cacoëtheis & fiſtuloſis mundificandis egregie ſe commendat.

7) Hoc habet peculiare, vt ſudorem largiſſime promoueat, etiam in iis, qui alias difficulter ſudant. In hunc finem drachm. j. cum cochleari ſpiritus frumenti exhibetur, & in chronicis hypochondriaco-ſcorbuticis adfectibus magna cum vtilitate vſurpatur. In forma autem pure puluerulenta quando exhibetur, tum crudior illius ſubſtantia irritum reddit effectum.

8) Præter ea optime propinatur in eſſentia concentrata, item in extracto per vinum, vel ſpiritum vini parato. Porro in infuſis, quæ vero melius cum vino, quam aceto, quod partes acres inuertit, parantur. Externe in ſacculis, cataplasmatibus & decoctis adplicatur.

9) Ingreditur aceta bezoardica, *puluerem ſtomachalem Birckmanni, elixir purgans* &c. *Fæculæ* autem ari tamquam fæces inertes a multis hodie reiiciuntur.

28. RADIX BARDANAE ſeu LAPPAE MAIORIS.

1) Principio gaudet parcius ſulphureo & nitroſo, quæ vtraque mucilagine quadam inuoluta ſunt.

2) Effodienda eſt radix *primo* anno enata digiti craſſitie, altero enim anno caulescit. Vires ſunt in caule & floribus. Cortex radicis acrimoniam habet maiorem, quam interior eius ſubſtantia.

3) Præſtat efficaciam reſoluentem, abſtergentem, leniter diaphoreticam & diureticam, item lubricantem & inuoluentem.

4) Hinc prodeſt in adfectibus cachecticis, hydropicis nondum obfirmatis, atrophicis, vlceroſis, ſcabioſis, item in febribus catarrhalibus benignis. Frequenter etiam in vſum vocatur ad decocta mundificantia, atque a nonnullis in ſarſaparillæ ipſius locum ſubſtituitur.

5) In peſte autem tantam facultatem haud poſſidet, quanta vulgo iactatur. Neque morſus venenatos, contra quos *Apuleius* illam commendat, perſanare comperitur.

6) Adfectus arthriticos, podagricos, ſpaſtico-conuulſiuos curare quidem dicitur, ſed experientiæ non reſpondet. Multo minus apoplexiam præcauere poteſt.

7) In tuſſi mucida, grumescentia humorum, ſanguinis coagulatione & aſthmate inueterato, hæmoptyſi, pleuritide ac empyemate parum iuuat, licet ab *Ettmüllero* ſpeciatim commendetur.

8) Adhibetur vel in forma eſſentiæ vel decocti. *Puluis* iners, ne dicam plane inutilis eſt.

9) Folia leuiter conquaſſata & externe adplicata tumores œdematoſos efficaciter reſoluunt. Num vero, ſi pedibus calcentur, ſuffocationem vterinam tollant, & contra capiti impoſita eamdem excitent, experientia nondum confirmatum habemus.

29. Radix Bistortae.

1) Principiis gaudet terreis, craſſioribus, nec non acidoacribus, obtuſioribus, vnde vis eius præcipua eſt ſtyptica ſeu adſtringens.

2) De cætero quemadmodum radix figura exteriori cum *tormen-*

tormentilla multum conuenit, ita & viribus eiusdem æquiualet, vnaque alteri commode ſubſtitui poteſt.

3) Radix hæc adſtringens in efferis quidem hæmorrhagiis tam interno quam externo vſu vſurpatur, cautelæ autem, quæ adſtringentia arctis limitibus circumſcribunt, hic quoque obſeruandæ ſunt.

4) In *ſtomacace* peculiarem ſibi vſum vindicat; in *diarrhœa* autem vel *ſanguinis* fluxu reſtringendo more omnium adſtringentium agit, effluxum nempe materiæ cohibet, adfluxum autem neutiquam tollit, ideoque multa cum cautione in vſum vocanda.

5) In *tumoribus mucidis* vſurpari poteſt externe, vbi congeſtiones non tam discutit, quam repellit.

6) Deinde & in *angina* principatus fere inter reſtringentia radici biſtortæ defertur.

7) Contra morſum venenatorum animalium iam dudum a veteribus commendata fuit hæc radix, videtur vero hoc ex figura potius eius, quæ ſerpentis capiti æmula quodammodo eſt, quam ex vlla vera ratione illis in mentem veniſſe.

8) Ex dictis hisce adparet, radicem hanc, quæ proprie adſtringit, incongruenter ſudoriferorum & alexipharmacorum ordini eſſe adſcriptam.

30. RADIX CARYOPHYLLATAE.

1) Principio gaudet ſubtili terreo, ſulphureo, interſperſa pauca mucilagine. Hinc discutit, reſoluit, ſudorem adiuuat, & roborat.

2) Vſus eius præcipuus eſt in viscerum oppilatorum reſeratione, id quod a tonica ipſius virtute potiſſimum dependet.

3) Porro radix hæc ſemi-aromatica tamquam cephalicum & neruinum inſigne ab auctoribus magnopere commendatur. Qua de re & ſpecies pro cucuphis frequenter ingreditur.

4) Denique & diuretica & diaphoretica virtute celebratur, quod vtrumque, vtut admodum leniter & moderate, tamen non inefficaciter exſequitur.

31. RADIX CARLINAE.

1) Radix partibus ſcatet ſulphureis tenuioribus, attamen largioribus terreis intermixtis.

2) Potenter reſoluit atque discutit, & calidis alexipharmacis adnumeranda eſt.

3) In viscerum obſtructionibus reſerandis & aliis chronicis pathematibus ſuperandis plus valet, quam in acutis, præcipue malignis.

4) Quemadmodum & in catarrhalibus adfectibus peculiarem laudem meretur.

5) In peſte virtus illius alexipharmaca a prisca antiquitate multis laudibus elata fuit; vti & carlinæ nomen ab ipſo *Carolo Magno* accepiſſe ferunt; qui virtutem eius admirabilem aduerſus peſtiferam luem, in totum exercitum crudeliter graſſantem, expertus eſſe legitur.

6) Notatu digna res eſt, in ſuperiori Germania ruſticos radicem hanc canibus ſuis propinare, vt vigilantiores & mordaciores reddantur, ac domeſticarum rerum cuſtodiam eo diligentius ſeruent: Vnde & ab ipſis ruſticis Hunds-Zorn, vocatur.

7) Ceterum magicos vſus & transplantationis modos, quos *Helmontius tract. magnet. vulner. curat.* fuſius recenſet, & collectionis tempus intra bina Mariæ feſta reſtringit, ſuo loco relinquimus.

32. RADIX CHINAE.

1) Nomen ſortita eſt a regno Chinæ, vnde primum ad nos delata fuit.

2) Duplex eſt occidentalis, & orientalis.

3) Seligitur orientalis, reſinoſa, ponderoſior, conſiſtentiæ compactioris, coloris mediocriter rutili.

4) In comparatione cum ſarſaparilla principiis conſtat acrioribus atque auſteris, ſulphureis tenuibus, cum interſperſa multa inutili mucilagine.

5) Decoctum huius radicis diaphoreſin & diureſin ſatis efficaciter promouet, atque ad ſanguinem purificandum

dum non ſolum generatim extollitur, ſed & lui venereæ exſtirpandæ, vti per vulgus notum eſt, ſpeciatim deſtinatur.

6) Præprimis vero decoctum hoc ad cephalalgiam, ex contagio venereo ortam, efficaciſſimum eſt.

7) In hydrope & cachexia quoque ſcopo abſterſorio admodum conuenit.

8) Dein abſtergentem hunc effectum exſerit quoque in vlceribus tam internis quam externis.

9) Apprime vero notandum, quod abſterſiua hæc virtus quodam modo ancipitis ſit euentus: frequenter enim ſiniſtre adplicata, mundificationis loco obtingit partium ſolidarum crispatoria adſtrictio, & hanc preſſo pede ſequuntur congeſtiones, adfluxiones, inflammationes, æſtusque auctiores.

10) Cum ſpiritu vini ex radice chinæ conficitur tinctura, virtutum antiuenerearum non contemnendarum; obſeruandum autem, illam ſubiectis magis temperatis quam calidis propinandam eſſe.

33. RADIX CONTRAIERVAE.

1) Hæc radix partium eſt tenuiſſimarum, calidiorum ſulphurearum, terreis paucioribus remixtarum.

2) Ad calefacientia potentiora omni iure refertur: ſanguinem enim valde exagitat, vnde alexipharmacas eſſentias ingredi non debet, licet magno encomio in hunc finem ſemper celebrata fuerit; id quod & ipſum nomen innuit.

3) Conuenit autem in apoplexia ſeroſa, in atonia ventriculi ex cauſſa frigida nata, in morbis & defluxionibus catarrhalibus, in colica flatulenta & pituitoſa.

34. RADIX DICTAMNI ALBI ſeu FRAXINELLAE.

1) Radix, vel potius pars exterior, corticalis, alba, in vſum recepta eſt.

2) Quod ad principia attinet, haud multum a *vincetoxico* abludit, niſi quod præter ſulphureas & alcalinas partes, mucilaginoſa adhuc, non autem viscida, ſed ſatis liquida gaudeat ſubſtantia.

3) Vn-

3) Vnde virtus ei potiſſimum eſt reſoluens, abſtergens, per diaphoreſin & diureſin leniter euacuans, & partium tonum reſtaurans.

4) Conuenit vero maximopere in omnibus fere capitis adfectibus, ex ſeroſis congeſtionibus ortum ducentibus. Item in febribus catharrhalibus, modo iuſta methodo adhibeatur.

5) Magnopere quoque in plerisque vteri adfectibus, præcipue illis, qui ex eius atonia proueniunt, extollitur; id quod vlteriori experientiæ relinquimus.

35. RADIX DORONICI.

1) Variæ dantur ſpecies, ſeligitur autem plerumque doronicum Romanum, radice ſcorpioide nodoſa.

2) Coaluit ex partibus acidis & mucilaginoſis.

3) Litigatur adhuc dum inter auctores, vtrum venenoſa ſit planta, an vtilis: alii enim eius virtutem neruinam, præſertim contra vertiginem, mire deprædicant; alii contra lethiferas inter plantas eamdem numerant.

36. RADIX ENVLAE vel HELENII.

1) Partium eſt tenuiorum, acrium, ſulphurearum. Hinc prodeſt pulmonibus muco craſſiore obſeſſis.

2) Offertur in decocto vel eſſentia, laudem vero quoque meretur *vinum enulatum*, quod alii ex tempore quaſi parant, dum ſyrupum enulæ, melioris notæ, vino intermiscent.

3) Radix hæc, quia principiis gaudet moderate calidis, elegans eſt ſudoriferum & diureticum, immo alexipharmacum, in febrilibus adfectibus haud ſpernendum.

4) Pollet etiam aliqua virtute fluxum menſtruum nec non lochia reſtituendi.

5) Ob eamdem cauſſam glandularum obſtructiones reſerandi habet facultatem, hinc in atrophia adhibita, haud ſemel fructuoſa fuit.

6) Prodeſt in defluxione catarrhali, præcipue coryza.

7) Externe decoctum eius, vel puluis, axungiæ ope in linimenti

nimenti formam redactus, contra ſcabiem remedium eſt tutum ſatis & commendabile.

8) Fruſtulum radicis ſub lingua detentum, hæmorrhagiam narium ſiſtere perhibent.

37. RADIX GALANGAE.

1) Datur vel maior, vel minor, poſterior tamen priori præfertur.

2) Hæc radix aromatica principio gaudet ſulphureo, ſubtili, largiorique alcalino volatili, acri-terreo pauciori maritato.

3) Potenter ſatis incidit, reſoluit, attenuat & roborat; ideoque ſanguinem nimis commouet & vix in aliis, quam ſic dictis frigidis adfectibus, adhiberi poteſt.

4) In diarrhœa ſimplici, ſi parciori quantitate detur, ſatis efficax deprehenditur.

5) Sic etiam in febribus quibusdam intermittentibus, quando poſt paroxysmum, diebus intercalaribus propinatur, operæ pretium facit.

6) Stomachica eſt, atque ventriculum ſingulariter roborat; vnde & vertiginem ex cruditate primarum viarum ortam, tollere obſeruatur.

38. RADIX GENTIANAE RVBRAE.

1) Gentianæ diuerſæ ſpecies reperiuntur, quarum quatuor præcipue in vſum medicum tractæ ſunt. Prima eſt verna, puſilla, non niſi in Alpibus obuia, amariſſima, ex qua Heluetii ſyrupum antifebrilem parare ſolent. Altera paluſtribus in locis occurrit & ob amaritiem ſuam pari modo ſpecialiter adplicatur. Tertia dicitur autumnalis, vel cruciata, quia radix eius transuerſim ſciſſa, crucis ſignum exhibet. Quarta, noſtro ſenſu, præſtantiſſima & cæteris omnibus anteponenda, rubra audit.

2) In vſu eſt radix craſſa, maior, extus fusca, intus ex flauo ruffescens, amaritiei inſignis. Errant, qui ei *gentianam albam*, quæ alias *ceruaria* dicitur, ſubſtituunt. Hæc enim & charactere & virtute ſua, toto, vt aiunt, cælo a noſtra differt.

3) Principio gaudet noſtra rubra alcalino, ſulphureo, cum intermixta mucoſitate, vnde cum galanga eadem quidem virtute prædita eſt incidente, reſoluente, tonica, ſtomachica, ſed non adeo calida.

4) In febribus intermittentibus, vbi craſſiores & tenaciores ſordes primas obſident vias, immo in ipſis quartanis effectum illius magnopere prædicant.

5) Efficax eſt in tollendis diarrhœis contumacioribus, quæ grauibus doloribus colicis ſtipatæ ſunt.

6) Prodeſt contra vermes, præcipue in paullo robuſtioribus infantibus & pueris, in teneris vero tormina & conuulſiones excitare dicitur.

7) Conducit quoque in cardialgia ex nimia oppletione ventriculi prodeunte.

8) *Iulius Palmarius* laudat illam in noxis ex morſu canis rabidi inductis.

9) Externe dentes a carie defendit & hoc reſpectu pulueribus dentifriciis immiſcetur.

10) Pulueriſata vlceribus inſperſa egregium eſt mundificans, calloſasque excreſcentias aufert; ſed proſpiciendum, ne nerueas atque tendinoſas attingat partes; vtpote quas irritat & acrius afficit, ſubſequentibus facile affluxu maiori & inflammatione.

39. RADIX IMPERATORIAE ſeu OSTRVTII.

1) Nomen per excellentiam quamdam, ob præſtantes nimirum virtutes, quas ei tribuunt, accepiſſe traditur.

2) Exotica quidem eſt, colitur tamen ſatis abunde in hortis noſtris. Commode autem ei ſubſtituunt radicem *Angelicæ*, qua cum multum conuenit.

3) Principiis gaudet valde calidis, ſulphureis, penetrantiſſimis.

4) Pertinet ad calida alexipharmaca & ſudorifera; hinc maxime proſpiciendum, ne ſubiectis calidioris indolis exhibeatur, multo minus in febribus maligniore nota conſpicuis propinetur, alias æſtus maxime intenditur, materiæ febrilis corruptela exacuitur & ipſa

ipſa exanthemata euentu plerumque lethali præpropere erumpunt.

5) Fœtori oris manſa egregie mederi dicitur.

40. RADIX LAPATHI ACVTI.

1) Hæc radix rhabarbaro haud multum diſſimilis & particulis acriuſculis reſoluit; acerbis & terreſtribus paucioribus, quas coniunctas habet, leniter adſtringit.

2) Multæ lapathi reperiuntur ſpecies, quarum maxima, quæ foliis prædita eſt cubitalibus, a *Muntingio* pro veterum herba *Britannica* habetur.

3) Decoctum illius ad ſanguinis repurgationem, in ſcabioſis præcipue impuritatibus non ſine effectu propinatur.

4) Quemadmodum & externe in ſcabie ferina, ſerpigine, intertrigine & herpete miliari cum aliquo fructu adhiberi multi aſſerunt.

41. RADIX LEVISTICI.

1) Abundat principio volatili, oleoſo, ſulphureo, multis particulis mucoſis inuoluto.

2) Radix, quæ angelicæ fere comparanda, ſatis calida eſt, atque hinc rarius in vſum trahitur, a quibusdam autem vterinis adfectibus peculiariter deſtinatur.

42. RADIX MORSVS DIABOLI ſeu SVCCISAE.

1) A ſcabioſa, cui perſimilis eſt, vix diſtingui poteſt, niſi quod folia ſucciſæ ſint integra, huius autem plerumque diuiſa. A radice ſucciſa nomen accepit.

2) Radix hæc, in qua vix aliquid de ſulphureo calidiori principio deprehendi poteſt, celebratur quidem vt alexipharmaca, tot autem laudibus, quot in ipſam vulgo conferunt, non eſt digna.

3) Manifeſtior eſt virtus eius ſubadſtringens, qua de re in chirurgia locum habet & gargariſmata ingreditur.

43. RADIX OLSNITII.

1) Hæc planta vmbellifera a congeneribus ſuis ſucco, quo turget, lacteo facili negotio diſtingui poteſt.

2) Radix, quæ diaphoreticas obtinet virtutes, rariſſime in vſum venit. Ingreditur tamen *tincturam bezoardicam Wedelii.*

44. RADIX PETASITIDIS.

1) Concreuit quidem ex multis partibus ſulphureis & acribus ſalinis, attamen per interſperſas aqueas & viſcoſas quodammodo temperatior redditur.

2) Primus, qui huic radici reſiſtentem peſtilentiæ tribuit virtutem, fuit *Foreſtus*; Hic enim confitetur, ſe illam in hac lue magno cum emolumento pauperibus propinaſſe. Certum tamen eſt, auctores ſæculi noſtri huic ſententiæ non ſuffragari.

3) In aliis autem febrilibus adfectibus, præcipue mucidocatarrhalibus, operæ pretium facit.

45. RADIX PIMPINELLAE ALBAE.

1) Hæc radicula dici meretur polychreſta: licet enim valde temperata ſit, ob partes tamen tenues & acriores ſalinas, parcius ſulphureas, ſatis efficaciter penetrat, reſoluit, discutit, abſtergit & mundificat, diaphoreſin etiam ac diureſin placide promouet.

2) Vnde non ſolum in adfectibus chronicis, e. g. catarrhalibus, tumoribus viſcoſis, glanduloſis, vlceroſis, venereis, ſed & in acutis benignis atque malignis egregium vſum præſtat.

3) Radix manſa præcauendi ſcopo in contagioſis febribus laudatur.

4) Eſſentia illius principem locum inter alexipharmacas obtinet; ſpeciatim in peſte & morſu canis rabidi effectum illius laudant.

5) In turbis a mercurio ſubnatis vſum exhibet ſalutarem.

6) In adfectibus faucium optime ſe gerit, quando guttæ viij vel plures ſine vehiculo deglutiuntur.

46. RADIX SARSAPARILLAE.

1) Ex regno Peruano & aliis Americæ prouinciis ad nos transportatur atque a *Parillo*, Hiſpanienſi quodam Medico, nomen accepiſſe dicitur.

2) Opti-

2) Optimæ notæ eſt illa, quæ longiſſima, ſarmentoſa, calami ſcriptorii craſſitie, coloris extus fusci, intus autem albicantis, per longitudinem fiſſa, ſubſtantiam farinaceam, non adeo larga quantitate exhibet, & aqua decocta eamdem rubro imbuit colore.

3) Concreuit ex partibus tenuiter ſulphureis & ſalino-nitroſis, quapropter efficaciter reſoluit, colliquat & abſtergit humores mucido-ſeroſos & ſaliuales, non æque autem ſtricte dictos ſanguineos.

4) Inde inſigni quidem vtilitate adhibetur in adfectibus catarrhalibus, ſcabioſis, vlceroſis & præcipue venereis; in illis autem pathematibus, vbi vitium in rubicunda ſanguinis portione potiſſimum latet, operæ pretium non facit.

5) Itaque taxandus eſt communis ille abuſus, qui famoſum illud decoctum antiuenereum, in quo radix noſtra principatum fere tenet, tamquam vniuerſale ſanguinem mundificans remedium præſcribitur. In malo enim hypochondriaco & ſcorbuto non conuenit, nec in ſpaſtico-rheumatico-arthriticis morbis, licet generali vi diaphoreſin ſtabilem adiuuare, adeoque aliquem fructum afferre poſſit, eas laudes meretur, quas complures ipſi adſignant.

6) Sunt qui principiis tenuiter terreſtribus hanc radicem abundare atque hinc virtutem ſubadſtringentem, acidamque abſorbentem ei tribuere contendunt. Vnde *Ettmüllerus* exiſtimauit, *tormentillam* noſtratem virtutibus æquipollere, ſi non antecellere, peregrinæ huic ſarſaparillæ.

7) Ob vim diaphoreticam decoctum huius radicis a multis laudatur in febribus acutis, benignis & malignis. Quod ſi vero exactius conſideremus limites anguſtos, quibus poſitiua ſudoris in febribus promotio circumſcripta eſt, minus magnifice de his encomiis ſentire cogimur.

47. RADIX SCORZONERAE.

1) Varia eſt, vel ſylueſtris, vel ſatiua, optima habetur poſterior, & quidem eius ſpecies, quæ *Hispanica viperaria* germ. Schlangen-ſcorzonere dicitur.

2) In vſu eſt potiſſimum radix, quæ dilacerata multum lacteſcentis ſucci plorat.

3) Principiis gaudet pinguibus, oleoſis partim, partim quoque acribus amaris, ipſa vero radicis craſſior ſubſtantia cruda valde eſt & terreſtris, vnde recens rarius vſurpatur.

4) *Decoctum ſcorzoneræ cum cornu cerui* olim quidem magni fuit habitum in febribus malignis, & aliis venenoſis adfectibus, hodie autem laudes ipſius multum euanuerunt.

48. RADIX TORMENTILLAE.

1) Principiis gaudet valde auſteris, terreſtribus, ſtypticum in lingua ſaporem relinquentibus; vnde & radices cum vitriolo decoctæ, atramentum conſtituunt.

2) Præcipue itaque locum habet in iis adfectibus, qui adſtrictionem expoſcunt. Quo minus autem illam ex numero diaphoreticorum ad claſſem adſtringentium ablegauerimus, vetuit ordinis huius antiquitas, præter humanam neceſſitatem non turbandi.

3) Radicem hanc virtutibus ſuis ſarſaparillæ æquiparaſſe *Ettmullerum*, ſuperius iam indicauimus.

4) Licet autem decoctum vel puluis huius radicis in diarrhœis, dyſenteria, hæmorrhagiis nimiis &c. vtiliter adhiberi poſſit, cautelæ tamen illæ, quas adſtringentium vſus requirit, quam maxime ſunt obſeruandæ.

5) Externe celebriora inter traumatica ſtyptica, immo pharyngica, numerari ſolet.

49. RADIX VALERIANAE.

1) Principio prædita eſt radix largo ſulphureo, nec non alcalino-acri, abſtergente, cum particulis terreo-mucidis parcioribus.

2) Ra-

2) Radix, quæ præ cæteris plantæ partibus in vſum recepta eſt, inſigni vi alexipharmaca pollere creditur, vnde Itali ad venena pleraque illam adhibent.

3) Quoniam autem & ipſa minor valerianæ ſpecies, licet temperatior ſit maiori, ad calida alexipharmaca referenda eſt; vſus illius eamdem cum illis requirit circumſpectionem.

4) Attamen illam in locum pretioſæ illius radiculæ *ſerpentariæ virginianæ* commode ſubſtitui poſſe, cum aliis non dubitamus.

5) Radix externe de collo ſuſpenſa ſpecificum ophthalmicum habetur; id quod experientiæ relinquitur.

50. RADIX VINCETOXICI ſeu HIRVNDINARIAE.

1) Vſurpatur radix albicans, tota fere fibroſa, particulis gaudens ſulphureis temperatioribus & ſalino-alcalicis.

2) Virtute pollet ſudorifera excellentiore in gradu & ob peculiarem temperiem terreo-ſulphuream in morbis acutis præ aliis locum habet. Num autem tam certo vincere poſſit toxicum, quam quidem prioribus temporibus exiſtimarunt, merito dubitamus. Nihil enim aliud in malignis, quam quod alia temperata alexipharmaca, efficit.

3) In chronicis maiorem fere quam in acutis vtilitatem ei adſignamus: quoniam enim blande reſoluit, abſtergit, diaphoreſin & diureſin promouet, in adfectibus illis, vbi vitium lymphæ & ſeri peccat, commode adhibetur.

4) Speciatim in hydrope, tam aſcitico, quam anaſarcodeo, infuſum eius vtiliter exhibitum fuiſſe, adfirmant auctores fide digni. Immo ſunt, qui læſiones internas hoc decocto curari contendunt; tam felices autem nondum fuimus, vt hoc adſertum indubio quodam experimento confirmare poſſimus, licet ſæpius tentamen fecerimus.

5) Tyrolenſium alpium incolæ ſtrumas hac radice ſpecifice discuti ſtatuunt. conf. M. N. C.

51. Ra-

51. RADIX ZEDOARIAE.

1) Principio gaudet ſulphureo & alcalino-acri, ad zingiberis tamen mordacitatem non accedente.

2) Ad antiloimica referunt hanc radicem; dicunt enim illam peſtis tempore in ore geſtatam omne miasma arcere. Quod autem ad vſum illius internum attinet, ille ob nimium calorem adfectibus magis chronicis mucido-ſeroſis, quam acutis, reſeruandus eſt.

3) Inter carminatiua etiam & ſtomachica remedia haud vltimum tenet locum, actum quidem præcipue eius eſſentia cum ſpiritu vini extracta, præferri meretur.

52. RADIX ZINGIBERIS.

1) Particulis conſtat ſulphureis, acrioribus, volatilibus, immo igneis quaſi, iisque per pluribus, terreis vero & alcalinis parcioribus.

2) Quemadmodum igitur hinc abſtergentem, colliquantem, diureticam & roborantem qualitatem induit, ſic ad expugnandas varias diuturnas ægritudines aliis remediis, vt ſalubre condimentum, prospero euentu adiungitur.

3) In primis vero hydropicis tumoribus, cachexiæ, chloroſi, obſtructioni hepatis & glandularum meſenterii, flatulentiæ pituitoſæ, catarrhis frigidis, itemque aliquantum febribus intermittentibus ſuccurrere obſeruatur.

4) Certe in aqua intercute aliis incidentibus palmam dubiam reddit, modo hic & vbique prouideamus, vt teneris, calidis & alioquin macilentis ea parcius indulgeatur.

5) Scopo autem diaphoretico rarius vſurpatur, cum ſic in largiore doſi, adeoque non, niſi valde phlegmaticis, exhiberi debet.

6) Laudatur etiam ad viſus obscuritatem, dentium dolores, peſtilentiam & calculum, ſed his nihil certi ſubeſt.

7) Verius externe guttam roſaceam interdum discutit, vino aduſto infuſa & adplicata.

8) Opti-

8) Optime denique zingibere vtimur vel condito, vel cibis admixto.

53. HERBA BECCABVNGAE.

1) Principio gaudet nitroſo ſalino multo, acriori parco; indeque blande abſtergit, reſoluit & quodammodo temperat.

2) Eſt autem notiſſimum antiscorbuticum, neque, niſi valde remote, propter effectum quemdam reſoluentem, ad diaphoretica poteſt referri.

3) Sicut vero mitius operatur, ita pulcre ad alias calidiores herbas, quæ ſcorbuto opponuntur, temperandas inſeruit.

4) Talis illius vſus frequentiſſimus eſt. Raro & ambigue commendata proſtat ad calculum & menſes pellendos, ad lumbricos necandos, ad curandam colicam & dyſenteriam, ſedandosque hæmorrhoidum cœcarum dolores; quæ pleraque inanis quædam perſuaſio credidit potius, quam experientia confirmat.

5) Optime vſurpatur in ſucco.

54. HERBA CARDVI BENEDICTI.

1) In vſu eſt herba & ſemen; prior intenſe amara, cum intermixtis particulis ſalino-nitroſis.

2) Virtutem habet inſignem reſoluendi, roborandi, ſudorem leniter promouendi & putredinem refrænandi.

3) Merito igitur polychreſta habetur in imbecillitate ventriculi, ictero, morbis frigidis, ſeroſis, atrophia, aſthmate humido, tuſſi ſtomachali & hypochondriaca, vitiis renum &c.

4) Febribus quoque intermittentibus, quæ languidis lentescentibus motibus contumaciores ſunt, vt omnia amara, ſubuenit & præſertim, vbi iam ceſſarunt, ad reſtaurandum tonum vtilis eſt.

5) In acutis autem & contagioſis febribus petechizantibus & peſtilentia non tantas vires oſtendit, quantæ prædicantur, neque etiam phthiſin & epilepſiam perſanat.

6) Extus vlceribus prauis & cariei repurgandæ inſeruit, ad cancri vero malignitatem exſtinguendam ſufficere nondum animaduertitur.

7) Vſurpatur in eſſentia, extracto, infuſo, ſucco.

8) Semen quoque eſt haud inelegans reſoluens, præcipue in pleuritide, neque tamen hic cardui Mariæ ſemen adæquat, multo minus omnem virulentam materiam ſubigere valet.

55. HERBA CAPILLI VENERIS.

1) Dicitur adianthum magnum ſeu nigrum & e Gallia Narbonenſi adportatur.

2) Principio gaudet duplici, altero nitroſo, altero terreo-ſtyptico, ſubadſtringente blandiore, indeque virtutem temperantem, reſoluentem & tonicam fœneratur.

3) Commendanda propter ea videtur hæc herba hypochondriacis, hyſtericis, melancholicis, ictericis, obſtructione viscerum, vitiis renum, præcipue aſthmate & tuſſi laborantibus.

4) Neutiquam autem calculum frangit, vel menſes & ſecundinas tam certo, quam non nulli credunt, promouet, vel gonorrhœæ & fluori albo medetur.

5) Externe capillorum radices firmare eorumque defluuium prohibere, iam a vetuſtate laudatur, vnde & nomen ſuum conſecuta eſt.

6) In officinis proſtat eius ſyrupus. Datur alias & in infuſo & in ſucco.

56. HERBA CENTAVRII MINORIS.

1) Intenſe amara partes ſalinas, acidas, cum reſinoſis & terreis coniunctas, facultatem autem digerendi, reſoluendi & emundandi, neque ſolum vrinam, ſed & alibi diaphoreſin, alibi quoque aluum paullulum ciendi continet.

2) Sigillatim conuenit præcipue cum abſinthio & carduo benedicto, etſi adhuc penetrantius agere & febribus intermittentibus efficacius opitulari cenſeatur.

3) Quam

3) Quam ob rem etiam vermibus magis infesta est hæc herba & ad fluxum mensium aliquantum promouendum & ad hæmorrhoides (irritando intestinum rectum) eliciendas confert.

4) Num vero propugnaculum luis pestilentis & venenorum victrix dici mereatur, iudicent experientiores.

5) Cæterum vlcera egregie repurgat, & in clysteribus adhibita, aluum sat valide mouet, atque ascaridum colluuiem exstinguit.

57. HERBA CHAMAEDRYOS.

1) Principium sulphureum & salinum parcius, terreum autem largius, huic herbæ insinuatum esse creditur, etsi nihil minus aperientem, resoluentem, diureticam & sudoriferam qualitatem habere plurimi statuant.

2) Vnde & eam valere scribunt ad obstructiones viscerum, asthma, tussim humidam, scabiem, scorbutum, hydropem, suppressionem menstruorum; &c. quæ cuncta tamen adhuc oppido obscura sunt, cum hodie rarius adhibeatur. Porro nec antarthriticam esse herbam, bene notat *Ettmüllerus*.

3) Cæterum etiam *Paracelsus* chamædryos vsu phethoram imminuere pollicebatur, sed nec hunc effectum innotuisse palam est.

58. HERBA CHAEREFOLII.

1) Intelligimus chærefolium vulgare, non autem Italicum illud, quod alias *myrrhis* adpellatur & a non nullis male substituitur.

2) E temperatis sulphureo salinis & mucilaginosis partibus deducunt huius facultatem placide resoluentem & abstergentem.

3) Qua de caussa licet haud ingentes vires obtinuerit, tamen diætetico maxime vsu conuenit, præcipue tenerioribus & litteratis in eiusmodi malis, quæ lenem resolutionem paulatim perficiendam efflagitant.

4) Præscribitur itaque hoc scopo in spissitudine & stagnatione humorum, ictero, obstructionibus viscerum,

vitiis renum, punĉturis laterum, tussi, neque in phthisi contemnenda est, quando recens, addita bellide minore, cum iusculo carnis vitellinæ, coquitur & crebro hauritur.

5) At de reliquo in promotione mensium & secundinarum, in hydrope, febribus intermittentibus, ictibus virulentis &c. non implet commendantium laudes.

6) Quid autem in vertigine possit, vlterius experiundum est.

7) Extus ad coagulatos humores discutiendos adplicatur. Interne optime datur in succo & substantia.

59. HERBA COCHLEARIAE.

1) Vtimur tota planta, quæ ob particulas salinas, acriores volatiles, subtiles atque penetrantes efficaciter incidit, resoluit, attenuat.

2) Scorbuto autem peculiariter dicata est, vnde quoque singulari DEI beneficio fieri cum aliis compluribus sentimus, vt cochlearia in locis maritimis, vbi scorbutus maxime tyrannidem suam exercet, sua sponte in lætissimam & abundantissimam messem progerminet.

3) Neque tamen in aliis morbis, prorsus inutilis reputanda est, cum & intercipiendis viscerum oppilationibus & chloroticis atque asthmaticis inseruire possit.

4) Exsiccata ad medelam adferendam non tantum valet, quantum recens. Vnde rectius vel folia eius recentia vel succus inde expressus & purificatus, in vsum trahuntur. Hæc eadem mandendo, aut in ore detinendo, stomacacem feliciter corrigunt.

5) Spiritus, qui ex recenti cochlearia, vel per infusionem, vel per confermentationem paratur, nimium acris & penetrans, ideoque pauciſſimis ſcorbuticis conueniens est.

6) Quin etiam succus, quamuis haud adeo validus sit, tamen vbi habitus magis cholericus & dolores acerbiores existunt, præstat eumdem aliis mitioribus ex beccabunga, acetosella &c. temperare.

7) Se-

7) Semen cochleariæ easdem cum herba vires habere notatur, sed tamen est multo inferius, minusque vsitatum; cæterum non tam ad variolas, ad quas expellendas laudatur, quam ad morbos diuturnos frigidos fortasse idoneum.

60. HERBA EPITHYMI.
Vid. tab. de catharsi.

61. HERBA FVMARIAE.

1) In texturam suam partes salinas, acidas, terram magis calcariam & subtilem resinam interpositam recepit, viribus ex inde resoluentibus, aperientibus & diureticis pariter ac sudoriferis conspicua.

2) Vnde iam a priscis temporibus ad cacochymiam & humorem melancholicum, vti loquebantur, corrigendum destinata; hodie quoque salubris reperitur in primarum regionum vitiis, malo hypochondriaco, morbis chronicis, seroso-lymphalibus, ictero, scorbuto, scabie, statu vlceroso & aliquantum in venereis inquinamentis.

3) Cum autem sanguinem acrius commouet & impellit, tum in febribus acutis continuis incongruens est, quapropter nulli auctores sumus, vt aquam fumariæ destillatam, quam vulgo ad expellendas variolas & morbillos extollunt, hoc scopo infantibus aut cuiquam alii porrigat.

4) Postremo sunt, qui diuturno huius herbæ vsu, tum melanlancholiam, tum oculorum mala sublata esse narrant, id quod experientiæ commendamus.

5) Datur in infuso, extracto, essentia.

62. HERBA MILLEFOLII.

1) Principio sulphureo parcissimo & acido terreo seu styptico blandiore donata, facultatem habet subadstringentem, aliquantum diureticam, vnde ad diaphoretica proprie non pertinet.

2) Verius autem vulnerariis & vlcera repurgantibus adnumeratur, omnesque hæmorrhagias, diarrhœam, dysenteriam, fluorem album, gonorrhœam sistere dicitur; sed hic vbique iusta cautio adhibenda est.

3) Præcipue vero, docente *Stahlio*, tamquam certissimum & specificum spasmodicorum motuum hypochondriacorum & hystericorum sedatiuum laudari meretur, dum modo opportuni temporis momenta captare studeamus.

4) Dein & in doloribus hæmorrhoidum cœcarum magno vsui est.

5) Ast in calculo renum, nec non in ipsa nephritide, millefolium minime sedantem, sed contrarium effectum, nempe dolentem sensum infert, adeoque minus tuto exhibetur.

6) Externe *comæ* millefolii, naribus intrusæ, sanguinem eliciunt. Cæterum, vti dictum est, in vlceribus, item in stomacace vsurpantur.

63. HERBA NASTVRTII.

1) Triplex datur 1) hortense Garten Kreß 2) aquaticum, alias *sisymbrium* vocatum, Brunnen Kreß. 3) pratense, non nullis *iberis* vel *cardamine* dictum.

2) Ex his particularum volatilitate atque acrimonia primatum tenet *aquaticum*, quod principiis & viribus antiscorbuticis cochleariæ simile, nisi quod paullo mitius sit, & nonnumquam vtiliter ad scopum diureticum exhiberi queat; præcipue in morbis frigidis, cacochymicis, serosis, diuturnis, hepatis & meseræi vitiis, cautius in calculo.

3) Deinde quoque in tussi humida & lumbricis necandis conuenit.

4) Sed in omni febrium genere, pestilentia, quartana, in phthisi, item in philtris singularem edere effectum, experimenta non persuadent.

5) Neque semen nasturtii tantum efficit, quantum vulgo in suppressione mensium, paralysi linguæ, herniis, hæmoptysi, aut dysenteria laudatur. Externe ad *sinapismos* confert.

64. HERBA ORIGANI.

1) Duplex est vel vulgare vel Creticum; posterius autem rarius in vsum venit.

2) Principio gaudet sulphureo-resinoso temperatiori, terreo par-

parciori, nitroſo omnium parciſſimo, vnde aliquantum reſoluentem, aperientem & neruinum edit effectum.

3) Creditur autem ſingulare cephalicum, pariterque multis pectoris & vteri adfectibus leniendis deſtinatur.

4) At ſi hodiernam praxin intueamur, raro intus datur; frequentius vt neruinum pediluuiis, balneis, fomentis, adiicitur.

65. HERBA RVTAE.

1) Principium habet ſulphureum puriſſimum, volatile, terreum vero ſubtilius, parcius; ac celebris valde, immo ſi veteres audis, regina eſt inter herbas antiloimicas, ſudoriferas & reſoluentes.

2) Hodie tamen ſcopo diaphoretico non adeo, niſi apud plebem & ruſticos, in vſu eſt.

3) Interim magnis encomiis cohoneſtatur in morbis peſtilentibus, venenis, morſibus virulentorum animalium (quorum naturalis hoſtis eſt) porro in debilitate ſtomachi, vitiis ſeroſis, catarrhis pectoralibus, promotione menſium.

4) Et quem ad modum non ſolum discutit interne & externe, ſed & roborat; ita quoque viſum acuere, capitis dolores leuare, odontalgiam rheumaticam & gingiuarum mala depellere celebratur.

5) Præterea alii rutæ vſu vermes necari, ſtimulum veneris obtundi, quartanam, melancholiam, quin & epilepſiam curari aſſerunt.

6) Sed profecto hic quoque multa occurrere videntur incerta, & ſub debito examine in nihilum abitura.

66. HERBA SALVIAE.

1) Præter particulas ſalino-ſulphureas, terreis quoque aliquantum auſteris referta, qualitatem reſoluendi & roborandi accepit.

2) Speciatim laudatur in atonia partium, frigidis capitis & pectoris adfectibus catarrhalibus, vertigine, aſthmate, tremore, paralyſi, ſtomachi imbecillitate.

3) Vterinos autem morbos non adeo ſubleuat, neque menſium ſuppreſſionem, ſterilitatem, phthiſin, calculum, arthritidem, podagram lenire poteſt, nedum tollere.

4) Exter-

4) Externe ad tumores discutiendos in embrocationibus vel fomentis frequenter in vſum vocatur.

5) Præcipue vero vſus eſt in anginodeis faucium adfectibus, nec non in ſtomacace vel dentium caſu, dum nempe ſub gargariſmatis ſpecie adhibita partes læſas emundat & roborat.

67. HERBA SCABIOSAE.

1) Herba in officinam recepta e partibus conſiſtit gummoſis, leniter ſulphureis amaris, terreis plurimis intermixtis, & efficaciam habere dicitur leniter reſoluentem, mundantem & diapnoicam.

2) Refertur inter prima fere pectoralia, & tuſſientibus, aſthmaticis, pleuriticis, phthiſicis opem ferre, præterea carbunculum peſtilentem, morſus venenatos, ficus ani & ſcabiem curare traditur, quibus ſi experientia hodie adſtipularetur, pulcrum vtique præſidium medicæ praxi accederet. Interim in pectoris malis teneros non nihil ſubleuat.

3) Extus etiam vlcera purgare dicitur, ſed pariter ambiguo effectu.

68. HERBA SEDI MVRARII.

Vid. tab. de emeſi.

69. HERBA SERPILLI.

Vid. tab. de motuum excitatione.

70. HERBA SCORDII.

1) E particulis ſulphureo-ſalinis, allii odorem ſpirantibus & paucioribus aliis, egregiam craſin accepit, vi reſoluente, attenuante, balſamica & ſudorifera fœcundam.

2) Vnde iam pridem inter certiora alexipharmaca locum ſibi vindicauit, & multorum practicorum elogia promeruit in febribus malignis, contagioſis, peſtilentibus; vti & externe corruptionem arcet, atque in vlceribus inueteratis & gangræna, in peiorem gradum nondum prouecta, vtiliter adhibetur.

3) Præterea laudatur in catarrhis pectoris, tuſſi chronica, vlcerationibus internis, diarrhœa & dyſenteria, vermibus fugandis, calculo, hydrope, promotione men-

menſium, morſibus virulentis; quæ quidem exactius ad incudem experientiæ reuocanda videntur.

4) Multo autem incertior vel plane irritus eius vſus eſt in epilepſia, & externe in doloribus podagricis ac iſchiadicis leniendis.

5) Cæterum *diascordium Fracaſtorii*, ob ingredientium multitudinem, opiique additamentum theriacæ ſpeciem repræſentans, a nobis non adeo commendatur; & quamuis *Syluius* formulam eius concinnius contraxerit, tamen eſſentia ſcordii bene ſaturata, nec non decocto huius herbæ & ſucco, tam interni quam externi morbi, quibus congruunt, ſimplicius & fere proſperiore ſucceſſu oppugnantur.

71. HERBA TRIFOLII FIBRINI.

1) Hanc potiſſimum ſalino-ſulphureæ, acres, amaricantes particulæ, cum terrea mucilagine permiſtæ, donare creduntur qualitate incidendi & reſoluendi.

2) Ex qua fit, vt in tenaci humorum craſſitie, catarrhis frigidis, aſthmate, malo hypochondriaco, cachexia, quin & omnibus viſcerum obſtructionibus & quartana commendetur; vbi licet ſæpius ſpem deſtituat, tamen impenſiore cura certus illius effectus poteſt inueſtigari.

3) Primus autem, qui hanc plantam ob antiſcorbuticas vires celebrauit maxime, fuit *Simon Paulli*, idque haud immerito, ſi pro gradu morbi & temperamentorum diuerſitate rite propinetur.

4) Sunt tamen & alii, qui ipſam in arthritide & phthiſi (rectius fortaſſe atrophia) mirifice extollunt; ſed horum imitationem nemini poſſumus ſuadere.

5) Eſſentia & ſpiritus huius herbæ nimis acres plerisque exiſtunt. Optimum eſt eius infuſum aut ſuccus, aut integra herba comeſta. In decocto ſubinde commotiones & tormina hypochondriaca ſuſcitat.

72. HERBA VERBENÆ.

1) Ex partibus temperatis ſulphureis, nitroſis & terreis com-

compoſita, & qualitate, diſcutiendi, reſoluendi & paullulum adſtringendi prædita autumatur.

2) Sicut autem vſus eius apud veteres paganos frequens & ſuperſtitioſus fuit; ita nec dum hodie idem plane deſiit, cum ad ſoluendas incantationes adhibetur.

3) Plurimas vero ſpeciales vires verbenæ adſcribunt in doloribus capitis, epilepſia, melancholia, oculorum caligine, tuſſi, dyſenteria, vermibus, ictero, febribus intermittentibus & acutis, obſtructionibus viſcerum, calculo & extus in ſtomacace, odontalgia, podagra. At vero ſi recte attendamus, magna heic ſe prodit inconſtantia vel vanitas, adeo vt cum tot effectus laudentur, nullum hodie ſatis exploratum habeamus.

4) Neque hoc valde mirandum eſt, cum hodie raro a medicis præſcribatur, niſi forte in cephalalgia, vbi recens de collo ſuſpenditur, commendantibus *Foreſto* aliisque, quamquam alii huic amuleto non fidant.

5) Cæterum etiam aqua deſtillata dari ſolet parturientibus & in oculorum vitiis.

73. FLORES ACACIAE.

1) De *floribus* acaciæ Tab. præced. locuti ſumus; nunc pauca hæc addimus.

2) *Puluis* eorum mulierculis ſuperioris Germaniæ ad modum in vſu eſt, quæ nempe eiusmodi puluillo ad ℈ß in pulte, quo infantes veſci ſolent, oblato iisdem aluum blande ſubducere ſolent.

3) *Aqua florum deſtillata* vi reſoluente notiſſima eſt: nec non a multis pharmacopœis ob odoris quandam ſimilitudinem aquæ ceraſorum admiſcetur & pro eo venundatur. Plura *vide tab. de catharſi.*

4) *Fructus acaciæ* tum ſtyptici ſunt, tum etiam diuretici cenſentur, atque ex illis vinum paratur in calculo, diarrhœa & hæmorrhagiis ſiſtendis vulgo laudatum.

74. FLORES CALENDVLAE.

1) Principio gaudent ſulphureo & non nihil graueolenti, mul-

multo muco & parcioreterra inuoluto; atque hinc vires ſuas potiſſimum deſumunt reſoluentes, moderate diaphoreticas & roborantes.

2) Reponuntur autem vulgo ab auctoribus inter remedia alexipharmaca, diapnoica, exanthemata expellentia; & mirum quantum in arcendo peſtilenti contagio extolluntur; ſed neque hic, neque alibi promiſſis ſatisfaciunt.

3) *Folia* herbæ (ſed pariter incerte) aduerſus odontalgiam, fluorem album, bubones & carbunculos peſtilentes laudantur.

4) Optime autem *flores* propinantur in infuſo vinoſo, ſic aliquantum ad leuiorem infarctum hepatis & ſuppreſſionem menſium tollendam vtiles futuri.

75. FLORES GALEGAE.

1) Herba, (quam & *rutam caprariam* vocant) in Italia & Hiſpania ſponte creſcit, apud nos vero in hortis colitur.

2) Effertur vt ſingulare antiloimicum, atque in febribus malignis, vermibus, epilepſia, commendata proſtat; ſed rarior vſus certi quidpiam ponere vetat. *Ettmüllerus* ſane magnam eius inertiam arguit & fidem narrationum, quibus viperæ morſus curare traditur, ſubleſtam eſſe commonet.

3) In officinis paratur eius *aqua deſtillata* & *conſerua*.

76. FLORES HYPERICI.
vid. tab. de diureſi.

77. FLORES SALVIAE.
vid. herb. ſaluiæ.

78. FLORES SAMBVCI.
vid. tab. de emeſi.

79. FLORES SCABIOSAE.
vid. herb. ſcabioſæ.

80. FLORES TILIAE.

1) Particulas habent acido-ſalinas, parcas ſulphureas, multis terreis obuolutas, præcipue autem muco abundantes; atque his efficaciam ſuam debent blande

temperantem magis, quam reſoluentem aut roborantem.

2) Commendari autem maxime ſolent in diuerſis ſpaſticis & conuulſiuis infantum adfectibus; quibus aliquantum leniendis potiſſimum inſeruit *aqua deſtillata*, quæ præcipue in vſum recepta eſt & inter leniter diapnoica locum meretur.

3) Neutiquam vero hæc aqua promiscue palpitationem cordis, vertiginem, epilepſiam, partum difficilem, tollit, quibus nec ipſe *ſpiritus* florum tiliæ par eſt, licet hic languidos motus non nihil excitare & vires reficere valeat.

81. VLMARIAE FLORES

1) Hanc plantam quoque *barbam caprinam* (a barba hirci ſeu tragopogone diſtinguendam) appellare ſolent Botanici.

2) Continet partes acidas, auſteras, terreas; indeque ob adſtringentem qualitatem ad profluuia ſanguinis, vlcera, vulnera, fracturas laudatur. Ex quo nemo facile hariolari aut ſibi perſuadere poterit, ineſſe ei pariter vim alexipharmacam, quam & experientia derogat.

3) *Flores* quidem (a quibus vinum gratiam ſaporis maluatici imbibere dicitur) in aquam deſtillati ſudorem non nihil promouent & in febribus vſurpantur; cæterum an etiam vel podagræ vel oculorum doloribus proſint, accuratius adhuc explorandum eſt.

82. SEMEN AQVILEGIAE.

1) Huic adſignant particulas ſulphureas, acres, mucilagine & terra temperatas, ac proinde reſoluentem & diaphoreticam qualitatem.

2) Speciatim vero alexipharmaca virtute inſigne creditur in febribus malignis, vti & variolarum difficili eruptione; vbi licet non tantum valeat, tamen in *emulſione* cum aliis commode poteſt præſcribi.

3) Rarior eius vſus & dubia magis efficacia eſt in ictero, vertigine, epilepſia, malo hyſterico, arthritide.

83. SE-

83. SEMEN CARDVI BENEDICTI.
vid. herb. cardui benedicti.

84. SEMEN CARDVI MARIAE.

1) Particulis pinguibus, interſperſis ſulphureis tenuioribus, & alcalino acribus, viribusque abſtergentibus lenientibus & temperantibus inſtructum habetur.

2) Ad peculiarem exinde vſum illud tranſtulerunt in febribus acutis, ictero, hydrope, iſchuria, nephritide, calculo.

3) Specifica autem virtute, a multis iam annis nec ſine iure, celebratur aduerſus pleuritidem; quippe integrum (nam in *emulſione* interdum non ita euidenter iuuat) contuſum datumque, aliis irritis, punctiones ſæpe mirabiliter ſuſtulit. Cæterum etiam aliis febribus inflammatoriis, morbisque cholericis & renalibus cum fructu adhibetur.

4) Herba in dictis malis pariter efficax (ſed experimentis non adeo probatis) inprimis vero vt ſingulare remedium fluorem album emendatura perhibetur.

85. SEMEN NAPI.

1) Huius quoque virtutem reſoluentem & diaphoreticam, quin alexipharmacam prædicant e nexu partium pinguium cum acribus vaporoſis ſulphureis & mucilagine quadam generaliter exſiſtentem.

2) Cum autem venenum domare putetur, tum in febribus malignis & variolis ac morbillis expellendis ſæpe præſcribitur; ſed propter ambiguam vim ſatius eſt id omittere.

3) Non meliorem opem ſpondet in vermibus, calculo aut lochiorum promotione, vnde vbique, quantum conſtat, fere ſuperuacaneum eſt.

86. SEMEN RVTAE.
vid. herb. rutæ.

87. BACCAE IVNIPERI.
vid. tab. de diureſi.

88. BACCAE LAVRI.
vid. tab. de diureſi.

89. BACCAE vel GRANA PARADISI ſeu CARDAMOMVM MAJ.

1) Quotidianum hoc Indorum condimentum ex Inſula Iaua vel Ceylonia ad nos transuehitur atque præcipue duplex eſt 1) Cardamomum maius, cui nomen granorum paradiſi ſolennius eſt 2) Cardamomum minus præcedenti longe vſitatius & culinis notiſſimum.

2) Vtrumque præſertim vero vltimum (vt vtiliſſimum) reſoluit, calefacit, attenuat ac roborat, quippe e ſulphureis acribus parciore oleo & terra commiſtis partibus concretum.

3) Eſt igitur ſalubre in omnibus morbis frigidis ſeroſo-lymphalibus, in tono primarum regionum debilitato, indeque ortis flatibus, colica, doloribus poſt partum, vertigine cum cruditate coniuncta.

4) Cæterum tantæ virtutes, vt febres malignas, epilepſiam, vertiginem idiopathicam, memoriæ debilitatem, ſuppreſſionem menſium curet, vix ab eo poſſunt exſpectari.

90. BACCAE SAMBVCI.

vid. tab. de emeſi.

91. CORTICES AVRANTIORVM.

1) Ex particulis ſuis ſemi-aromaticis, ſulphureis, oleoſis & ſalinis valent ad reſoluendum, diſcutiendum & roborandum.

2) Et profecto flauedo eorum ſuaue & egregium ſuppeditat carminatiuum, quo in ventriculi imbecillitate, flatulentia, colica, doloribus poſt partum cum fructu vtuntur Practici.

3) Eadem adhiberi poteſt in diarrhœa, ſtranguria, vitiis renum, ictero, cachexia; ac tum in tincturæ vel infuſi vel olei vel ſyrupi forma conuenienter præſcribi.

4) *Succus pomorum* cum diuerſus ſit, is potiſſimum eligendus eſt, qui nec acidum nimis, nec vere dulcem, ſed vinoſum ſaporem refert. Hic videlicet temperante, analeptica & moderate diuretica virtute inſignis,

gnis, vtiliter datur in orgaſmo ſanguinis quocunque, ardore interno, ſiti ſymptomatica; atque vt reficit vires & naturam excitat, ſic lipothymiæ aliique motuum defectui quodam modo ſubuenit & ſcorbuticis opitulari a non nullis magnopere celebratur.

5) Dantur & alius ſpeciei poma aurantia, quæ Chinenſia (Pommeſine) appellant; quibus vt figura magis rotunda, cortex ſuluior & tenuior eſt; ſic maior gratia & ſuauitas, cæterum eadem vtilitas adſcribitur.

6) *Flores* aurantiorum ſuauiſſimum ſpargunt odorem, adeoque recreant, vt *aqua* eorum *deſtillata* (quam etiam *aquam namphæ* vocare ſolemus) nulli alii analepticæ ſecunda habeatur. Itaque, vbicumque animus abiectus aut vires fractæ ſunt, inprimis vero in febribus malignis & peſtilentibus, creberrimi vſus exiſtit. Proſtat quoque horum *conſerua*.

7) Tandem de *ſemine* nihil eſt quod addamus, ſiquidem vis eius anthelmintica & alexipharmaca valde adhuc dubia permanet.

92. CORTICES CITRI.

1) Hi licet cum prioribus maximam partem conueniant, tamen maiorem lenitatem & ſuauitatem analepticam adepti ſunt, omnibus, niſi ſingularis idioſyncraſia obſtet, gratiſſimam: deinde & diaphoreticam virtutem (etſi hæc nondum ſatis cognita ſit) habere cenſentur.

2) Quapropter eos plerique medici non modo dictis primarum viarum vitiis corrigendis deſtinant, ſed & peſtilentiæ & acutis febribus; vtpote quarum contagium auertere, præſentem vero malignitatem præclare expellere poſſe concelebrantur. Etſi alii rectius moneant, totum citri pomum hic plus, quam ſolos cortices valere.

3) Quomodocunque hæc ſe habeant, nos ob analepticam præcipue vim, qua naturam erigunt & exhilarant, cortices citri nonparui æſtimare debemus.

4) *Oleum* autem fragrans, quo turgent cortices, magnopere

pere expetitur, idque e recentibus expreſſum cum ſaccharo abit in gratiſſimum elæo-ſaccharum, ex quo deinde cum *eſſentia* corticum per ſpiritum citri abſtractitium parata tinctura carminatiua & analeptica conficitur; etſi aliis alia via placeat. Cæterum ſuauiſſimum oleum per M. B. acquiritur, vel ſi vulgari modo id deſtillare lubeat, non putrida poma, vt vulgo fit, ſed recentes cortices ſumendi ſunt.

5) *Succus citri* ſat valide acidus (cui parem ſane regnum vegetabile non gignit) coagulando, refrigerando, incraſſando, ſubadſtringendo & diureſin promouendo ſe commendat; id circo ſaluber in intenſiore æſtu febrili, dyſcraſia biliosa, cruditate ex humoris fermentantis defectu prognata, pollutionibus nocturnis.

6) Præterea laudatur in ſcorbuto, pica grauidarum, ebrietate, obeſitate nimia, vermibus, calculo; quanquam hic non ſatisfacere ſoleat, multoque minus ad febres directe curandas idoneus ſit; quin etiam turbas excitare poteſt, ſi per ſe largius offeratur; mitior vero & abſtergentis melioris qualitatis conſors fit abſorbentium oſtracodermatum admixtione. *vid. ocul. cancri.*

7) *Pulpa albicans* concoctioni reſiſtit & inutilis eſt. *Floribus conditis* analeptica virtus, *ſemini* citri vero laus antidoti contra omnia venena tribuitur, ſed id quidem adhuc incertum eſt.

8) Proſtant ad vſum in officinis: ſuccus citri; ſyrupus acetoſitatis citri; ſyrupus de corticibus citri; cortices citri conditi; eſſentia, ſpiritus & oleum cort. citri &c.

93. SVCCVS CITRI.
vid. cortices citri.

94. LIGNVM FRAXINI.
vid. tab. de diureſi.

95. LIGNVM IVNIPERI.

1) Hoc aliquatenus fragrans lignum, præſertim ſi menſe Martio

Martio cædatur, & ſubtilibus terreis ſulphureis cum aliqua mucilagine temperatis partibus condenſatum, abſtergere paullulum & reſoluere comperitur.

2) Multi autem hanc vim in maius prouehunt, idque lignum in morbis venereis, ſcabioſis, frigidis catarrhalibus, ligno ſancto aut ſaſſafras comparant, aut prorſus anteponunt. Verum tamen fida ſatis & crebra documenta, quibus hæc efficacia euinci debuiſſet, nondum allata ſunt, vnde hoc in medio relinquimus. Interim inſeruire poteſt pauperibus, quos etiam ſummitates iuniperi non minus quam turiones ſambuci purgare dicuntur.

3) De *baccis* iuniperi ſupra & de gummi iuniper. *tab. ſqq.*

96. LIGNVM SANCTVM, ſeu GVAIACI.

1) Hoc lignum nigricans, durum, denſum & ponderoſum, odore fragrante, ſapore acri amariusculo, ex Americanis inſulis ad nos transportatur; atque vti reſoluentem, mundificantem, diaphoreticam & diureticam vim obtinet; ſic ſigillatim velut ſpecificum venereorum malorum remedium eximiis mactatur encomiis.

2) Neque tamen hic ſolum, ſed etiam in catarrhis viſcidis, vlceroſis & ſcabioſis ſordibus, itemque diuturna valida coryza & tuſſi humida, atque opportuno tempore in cachexia & anaſarca ſalubriter præſcribitur, dum modo frigidiora magisque phlegmatica ſubiecta, quippe quæ calidior & penetrans huius ligni vis non adeo adficit, obueniant, nam aliis parce exhibendum eſt.

3) Interim verum eſt, hodie Gallicum aliosque prænotatos morbos ſine huius ligni ſubſidio feliciſſime curari.

4) Sed vlterius progreſſi auctores quidam laudant idem in podagra, malo ſplenetico, ſcorbuto, colica, menſium fluxu retardato, epilepſia, phthiſi & febribus malignis. Quæ ſi ſatis fida & perpetua forent, hodie quoque prosperiore ſucceſſu gauderemus.

5) Nos potius ab huius modi ligni vſu abſtinemus, neque *oleum* eius *deſtillatum* niſi in vlceribus venereis ſuadere poſſumus, etſi alii id in arthritide, epilepſia, pellendo fœtu viuo & mortuo collaudent.

6) Denique notandum eſt, *corticem* ligno ab aliis præferri, ab aliis poſthaberi. Illud conſtat, illum eſſe acriorem ligno, & ſi effectum ſingularem ſpectes, minus adhuc exploratum.

7) Datur hoc lignum commodius in decocto quam eſſentia.

97. LIGNVM SASSAFRAS.

1) Eſt coloris ex albo rufescentis, odoris penetrantis, grati, aromatici, fœniculati, conſiſtentiæ poroſioris, atque ex America pariter ad nos defertur.

2) Principiis conſtat ſulphureis oleoſis acribus, volatilioribus, terreis pari modo ſubtilioribus intermixtis, atque hinc vires exerit reſoluentes, attenuantes, purificantes, diaphoreſin atque diureſin promouentes.

3) *Cortex* eius omnia principia conſtitutiua, præprimis ſulphurea in excellentiori gradu obtinet.

4) Vtrumque aggreditur maxime, corrigit & euacuat ſerum & lympham mucidam corruptam, ideoque conuenit in iisdem malis, quibus curandis *guaiacum* deſtinatur. Eſt tamen eo temperatius & pluribus ſubiectis conuenientius.

5) Salutatur alias catarrhorum alexipharmacum proprium, atque in renum vitiis (extra paroxyſmum tamen melius) & in arthritide ac podagra, ſed rarius optato cum ſucceſſu, frequenter in vſum traducitur.

6) Merito vero cum aliis dubitamus, illud vnquam in febribus, obſtructionibus viscerum, paralyſi, epilepſia, ſterilitate (niſi prorſus generali quadam vi) promiſſa expleturum eſſe.

7) Idem valet de efficacia eius in dentium doloribus, quos, ſi catarrhales ſint, pariter ac lignum ſanctum ſubinde leuat.

8) Nam extus quoque roborat & discutit & emundat, ideoque

eoque ad partium laxitatem, tumores frigidos & vlcera conuenit; atque vſurpatur hic in decocto, ſaculis, cataplasmatibus, oleo, intus pariter in decocto vel eſſentia.

98. LIGNVM SANTALVM ALBVM, RVBRVM ET CITRINVM.

1) Santali rubri principium eſt minus ſulphureum, ſed magis auſterum acidum terreſtre; albi & citrini vero partes ſunt magis oleoſo-ſulphureæ volatiles, terreis interpoſitæ.

2) Hinc quoque prioris vires magis adſtrictoriæ, poſteriorum autem reſoluentes magis, mundificantes & paullulum roborantes deprehenduntur.

3) An ergo rubrum ſantalum, vt multi laudant, in catarrhis acribus, hepatis obſtructione, febribus, phthiſi, atrophia, arthritide tutum probumque medicamen ſit, iure ambigimus. Potius, notantibus aliis, ſudoris eruptionem prohibet, & hæmorrhagias compeſcit, de reliquo tingendis eſſentiis inſeruire poteſt.

4) Et quamuis album ac citrinum meliora & in morbis frigidis ſeroſis, catarrhalibus, vlceribus, venereis malis & tumoribus adhuc recentibus intus & extus paullulum vtiliora ſint; tamen neque *ſpecies diatrionſantalon*, neque *emplaſtrum ſantalinum* promiſſos effectus repræſentant.

99. CAMPHORA.

1) E ſingulari arbore Indiæ ſ idat, atque etiam e radice canelæ Zeylanicæ per artem deſtillatur, principiis abundat ſulphureis adeo ſubtilibus, vt in aëre ſenſim abſumatur & quaſi contabescat, atque hinc poteſtatem acquirit valde calefacientem, discutientem & nonnihil tonicam. Qui accuratiorem camphoræ anatomiam deſiderat, legat *Neumanni* peculiarem tractatum, quo ſingulare hoc mixtum inflammabile phyſice explicuit, illudque neque gummi neque reſinam neque ſal volatile eſſe ſolide docuit. Nos medicos vſus hic tantum reſpicimus.

2) Plurimi limites virtutum eius ampliant, & camphoram, vt insigne cardiacum & alexiterium præsidium, interne ad quamuis putredinem (nam cadauera ab ea diu tuetur, & virus vincendum, ideoque ad febres malignas & pestilentes curandas, porro ad conciliandam tumultuantibus spiritibus blandam requiem, atque adeo ad melancholiam, maniam, phrenitidem, epilepsiam, palpitationem cordis, malum hystericum, quin & reiectionem sanguinis valere pronunciant.

3) Sed tamen alii Practici abnuunt, aut talem eius vsum variis definiunt cautionibus. Et profecto, nisi vis eius ignea nitrosis aliisque refrigerantibus temperetur, & in exilissima dosi præbeatur, plus noxæ adferre solet quam emolumenti.

4) Equidem constat, in mixtura simplici camphoram diaphoreticum & salutarem sæpe effectum edere; sed ibi nimium eius feruorem infringit acidum vitrioli, quod nisi largius accedat, mixturæ simplicis camphoratæ vsum haud adeo fructuosum comperimus.

5) Cæterum vnum aut alterum granum camphoræ pulueribus temperantibus immixtum offerri potest angina vel cholera simpliciore vel inflammatione ventriculi vel paraphrenitide (nam heic partes adfectas propius certiusque attingit adeoque stases facilius discutit) laborantibus.

6. Peramplus autem & egregius camphoræ vsus externus est, optimum quippe in inflammationibus & variis doloribus nimioque humorum ad partes læsas adfluxu subsidium. Quæ in nephritide exceptio valeat, numerus nonus docet. Quomodo vero commodius vbique adplicari debeat, in *tabb. medicis & chirurgicis* passim est præceptum.

7) Conuenit igitur vsus externus in cephalalgia, clauo hysterico, otalgia, ophthalmia (vbi & oculis caute imponi & de collo suspendi potest) deliriis phreneticis, dentium dolore catarrhali, inflammatione colli, ventriculi, pleuræ, hepatis, lienis; rheumatismo, erysipe-

ſipelate, phlegmone, gangræna, itemque circa ambitum vulnerum & vlcerum, vbi magnopere cauendum eſt, ne quid eius ipſis læſionibus continui inſpergatur.

8) Præterea in ſcabie ferina ardorem mitigat, & collo appenſa infantum æſtum acutum per diapnoëa lenit, & retropulſum forte ſudorem reuocat.

9) Omittenda vero eſt in nephritide, quia ſtimulo diuretico eam ſæpe exaſperat. In eius modi ſtaſibus humorum, quorum ſuppurationem potius, quam discuſſionem adiuuare res ipſa ſuadet, camphoram quidem omittendam vulgo commendant; ſed vti adfluxus discuſſio princeps momentum eſt therapiæ chirurgicæ, ſic camphoræ vſus hic quoque eximius eſt, & maturationem optime promouet.

10) Et quoniam camphora tantum ſubtiliores ſanguineas particulas discutere ſolet, non æque ſeroſas craſſiores; idcirco neceſſe eſt, vt in tumoribus & ſtaſibus ſanguineis quidem, ſed tamen ſimul mucidis, ei adminiculum ex croco vel farina fabarum & radd. reſoluentibus adiungatur. Quod ſi negligamus, interdum duriores & pertinaces tumores fiunt, tantum abeſt, vt diſſipentur.

11) Adplicatur vel per ſe in ſicca forma aliis admiſta, vel in emplaſtris, vel in ſpiritu; vbi notamus, ſpiritum vini *rectificatiſſimum* eſſe oportere.

100. ANTIMONII CERVSSA & CAETERA.
vid. paullo infra.

101. ANTIMONIVM DIAPHORETICVM.

1) Vſitatiſſima hæc calx ex detonatione antimonii cum iij. part. nitri facta, reſurgit, & diaphoreticorum remediorum princeps vocatur ex omnibus, quæ vulgaris Chymia ſuppeditat. ℈ ʒ ad ʒß.

2) Non ſolum enim ſudorem præcipue in tenerioribus efficaciter impellit atque promouet, ſed doſi quoque imminuta ad lenem diapnoën iuuandam & tuendam commode inſeruit; vnde hoc ſcopo illud aliis congruentibus permiſtum in omnibus febribus oppor-

runo tempore propinare expedit; ne infantibus quidem exceptis; hoc vnum prouidendo, vt in purpura ſimpliciore chronica duntaxat ab eo abſtineamus.

3) Speciatim autem in ſtaſibus inflammatoriis imminuendis & discutiendis præ aliis remediis huic prærogatiua quædam tribui ſolet.

4) Etſi vero *Syluius* id in vlcerationibus internis & hectica quoque præcellentem efficaciam habere prædicet; tamen hic vllam peculiarem laudem mereri nondum in confeſſo eſt.

5) Cæterum plane conſonat cum *bezoardico minerali*, quo propterea, vt pretioſiori, minime indigemus, multoque minus ob ſplendorem nominis in peſtilentia & febribus malignis præ alio confidere poſſumus.

6) Neque hilum ab his recedunt vel *ceruſſa antimonii*, vel *ſulphur antimonii* cum *nitro fixatum*, vel *mercurius vitæ* cum nitro fixatus, vel pauxillulum diſſimilis *materia perlata Crugeri*, ſeu *nix antimonii*. Vnde facile eſt intelligere præparationum talium vanitatem, meris opinionibus innixam, nec ſuperfluam modo, ſed & ſumtuoſam.

7) Eiusdem furfuris ſunt *bezoardica compoſita*, *ſolare*, *lunare* &c. vtpote quæ nullam ſingularem virtutem ex ſuperficiaria perfectorum metallorum additione haurire poſſe, ideoque non tam ægrorum corpora quam crumenam leuare, intelligentiorum Chymicorum iudicio exiſtimantur. Gratis etiam *bezoardicum Iouiale* ſuſpicitur tanquam præclarum in malignis febribus diaphoreticum, cum potius ex ſtanno qualitatem nauſeoſam ſtypticam nactum ſit & gradu ſolum ab *antihectico Poterii* diſtet, de cuius noxa alibi loquemur. Parem fere cenſuram ſubeunt alia antimonii iactata arcana, vt *flores* correcti *diaphoretici*; varia *magiſteria*; *tincturæ ex vitro*; *panaceæ* variis modis extortæ; quarum ſtupendas vires fidelis experientia nondum comprobauit.

8) Notamus adhuc *de regulo antimonii medicinali*, quod, cum ſub primo ortu compluribus admirationem ſui inie-

incecerit, prædicantibus, nihil fere eo excellentius esse in purificandis humoribus, in febribus acutis & intermittentibus, in scorbuto, gonorrhœa virulenta, obstructionibus viscerum &c. hodie ob infidos effectus euilescat, & merito non nisi gradu a *croco* antimonii *Rulandino* differre censeatur. *Conf. D. Caroli dissert. de hoc regulo.*

9) Neque *clysſi antimonii*, siue simplices ex nitro & antimonio; siue compositi ex nitro, antimonio & sulphure; vel ex nitro, antimonio & tartaro; digni sunt, vt tanto apparatu & sumtibus conficiantur. Nam nec *aquæ stimmi* nomen, nec insignem quandam laudem in nephritide, scorbuto, mereri, multoque præstantiora simplici via acquiri, satis apparet. Alias admisceri solent iulepis ad gratum acorem conciliandum. Et, si clysso vltimo tartarisato, loco aquæ, spiritus vini in excipulo præponatur; exsurgit *spiritus de tribus*, quem *carminatiuum Michaëlis* vocant, nempe crama ex acidis illis per spiritum vini aliquantum, vt aiunt, dulcificatis:

102. BEZOARDICVM MINERALE SIMPLEX & COMPOSITVM: *vid. iam dicta.*

103. CORALLIA PRAEPARATA. *vid. tab. de correctione cacochymiæ.*

104. MERCVRIVS DIAPHORETICVS. *vid. tab. de saliuatione.*

105. SVLPHVR & EIVS PRAEPARATA.

1) Est vel natiuum, vel artificiale. Prius rarius occurrit, posterius ex pyrita plerumque Schwefel-Kieß, qui simul vitrioli matrix est, educitur a metallurgis; atque hoc factitium iterum duplicis est generis, vel purius, citrinum; vel impurum, caballinum dictum.

2) Constat autem ex copiosis particulis inflammabilibus & fortissimis acidis, indeque medicam qualitatem nanciscitur partim incrassantem; partim etiam commouentem humores & expellentem.

3) Mirum enim est, sed iam satis compertum, sulphur crudum

dum ſeu eius flores, interne datos, ſcabioſa vlceroſa ſimplicia & venerea inquinamenta aliquantum expellere; (vnde ſi hæc retro acta ſint, confert) extus autem adplicatos, dictas ſordes in ſuperficie hærentes facile repercutere; quapropter talis ſulphuris vſus tum hic tum alibi in manatione aurium & impetigine infantum tutius omittitur, vel ſaltem parce & circumſpectiſſime adhibetur.

4) Ex eadem cauſa ancipitis aleæ eſt illorum conatus, qui varioloſa vlcuſcula, cicatricum & fouearum metu, ſulphureorum ope reſtringunt, aut his contra hæmorrhoides cæcas vtuntur.

5) Contra, ſulphur in catarrhalibus pectoris adfectibus, aſthmate humido, itemque exigua doſi in hydrope & inflammationibus internis (ſed ſtatim ſub initio aut declinatione) non ſpernendam virtutem habet. Fumus quoque illius fluentis, at flammam non adepti, pariter ac antimonii fuſi, tuſſim ſiccam ſuſpectam præſenter ſubinde compeſcit.

6) Nequicquam autem balſamum pulmonum ſalutatur. Etenim nec ſimplex ſulphur, nec præparata illius validiora phthiſicis, empyematicis, pleuriticis aut febre maligna peſtilente decumbentibus conueniunt, ſed potius vi ſua acriter humores commouente grauius periculum minantur.

7) De externo vſu iam aliqua innuimus. Certe vbique cautus eſſe debet, nec in variis efflorescentibus puſtulis aut ſordibus cutis, niſi alia congruentia præmiſerimus, nec in tumoribus, niſi hi valde mobiles, molles, benigni & ab internarum cauſarum fomento liberi ſint, facile tentandus.

8) Nunc pauciſſimis præparata ſulphuris attingemus; vbi primum *balſamum ſulphuris*, qui cum oleis deſtillatis fit, in ſummum abuſum trahi animaduertimus, dum in phthiſi, nephritide, calculo, dyſenteria, febribus non ſine periculo excandeſcentiæ humorum, grauioris vlcerationis, hæmoptyſeos, mictus cruenti ingeritur. Neque externis vulneribus & vlceribus ſingula-

singularem opem spondet, quin potius ob ardoris exasperationem omittendus & melioribus, quæ prostant, postponendus videtur. Mitior est *balsamus sulphuris Rulandi*, atque ille, quem *Rothius* in chymia sua cum oleo lini parare docet.

9) Nobilior multis putatur *rubinus sulphuris*, sed speciosum nomen, cui omen non respondet, fallere debet neminem. Neque enim a priori modus parandi magna promittit, nec a posteriori certa virtutum eius singularium constant documenta.

10) Idem valet de multis aliis sulphuris productis & speratis arcanis; vbi quidem in aëre piscantur, qui verum *oleum* aut *pinguedinem* quandam, exspectatissimum scilicet pulmonis balsamum, e sulphure tentant separare. Etenim nihil olei ei inest, sed tantum magna siccarum flagrabilium particularum abundantia. Cæterum *spiritus sulphuris acidus* cum spiritu vitrioli puro conuenit, in parua dosi refrigerans, in maiori valde coagulans, & tandem arrodens.

106. TERRA SIGILLATA STRIGENSIS, LEMNIA, MELITENSIS, SAMIA.

1) Omnes huius modi terræ medicæ a vulgaribus bolis non differunt nisi subtilitate, qua linguæ protinus adhærescunt; ac pleræque non nihil acidi adstringentis, omnes aliquid martiale continent; vnde calcinatæ rubicundiorem induunt colorem.

2) Differentia igitur potissimum a loco natali desumitur, & sic alia Silesiaca, alia Laubacensis, alia Lemnia, vel Turcica dicitur. At in vsu medico nullam insignem varietatem deprehendimus, vt propterea haud necesse sit, loco nostratium pretiosas Turcarum terras sibi aduehendas curare.

3) Atque hoc eo magis superuacuum est, cum in totum hæ terræ non multum valeant, & prorsus destitutæ sint virtute singulari alexipharmaca, ob quam vulgo in venenis subigendis, febribus acutis & coniuncta iis diarrhœa, aut dysenteria maligna extolluntur.

4) Profecto multi prudentes Practici hodie cognoſcunt ex huius modi vſu non leue periculum aut damnum imminere. Cum enim paullulum adſtringunt & inteſtinis, luti inſtar, tenacius adhærent, tum naturæ labores aggrauant, & ſalutarium excretionum progreſſum interdum funeſto cum euentu interuertunt; quapropter abſtinemus, præſertim cum in diarrhœis acutarum iam felicior methodus innotuerit.

5) Neque in aliis morbis peculiaris harum terrarum vtilitas comperta eſt; vnde pro ſuperfluis fere habentur. Saltem fruſtra ex iis ſolutiones & magiſteria parantur, quorum ieiunitatem iam alii demonſtrarunt. Prorſus etiam ridicule *ſtagma* illud *acidum*, quod per ignem ex his terris propulſum capitur, febribus malignis aiunt conuenire.

104. GEMMAE.

1) Duriſſima & compactiſſima hæc naturæ corpora ad medendum efficacia eſſe alii aiunt, alii negant. Etſi autem modus agendi obſcurior ſit; tamen plerasque gemmas, præcipue *hyacinthum orientalem* & *ſmaragdum* teneras corporis ægri membranas non nihil ſtringere, adeoque vim ſubtilem tonicam exſerere, omnino attenta perdocet experientia.

2) Placant exinde aliquantum grauiores commotiones & trepidantem naturam paullum confirmare videntur, adeoque conferunt in palpitatione cordis, terrore, pauoribus infantum, moliminibus abortiuis &c. Nec fruſtra eas pulueri ſuo contra calculum admiscuit *Volkamerus*, quippe vtiles ad ſpaſticum dolorem calculoſis infeſtum leniendum. Quo tenerius autem & ſenſibilius ſubiectum eſt, eo præſentior appareret effectus.

3) Generoſas vero planeque admirandas vires alias, tum antiqui, tum pauci recentiores illis adſcribunt. Nam *Plinius* iam memorat, adamantem & venena irrita facere, & lymphationes abigere, metusque vanos expellere. Sic aliæ gemmæ commendantur contra viru-

virulentos ictus, malignitatem peſtilentem febrilem (vnde *puluis Bezoard. compoſitus Sennerti* & *rubeus Pannonicus* rubinos, ſmaragdos, hyacinthos recipit) inquietudinem, timorem, ſomnolentiam, laſciuiam, imo prauas cogitationes; nonnullæ aduerſus hæmorrhagias, dyſenteriam, choleram, epilepſiam, fascinationes; aliæ ad viſum acuendum, ad inſomnia terribilia abigenda, quin & ſapientiam conſequendam valere putantur: ſed quis non videt talium elogiorum matrem, ſuperſtitionem? qua abiecta facilius erit veritatem perſcrutari.

4) Ingentis quoque exiſtimationis ſunt gemmarum *tincturæ* a Chymicis promiſſæ; ſed pleræque miſerabiliter extortæ ſtatim fidem amiſerunt; ac fere deſperant de iis hodie, deficiente aceto radicis, quo ſcilicet *Paracelſus* illas parare conſueuit.

5) Cæterum neceſſe eſt, vt hi lapides, ſiquidem meliorem effectum deſideres, in tenuiſſimum & ad fidem dentium plane non ſtridulum pollinem comminuantur; cui an diuturniore tritu & affuſione aquæ intimas virtutes magis elicere poſſimus, vt credit *Borrichius*, tempus certo definiet.

6) Proſtant e gemmatis compoſitionibus *ſpecies de hyacintho*, quibus, etſi multa alia conſueto more immixta ſint, tamen commode parciore doſi vtimur in omnibus efferis ſanguinis profluuiis, hæmoptyſi, fluxu lochiorum nimio &c. Minus hodie vſitatæ ſunt *ſpecies de gemmis frigidæ* aut *calidæ*.

108. CONCHAE PRAEPARATAE & OSTREARVM TESTAE.

1) Succedaneæ hæ ſunt *matri perlarum* vel *conchæ margaritiferæ*, & abſorbenti qualitate inſignes, ideoque ad generalem vſum magis quam ſpecialem idoneæ; vid. plura ſub *ocul. cancr.* & *teſtis ouorum*, quibus cum hæ conueniunt.

2) Si fortiori igne tractentur, inuertuntur aliquantum & denique calcis viuæ inſtar cauſticum produnt ſa-

porem; vti & Batauis in vſu eſt, ex eiusmodi conchyliis veram calcem parare.

3) Saturata vero acidis vegetabilibus purioribus, e. g. ſucco citri, hoc modo vires adſciſcunt efficacius abſtergentes & diureticas. Proſtant hinc *ſolutiones concharum*, & *ſpecificum antifebrile Strobelbergeri* adeo decantatum; quod ex conchis tantum aceto ſaturatis conſtare aſſeritur. Cæterum *mineralia acida* hic non æque congruunt; vtpote a quibus alia partim ignota, partim minus proficua vis talibus abſorbentibus accedit.

CORNV CERVI VSTVM, PHILOSOPHICE PRAEPARATVM, SPIRITVS & SAL VOLATILE.

1) Quemadmodum ceruus totus alexipharmacus eſſe vulgo creditur; ſic præcipue cornu illius coctum (præparatione ſcilicet philoſophica in olla vel alembico) ad malignitatem febrium vincendam & ſudorem pellendum conferre multi adſtruunt. Sed omnino per quam ambigua & occulta qualitas hæc eſt; manifeſtius ex indole ſua glutinoſa & terrea generaliter ad abſorbendum, temperandum, inuoluendum inſeruit, vt C. C. *raſpati* & *gelatinæ* vſus teſtatur.

2) Fruſtra certe, vbi vera malignitas adeſt, in hoc philoſophorum arcano ſpem ponimus, neque *C. C. vſtum* in diarrhœis acutarum, cholera & hæmorrhagiis adeo frugiferum comperimus. Eſt enim terra animalis calcaria non ſolum abſorbens, ſed & ſtyptica, præſertim ſi acido coniungatur. Vnde nec proderit illud verminantibus pueris ſæpius ingerere, quia meliora anthelmintica habemus.

3) Superflua quoque eorum ſollicitudo videtur, qui *C. C. deciduum* tantopere venantur. Tantum enim abeſt, vt perfectius ſit, vt potius maiorem virium medicarum inertiam prodat. Alterum quidem ex deciduis raro inuenitur, adeoque maximi vulgo pretii habetur, cum putant ceruum velut conſulto tantum theſau-

theſaurum abſcondere; ſed probabilius eſt, hoc animal, vbi vno cornu ſe iam orbatum & exarmatum ſentit, intra denſiores ſyluas ſe abdere atque ibi illud tandem deponere, qua propter non mirum eſt rarius id ſe venantibus offerre; *confer Stahlii programm. de C.C. deciduo.*

4) *Spiritus & ſal cornu cerui volatile* purum, *producta* potius quam *educta* ſunt ab artifice, ideoque fruſtra alexipharmacam cornu cerui virtutem retinere & praeclara acutarum febrium remedia eſſe traduntur. Multo certius & tonum ſolidarum partium intendunt & humores commouent ac per diureſin euacuant, cæterum in febribus damnoſa, vt alibi oſtenſum eſt.

5) E tenellis cornubus, quæ *typhas* ceruinas vocant, *aqua ſpirituoſa* deſtillatur, ad epilepſiam, palpitationes cordis & febres acutas pariter deſtinari ſolita, quibus leuandis an ſufficiat, itidem dubitamus.

6) Vaniſſimum autem eſt, *os de corde cerui* (quod putant eſſe tendines muſculorum cordis circa arteriæ magnæ exortum, qui ætate indurati in cartilaginem ac tandem os degenerans, ſicut etiam in bobus aliisque animantibus interdum tale os reperitur) mederi cordis imbecillitati, vnde confectionem alchermes ingreditur, item abortus motibus; Non minus friuolum eſt, *lacrymas cerui*, quæ pro glandulosis partibus circa oculorum angulos ſitis habentur, malignis febribus conuenire.

7) Vtilior ducitur *priapus cerui*, quem *Ettmüllerus*, aliique in dyſenteria & pleuritide, non nulli etiam in colica & hyſterico malo commendant.

110. FORMICAE & EARVM SPIRITVS.

1) Præ omnibus inſectis ſingulare quid fouent, nempe copioſum acidum volatile, quo fit, vt violarum vel cyani flores cœrulei in aceruum formicarum iniecti illico rubicundo colore tingantur. Optimæ vero & efficaciori acido præditæ cenſentur, quæ plenas reſiniferis arboribus & betulis ſyluas incolunt, luna crescente collectæ.

2) Pelluntautem diuresin & peculiarem vim ad omnes sensus recreandos, magnanimitatem & robur addendum, adeoque ad morbos senum, vertiginem, apoplexiam, catarrhum suffocatiuum, paralysin, impotentiam virilem, sterilitatem, item memoriæ debilitatem subleuandam consecutæ existimantur.

3) Atque hoc quidem tam interno, quam externo vsu; quamquam multi adhuc maximam harum laudum partem non agnoscant ideoque iis, quoad e certioribus experimentis veritas eluceat, diffidendum putent.

4) Extus vtiliores sunt ad roborandum tonum, & propterea in paralytodea relaxatione, tremore, morbis spasmodicis arthriticis (at in horum remissione & exitu duntaxat, alias sæpe dolorem augent) item auditu difficili & tinnitu laudantur.

5) In hunc vsum balnea ex myrmecio, seu formicarum aceruo fiunt, vel qui præstat *spiritus formicarum* cum spiritu vini rectificato paratus (vt insigne antiparalyticum,) vel aliæ compositiones, quarum basin formicæ constituunt, v. g. *aqua magnanimitatis Laurenbergii* ab *Ettmüllero* commendata adhibentur.

6) Sed tamen & alia producta laudantur, vti: liquor e formicis & earum ouis in clibano per digestionem paratus, in suffusione aliisque oculorum & aurium morbis; *spiritus vrinosus* tam e putrefactis formicis, quam e recentibus cum calce viua confectus in cerebri morbis, arthritide, scorbuto, hydrope, vt volunt, nobilis, quæ vt experientia confirmet, vehementer omnes practici optabunt.

III. SANGVIS HIRCI.

1) Hunc in primis *Helmontius* magnis laudibus extulit; atque vulgo, vt efficacior acquiratur, curiose caprum *nigrum* ruta muraria aliisque balsamicis herbis ante nutriendum, tum illo de cornubus suspenso, sanguinem ex incisis genitalibus excipiendum & leni calore exsiccandum præcipiunt.

2) Sed

2) Sed alii hodie pleraque hæc non neceſſaria credunt, & illius vires in ſanguine coagulato diſſoluendo, in pleuritide & paralyſi laudum cumulo minime reſpondere experiuntur.

3) Certe ſi ſolus hic ſanguis ſine regimine ſudorifero detur, parum efficere ſolet, vnde & in calculo, quem tamen ex adſeueratione *Scaligeri* certiſſime frangit, non multum valiturus videtur. Fruſtra quoque *oleum* ex ſanguine hoc deſtillatum podagræ & contracturæ prodeſſe tradunt.

n2. LAPIS BEZOARDICVS ORIENTALIS & OCCIDENTALIS.

1) Horum vſus ob caritatem & frequentem adulterationem merito rarus eſt; namque ex millenis vix vnus genuinus Perſicus in Europa reperitur, & creberrimas fraudes ſubeſſe ex eo liquet, quod apud nos plures & viliori pretio proſtent quam in ipſis Indiis. *Conſer D. Kæmpfer amœnit. exot.*

2) Præſtantiſſimus habetur *Perſicus*, in ventriculo capriceruæ natus, cuius bonitatem color viridans, cœruleus vel in alterutrum nigricans, ſubſtantia inter lapidem & reſinam ambigua, in acido nitri vel ſalis ſpiritu ſolubilis & menſtruum rubro colore tingens, aliæque plurimæ notæ indicant. At hi rariſſime; ſæpius vero alii ex aliis Indicis animantibus deſumti, vel arte fabricati, vero Bezoardico ſimiles, ad nos perueniunt.

3) Non eſt itaque, quod multa de eius principiis & virtutibus proferamus, præſertim cum magnopere inter ſe diſſideant autores, aliique ſummam & potiſſimum contra omne virus efficaciam, alii fere nullam, alii denique mediocrem humores noſtros commouentem & diaphoreticam qualitatem his lapidibus adiudicent. Adeo nihil certi conſtat, veriorum experimentorum penuria.

4) Bezoardicus *occidentalis* in capra ſylueſtri *Peruana* reperiri traditur, e laminis albidis gryſeis diſcoloribus coagmen.

coagmentatus, minus ſplendens, in ſuperficie ſcaber & maior plerumque *orientali*. Vti autem hoc vilior eſt, ſic in dupla doſi præſcribitur. Sed de hoc eadem, quæ de priore diximus, valent.

5) Multo autem plures lapides bezoardicorum nomine in Indiis circumferuntur, quos e variis cornigeris ſylueſtribus, item e porcis, capris domeſticis, e ſimia (qui quidem omnium pretioſiſſimus eſt) depromunt; quo etiam ſequens pertinet.

113. LAPIS PORCINVS ſeu PEDRA DE PORCO.

1) Eſt coagulum bilioſum, rotundum, leue, aliquantum compactum & vnguinoſum, colore rufum, ſapore amarum, magnitudine nucis myriſticæ vel iuglandis; ac reperitur in cyſtide fellea hyſtricum terræ Malaicæ.

2) Præſentiſſimam vero dicitur habere facultatem cardiacam & reſoluentem, qua medetur febribus malignis, ictero, viſcerum obſtructionibus; ſed tanti quoque æſtimatur, vt in ditiorum ſolum & Principum manibus ſit. Vnde rariſſimus eſt & in Batauia tantum a quibusdam medicis adhiberi ſolitus. *Confer Tulpii obſeruat.*

3) Vſus eius eſt, vt per aliquot horas in hauſtu aquæ ſimplicis ſuſpenſus interdum agitetur. Sic, grani pondere vix imminutus, imbuit & amarore & virtute ſua aquam ægro pro vna doſi propinandam.

114. LVMBRICI TERRESTRES.

1) Salinis ſuis nitroſis & terreis partibus, reſoluunt aliquantum & diureſin promouent, inprimis autem antiſpasmodica virtute potiti ſunt.

2) Quamuis enim *B. Ludouici* laudatum eorum vſum cenſoria virgula acriter caſtiget & fere condemnat; tamen ſingulari & ſpecifico plane effectu motus conuulſiuos, ipſamque epilepſiam ſedare, itemque vt *Wierus* aliique teſtantur, arthritidem vagam ſæpe lenire compertum eſt.

3) Com-

3) Commendantur alias etiam ad icterum, hydropem, lactis defectum & prorsus dubie ad mensium suppressionem, dysenteriam, vermes puerorum, quibus vltimis potius multiplicandis quam exstinguendis forte subseruient.

4) Quo minus autem eorum mixtio per artificiosas præparationes immutatur, eo certiorem & euidentiorem effectum præstolari possumus. Vnde optime præscribitur 1) simplex puluis præparatus 2) succus per additionem vini expressus, quem *Wierus* crebro adhibuit 3) liquamen, in quod vel sine igne vel in vitro conditi & massa panaria obuoluti clibani calore abeunt. *Spiritus* autem, qui nudo igne paratur, est maxime inuersus, vti & non parum ille, quem putrefactio generat, etsi hic a nonnullis valde laudatur ad hydropem & paralytodem membrorum debilitatem.

5) Extus eadem hæc adplicari possunt; & quidem tum artubus arthritico dolore vexatis, tum inprimis panaritio imponuntur viui lumbrici, donec illi immoriantur, quo facto eos in locum, vbi cito putrefieri queunt, recondere non absre erit. *Confer Stahl. diss. de lumbric. terrestr.*

115. MATER PERLARVM.

1) Sicut omnia ostracodermata contexta sunt ex materia terrea mucida maximeque tenaci, sensim in lapideam eiusmodi duritiem abeunte; sic quoque mater perlarum ad horum familiam pertinet, atque hoc nomine insignitur, quoniam in sinu suo perlas seu margaritas recondit.

2) Etsi vero perlarum mater absorbendi & temperandi virtutem obtineat, tamen alia huius generis singulari effectu haud antistare deprehenditur, vnde omissa repetitione lectorem ad ea, quæ alibi de testis ostrearum exstant, abiegamus.

3) Extus harum subtilissimus puluillus in ophthalmia serosa in oculos solet sufflari.

5) *Margaritæ* ipſæ, quæ defæcatiores tantum huius conchæ partes reputantur, præter dictas matris vires etiam roborantem & leniter tonicam virtutem edere a quibusdam creduntur, neque id prorſus friuole; ſiquidem teneris & delicatis ſubiectis debilibus, opportune datæ, aliquantum ſubueniunt.

116. MANDIBVLAE LVCII PISCIS.

1) His tum abſorbens, tum etiam detergens qualitas ineſſe iudicatur, vnde non nihil conferunt in puncturis laterum, tuſſi acriore & vlceroſis renum vitiis.

2) Num autem verum ſpecificum antipleuriticum præbeant, itemque phthiſi, gonorrhœæ & fluori albo medeantur, multi ambigunt.

117. SANGVINIS & CRANII HVMANI SAL VOLATILE.

1) E ſanguine humano varia ſecreta quæruntur magis quam confiunt; atque vti permultæ virtutes ipſi tribuuntur, ſic ſpiritus & ſal volatile eius aut cranii humani non ſudoriferum modo audit, ſed etiam ſpeciale remedium apoplexiæ & epilepſiæ.

2) Quod quidem vt auſpicato vbique euentu vota noſtra expleret, valde optandum eſſet, præſertim in apoplexia, ſed certe nihil ſingulare de eo experimur. Nec a priori præ aliis ſalibus volatilibus apparet prærogatiua. Omnia enim vrinoſa volatilia per ignem vel putrefactionem producuntur vniformi pene mixtione, & efficacia a corporibus, vnde ſui materiam hauſerunt, longiſſime recedente. *vid. tab. de diureſi.*

118. VIPERARVM CARO, SAL VOLATILE & OSSICVLA.

1) Viperas, omnium ſerpentum maxime venenatas, admirabilem nihilominus vim alexipharmacam, reſtaurantem & balſamicam tenere plurimorum opinio eſt.

2) Exinde fit, vt grauiſſimis morbis, febribus malignis, ſcabiei contumaci, lepræ, lui venereæ, ſterilitati mulierum, hecticæ, ſtrumis & ſcrophulis conuenientiſſimæ prædicentur; quæ vires ſi modo ex parte conſtantes & perpetuæ ſint, dolendum ſane eſt, illas non frequentius adhiberi, adeoque impedimentum obiici,

iici, quo minus ad plenam harum virtutum cognitionem perueniamus.

3) Illud euidentius experientia oſtendit, quod caro & hepar viperarum aduerſus morſum ab iis inflictum ſat nobile ſuppeditent antidotum.

4) Incertiora autem & ſpecifica vi nudata ſunt ſal volatile & ſpiritus viperarum, vti optime iam monet *Ettmüllerus*. Melior ergo eſt ſimplex puluis aliis congruentibus, quia facile in putredinem ruit, condiendus.

5) Cæterum officula nec ad fascinationes, nec ad contracturas ſalutaria reperiuntur.

119. VNICORNV VERVM & FOSSILE.

1) Genuinum terreſtre pro veterum commento & non ente habetur. Quod vero hodie eius loco proſtat, deſumtum eſt e pisce quodam cetaceo, circa Grœnlandiam vagante.

2) Conuenit ex ſententia multorum cum ebore & cornu cerui, vnde facile iudicium ferri poteſt de iis laudibus, quas alii in hoc marinum cornu congerunt; cum ſpasmos, conuulſiones, epilepſiam, febres malignas, omniaque venena ſuperare dicitur.

3) *Vnicornu foſſile*, quod & *ebur foſſile* vocatur, copioſe paſſim in Germania eruitur indolis ambiguæ variisque doctorum contentionibus fruſtra tentatæ, donec *D. Carolus* animalem eius mixtionem in *lapide ſuo Lydio* e chymia ſolide demonſtrauit.

4) Cum igitur exarefacta quædam & partim vetuſtate corrupta oſſa ſint, quæ terra margacea plerumque circumcludit; certe neque ex illorum craſi, neque ex integumento margæ apparere poteſt ſingularium virtutum ratio.

5) Vnde abſorbent quidem & ſubadſtringunt, ſed cordiali & alexiteria vi, quam multi in cœlum efferunt, prorſus vacua videntur.

COMPOSITA.

120. ESSENTIA ALEXIPHARMACA STAHLII.

1) Ex apta ſelectorum ſimplicium commiſtione ſuauem &

polychreſtam adepta temperiem, facultate pollet reſoluendi, discutiendi, nociuas agilesque humorum impuritates per ſudorem & vrinam moderate expellendi, adeoque, dum languentem naturam grata vi excitat & ſubleuat, vires roborandi.

2) Deſcriptionem eius dedimus in *tabb. medicis*, vbi, ſi quis forte ex largiore acceſſu ſpiritus vini rectificatiſſimi, qui ad extractionem requiritur, nimiam ſanguinis commotionem, præſertim in teneris poſt crebriorem vſum, metuat; ab extracta Tinctura quarta aut tertia circiter pars volatilioris ardentiſſimi ſpiritus deſtillatione ſegregari poterit; ſic concentratam & ſimplicium viribus magis imbutam acquirimus eſſentiam. Cæterum ſi calidior ex pluribus ingredientibus conflata in certis caſibus non adeo conueniens videatur, temperatiorem ex ſcordio & pimpinella alba priori ſurrogare expediet.

3) Specialem huius remedii vſum vt paucis attingamus, conuenit præcipue in omnibus pene febribus, iuſto tempore data, & ſub finem earum continuata, non tantum vires reſtaurat; ſed etiam, ne motus reſidui febriles in lentam vel hecticam transeat, ſæpe feliciſſime prohibet. Vbi quoque turgida inflatio ſub variolarum ebullitione abeſt, aut ipſæ variolæ aliaque exanthemata retrogreſſa mortem minantur, ſæpe ea moderata expulſione ſalutem reduxit. Porro inſigniter confert vitiis lymphæ & catarrhalibus malis, coryzæ, grauedini, brancho, rheumatismis; tutoque reſoluit & expectorat in tuſſi, vomica pulmonum, empyemate, quin & phthiſi tempore euſtadias. Nec reſpuenda eſt in quauis humorum ſpiſſitudine, quam diuturno parco vſu, inprimis motu corporis coniuncto, attenuat, & ad faciliorem circulum ac ſinceri ſanguinis ſalubrem exitum in ſuppreſſione menſium & lochiorum præparat.

4) Cæterum parcis & repetitis doſibus, non autem in magno

gno feruore & orgasmo ſanguinis, neque in febre ephemera, ſynocho, cauſo &c. facile eam porrigere conuenit.

121. ESSENTIA LIGNORVM.

1) Adhibetur in morbis frigidis, ſeroſo-lymphalibus, catarrhalibus, diuturnis, cachexia, anaſarca, ſcabie inprimis venerea; quamquam decocta lignorum fere crebrius & vtilius præſcribi ſoleant. *vid. ſupra ſub lign. Guaiac. & ſaſſafr.*

122. FRACASTORII DIASCORDIVM.

vid. ſub ſcordio.

123. LIQVOR CORNV CERVI SVCCINATVS.

1) Fit ex ſale volatili ſuccini, quod acidæ indolis eſt, cum ſale ſeu ſpiritu volatili vrinoſo cornu cerui maritato. Atque vti alias in motibus epilepticis laudatur, ſic nos ipſum præcipue in hemiplexia & paralyſi ad roborandum denique tonum efficacem reperimus. *vid. ſub ſuccin.*

124. MIXTVRA SIMPLEX.

1) Hæc modo rite confecta & non largius camphorata in æſtuoſis commotionibus & febribus continuis, vbi leuem ſudorem euocare confert, præcipue in ſexu maſculino vtiliter vſurpatur; ſed tamen effectu plerumque meliore, ſi antea eſſentiæ alexipharmacæ portionem quandam admiſcueris.

2) Minus concinna vero & ſalubris correctio videtur, quam aliqui, omiſſo acido vitrioli, per ſpiritum nitri aut ſal volatile vrinoſum tentant.

125. THERIACA & METHRIDATIVM.

1) Vtramque hanc inconditam compoſitionem multi recentiores emendatione & contractione indigere non diſſimulant; vti non nulli iam ipſam interpolare ſtuduerunt: ſed tamen quia per tot annorum ſeriem perpetuato vſu magnam virium opinionem habuit, neque eam hodie prorſus amiſit, tolerandam & non plane reiiciendam arbitrantur.

2) Est autem vtique, in primis theriaca Andromachi, confusa multorum futilium & superfluorum farrago; quam aliqui rudi indigestæque moli comparant, in qua calida cum frigidis, amara & acida cum dulcibus, purgantia cum narcoticis, sudorifera denique cum adstringentibus pugnare videas.

3) Notandum autem est, in vna drachma theriacæ, si recte calculus initus sit, duo grana opii continerii; atque hæc eo magis, si recentior massa sit, vim suam stupefacientem edere, quæ vero, vbi diutius fermentata & vetustior est, fracta aliquantum imminuitur.

4) Quod denique ad efficaciam eius attinet; si veterum præconia audias, tantum non panaceæ titulus ipsi competit; si hodiernam experientiam consulas, minime tuetur pristinam gloriam; sed multis aliis & quidem simplicibus cedit medicamentis. Nam & in febribus malignis, ad quarum virus edomandum insigniter valere celebratur, fert posteriores. Quid? quod dubitant nonnulli vsum eius hic innocentem esse, præsertim cum sæpe turbas det ac in nouissima Polonorum pestilentia ferales effectus ediderit, adeo vt ea grassante theriacam publico magistratus edicto proscriptam aliquando legamus.

5) Certe in vero periculo tenerioribus minus conuenit theriaca, sed relinquitur potius plebi & rusticis, qui vt ei superstitiose fidunt, sic incongruentem hanc mixturam robore suo facilius concoquere possunt, eademque leuiores morbos felicius depellunt.

6) Extus ea adhibetur in cephalalgia, sed caute, vomitu nimio, colica, morsu & ictu venenato. Neque tamen hic quoque iis laudibus digna est, quibus vulgo condecoratur.

7) *Theriacam cælestem* quantum sublime nomen effert, tantum quoque deprimit inconcinna multiplicium farrago. Ad minimum operoso labori & sumtibus parcere, opiumque correctum cum paucis simplici-

um

um alexipharmacorum extractis miſtum eodem effectu dare poſſemus. Reuera enim hæc maſſa nequaquam diuinis virtutibus excellit, ſed potius circumſpectum ſui vſum poſtulat in febribus, doloribus ſpaſticis &c. nec temere præſcribenda eſt, niſi anodyni alicuius vtilitatem præſentis morbi ſtatus edoceat.

126. TINCTVRA BEZOARD. MICHAELIS.

1) Huius compoſitio varie deſcribitur; ea quidem, quam Schrœderianæ pharmaciæ editio nouiſſima tradit, magnam ingredientium multitudinem oſtentat, e quibus ſi plurima reſecarentur, idem fortaſſe aut melior adpareret effectus.

2) Videtur autem calidioribus vegetabilibus adhuc nimis referta, quamquam opio, vt pleræque aliæ ſolent, non adeo imbuta vel corrupta. Quapropter non contemnenda penitus, cæterum temperatioribus mitiganda eſt. Nec ineptum eſt, illam cum mixtura ſimplici mixtam parcius exhibere.

127. Vltimo non plane reticenda videtur *apricatio;* qua veteres philoſophos Græciæ ſe vel delectaſſe vel ab imminentibus morbis præmunire voluiſſe legimus. Sed notandum eſt, eosdem ſimplici victu contentos plerumque parcius & durius, quam Germanorum mos eſt, vixiſſe, adeoque a nimia humorum abundantia liberos facilius æſtum ſolis ad vſum quendam ſudoriferum pertuliſſe. In noſtro autem climate idem imitari vix conſultum fuerit, niſi vel easdem frugalitatis regulas amplecti, vel quotidianas corporis exercitationes adiungere placeat, quibus futurum eſt, vt ſub ſolis ardore magis magisque indureſcamus, & non ſecus, ac agricolæ aliique laborioſi operarii, qui ruſtica hac apricatione gaudent, diu vegeti & a morbis chronicis tuti viuamus.

TABVLA V.
DE
DIVRESI.

I. *DEFINITIO.*

Diureſis eſt euacuatio ſeri ſalino-oleoſo-mucilaginoſi, quod in renibus ſecernitur & per meatus vrinarios eliminatur. Deriuatur a διὰ, per & οὐρέω, mingo.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Diureſis eſt
   1) vel *ſpontanea* ſeu *naturalis*, qua natura ſerum noxium quotidie ex corpore proſcribit.
   2) Vel *artificialis*, quæ per congrua remedia in eumdem ſalutarem finem inſtituitur.
2. *Materiæ*, quæ per vrinoſum laticem excernuntur, ſunt
   1) vel *ordinariæ*, nempe aquoſæ, mucidæ, ſalinæ, oleoſæ & terreæ.
   2) Vel *extraordinariæ*, quæ in ſtatu præternaturali obſeruantur, videlicet ſanguineæ, ſanioſæ, vlceroſæ, purulentæ, ſabuloſæ, calculoſæ.
3. Quem ad modum diureſis *naturalis* ordinarie quidem placide & ſine moleſtia ſuccedit, non numquam autem ingentibus doloribus ſpaſticis abſoluitur: ita & *artificialis* diureſeos promotio his phænomenis circumſcribitur. Namque
   1) modo placida *humorum* alteratione & aliorum impedimentorum remotione diureſin ita adiuuamus, vt effectus diureticus ſine incommodis obtineatur.
   2) Modo vehementioribus remediis *vias* ſtimulamus, atque hac ratione diureſin quibuscumque ſpaſticis motuum exacerbationibus *directe* & *poſitiue* vrgemus, vti ſub *modo operandi* fuſius indicabimus.

III. *IN-*

III. *INDICANTIA.*

1. Diureſis placida & moderata vbique ferme ſuum vſum oſtendit. Quem ad modum enim naturalis huius excretionis ſucceſſus ad principes, neceſſarias & quotidianas corporis expurgationes omni iure referenda eſt; ita non facile datur morbus, ſiue ſit chronicus, ſiue acutus, in quo artificialis huius euacuationis promotio, quando leniter inſtituitur, incommoda aut damnoſa eſſe poſſit.
2. Speciatim conducit in febribus, præcipue declinante paroxyſmo, & quando ſolutio morbi per diureſin ſperanda eſt.
3. Paullulum efficacior diureſis requiritur in chronicis adfectibus e.g. in ſcabie, ictero, hydrope, ſtranguria, dyſuria, iſchuria, ſabulo renum & veſicæ. Item in menſium obſtipatione.
4. Diureſis autem *poſitiua* & *directa*, quæ per remedia ſtimulantia inſtituitur, anguſtiſſimis terminis definita eſt, vti ſub cautelis dicetur.

IV. *INDICATA ſeu REMEDIA.*

Hæc ab auctoribus ob diuerſam indolem in tres gradus diſtribuuntur, de quibus ſub *cautelis* dicemus ſpeciatim.

A. VEGETABILIA.

1. *Radices:* Allii, Apii, Ari, Ariſtolochiæ, Aſparagi, Bardanæ, Carlinæ, Caryophyllatæ, Ceparum, Dauci ſeu paſtinacæ ſylueſtr., Dictamni albi, Eryngii, Fragariæ, Gentianæ rubræ, Graminis, Helenii, Herniariæ, Imperatoriæ, Leuiſtici, Naſturtii, Ononidis, Pareiræ brauæ, Petaſitidis, Petroſelini

Pimpinellæ albæ
Raparum
Raphani
Saxifragæ
Squillæ
Valerianæ
Vrticæ minoris.

2. *Herbæ:* Capilli veneris
Chærefolii
Hederæ terreſtris
Linariæ
Naſturtii
Petroſelini
Veronicæ
Virgæ aureæ.

3. *Flores:* Arnicæ
Bellidis
Geniſtæ
Hyperici
Linariæ
Violarum.

4. *Semina & fructus:*
Bardanæ
Carui
Corticum aurantiorum
citri
Cumini
Dauci
Hyperici
Milii ſolis
Sileris montani
Violarum
Vrticæ
Amygdalæ amaræ
Baccæ alkekengi
Baccæ iuniperi
Lauri
Fructus cynosbati
Nuclei perſicorum,
Ceraſorum.

6. *Gummi-reſinæ* pleræque
Ammoniaci
Bdellii
Galbani
Iuniperi
Olibani
Sagapeni
Terebinthina
Balſamus de Copaiua
Peruuianus.

7. *Ligna*
Fraxini
Guaiaci, ſeu ſanctum
Iuniperi
Nephriticum
Saſſafras.

8. *Salia vegetabilium* alcalia fixa
Cardui benedicti
Fullonum
Geniſtæ
Imperatoriæ
Ononidis
Stipitum fabarum
Tartarus & eius præparata, e. g.
Vitriolatus
Tartariſatus
Cryſtalli
Terra foliata & eius liquor

Sal

Sal
Spiritus
Tinctura.

B. MINERALIA.

Antimonium crudum
eius
clyſſus tartariſa-
ſatus
tinctura
Borax
Calcis viuæ ſpiritus
Cryſtallus præparata
Lapis Iudaicus
Lyncis
Nephriticus
Lunæ cryſtalli
Nitrum depuratum
regeneratum
eius liquor fi-
xus
ſpiritus acidus
& dulcis
Salia media, digeſtiua,
e. g.
tartarus vitriolat.
arcanum dupli-
catum
nitrum antimo-
niatum
polychreſt.
Salia volatilia vrinoſa
commune rege-
nerat. & eius
ſpiritus
Succinum & eius es-
ſentia

C. ANIMALIA.

Aſelli
Bufones
Calculus humanus
Cantharides
Conchæ præparatæ
ſimplices, & aci-
do ſaturatæ.
Cornu cerui ſpiritus
Eboris ſpiritus
Lapides percarum &
carpionum præ-
parati
Lumbricorum terre-
ſtrium puluis, &
ſpiritus
Oculi cancri
Ranæ
Sanguis hirci
Scarabæi maiales
melle ſubacti.
Scorpiones
Tali leporis
Teſtæ ouorum
ſtruthio cameli.

V. *MODVS OPERANDI.*

1. *Materiales qualitates*, quocumque modo illæ agant, non abſoluunt actum diureticæ euacuationis. Quicquid enim de organorum habilitate, de humorum ſeroſorum abundantia, de paſſiuis lapſibus, de ſtimulis ſalinis, vel

de ſpecifico renibus inſidente fermento vulgo proferunt, illud ad formalem huius excretionis rationem explanandam non ſufficit.

2. Licet enim per remedia materialia & humores corrigantur & ad horum transmiſſionem viæ colatoriæ aptentur & patulæ reddantur; docet tamen experientia, quod his omnibus ſaluis vrinæ ſecretio & excretio non raro ceſſare ſoleat. Immo ſenſibilitas ſubiectorum discrepans efficit, vt alii homines a leuibus materialibus cauſſis adficiantur, quibus alii vix attinguntur, e. g. cereuiſia impura ſenſibilibus importat ſtranguriam, id eſt motus ſtrictorios, eliminationem rei moleſtæ reſpicientes, quem adfectum minus ſenſibiles non experiuntur.

3. Hinc neceſſe eſt, vt organis ſaluis & humoribus præparatis accedat *director*, qui *motibus* congruis & ordinatis vniuerſum actum complete, finaliter & ſalutariter dirigat & conſummet.

4. Inuitatur autem & excitatur hic director ad actum hunc diureticum per cauſſas *materiales*, nempe per remedia illa, quæ diuretica audiunt, & in ſequentes claſſes diſtribuuntur.

1) *Primam claſſem* conſtituunt diluentia, emollientia & lubricantia, quæ humores ad faciliorem ſecretionem & excretionem præparant, & organa colatoria magis peruia reddunt. Huc referri poſſunt ſpeciales illæ circumſtantiæ, quando materia mucida, ſabuloſa, vel plane calculus in viis vrinariis hæret, & dicta remedia expoſcit.

2) Ad *ſecundam claſſem* pertinent reſoluentia & abſtergentia, quæ *ſerum ſpiſſum* efficacius, quam prioris claſſis remedia attenuant. Quo ſpectant præcipue radices & herbæ ſuperius indicatæ, & alia acria, pinguia, reſinoſa, e. g. gummi-reſinæ, ſuccinum, terebinthina, extracta reſinoſa, ligna antiuenerea, plantæ antiſcorbuticæ. His adnumeramus recentiorum *arnicam* & *pareiram brauam*.

3) Ad

3) Ad *tertiam claſſem* referenda ſunt *abſorbentia nitroſa* & antiſpaſtica, quæ humores *nimium tenues* corrigunt, orgasmum illorum temperant & ſtricturas verſus renes ſpasmodicas demulcent.

4) Ad *quartam claſſem* pertinent *ſalina*, quæ non ſolum efficacius incidunt & colliquant, ſed etiam *ſalſedinem ſeri* augent, & hac ratione naturam excitant, vt contra domeſticam æque ac peregrinam acrimoniam motibus euacuatoriis alacrius inſurgat. Eius modi remedia ſunt ſalia acida, & alcalina, eaque tam fixa quam volatilia, item ſalia media. Ex acidis principem locum obtinet ſpiritus nitri purus, dulcificatus, deinde ſpiritus ſalis communis, non item ſpiritus vitrioli. Ex alcalinis volatilibus, iisque mitioribus ſunt ſpiritus cornu cerui, lumbricorum terreſtrium, eboris, quibus adiungimus ſpiritum tartari. Fixa alcalia partim indifferenter vrinam pellunt, partim ſpecifici quid habere creduntur e. g. in hydrope peculiarem ſibi vſum vindicarunt ſal ſtipitum fabarum, geniſtæ, ononidis, imperatoriæ. *Confer Paracelſ. in macr.*

5) *Quintam claſſem* formant illa, quæ principiis ſuis acribus humores non tantum potenter colliquant, ſed & naturam ad motum renum relaxatorium directe, immediate & ſpecifice ſtimulant. Huius tenoris ſunt ex inſectis millepedes, ſcorpiones, buſones, cantharides &c.: item ſalia volatilia, quæ, præter effectum præcedente claſſe indicatum, præcipue etiam in vias agunt.

VI. *MODVS ADPLICANDI.*

Hic reſpicimus potiſſimum diureſin per remedia poſitiua ſtimulantia. Cum aliis enim blandioribus non facile aberratur.

1. *Debita corporis præparatio* præmittatur,
   1) per aluinarum ſordium blandam eliminationem.
   2) Per ſanguinis abundantis, ſi vrgeat, imminutionem.

2. *Ipſa diureſeos promotio* inſtituatur *per gradus.*

1) Ante omnia impedimenta remoueantur.

a) Quando *calculus* meatum vrinarium occludit, hic prius remoueatur, ſiue per cateteris adplicationem, ſiue per lubricantia & emollientia, quo nomine decoctum *Foreſti* nephriticum commendabile eſt.

b) Præſente *caruncula venerea* hæc per congrui ſeptici adplicationem abſumatur. *Vid. Hildanus.*

2) Deinde *humorum* correctio & *viarum reſeratio* reſpiciatur. Vnde

a) ſi humores nimium ſpiſſi ſint, attenuentur per diluentia & blanda reſoluentia.

b) Quando autem nimium agiles & tenues ſunt, inuoluantur per abſorbentia & nitroſa.

c) Viæ renales quando ſpaſticis ſtricturis coërcentur, antiſpaſtica cum nitroſis & abſorbentibus exhibeantur. Clyſteres etiam egregium hic præſtant vſum.

3) His non ſufficientibus efficaciora reſoluentia, vel ſalina propinentur, quo nomine præcipue laudamus eſſentiam vincetoxici & ſalia media.

4) Denique, ſi neceſſarium fuerit, diureſis per ſtimulantia ſpecifica directe promoueatur. Et hic quidem, quæ mitiora ſunt, præmittantur, e.g. ſuccus raphani ab vnciis iv. ad vj. ſpiritus lumbricorum terreſtrium.

5) Ceterum opportunum tempus exhibendi, quod eſt in declinatione paroxyſmorum, vbique obſeruetur.

6) Nonnumquam etiam conuenit diuretica *externe* adplicare, e. g. cepæ ſub cineribus aſſatæ & externe adplicatæ in ſtranguria mitius, item oleum ſcorpionum, lumbricorum terreſtrium; fortius autem canthari-des operantur.

VII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Quem ad modum *blanda* diureſeos promotio ampliſſimam in praxi habet vtilitatem & in omnibus fere morbis

bis conuenit; ita positiuam & directam huius excretionis stimulationem, si promiscue instituas, infestam & sæpe periculosam esse, monent practici.

2. Hinc necesse est, vt *contra indicantia* sollicita mente teneantur. Sunt autem sequentia:
   1) plethoram insignem quam maximo esse impedimento *Riuerius* passim testatur; præcipue quando congestio plethorica versus renes facta est, & vel stasin nephriticam, vel mictum cruentum minatur; quo casu venæ sectio debet præmitti, subiunctis temperantibus nitrosis.
   2) Res præternaturales in viis vrinariis e. g. calculus, caruncula venerea, grumus sanguinis, tenax mucus.
   3) Spasmodica renum constrictio arctior.
   4) Reliqui morbi spastico-arthritici: materia enim tartarea, quam vulgo hic fingunt, & per diuresin eliminare student, minimæ est considerationis.
3. In calculo pellendo a fortioribus diureticis maxime cauendum est; nitrosa autem & relaxantia, cum præclarum vsum leni modo adferant, plurimis in dies magis approbantur.
4. In morbis ex cacochymia salsa productis, e. g. in scabie diuretica directa directum non habent locum; deturbant enim materiam illam noxiam ad viscera. Hinc vel cum obtundentibus vel discutientibus sunt coniungenda.
5. Quicumque ægri in statu sano largam vrinæ excretionem habere consueuerunt, illis, ne hæc in aduersa valetudine supprimatur, tanto diligentius prouidendum est.
6. Dantur subiecta, quæ per periodos, e. g. singulis mensibus, vel circa æquinoctia largam lotii emissionem sponte natura magno cum leuamine experiuntur. Hinc necesse est, vt si in his qualiscumque defectus oriatur, congrua arte succuramus.
7. RADIX ALLII.
   1) Allii ad modum variæ occurrunt species: nos intelligimus vulgarem illam domesticam, culinis familiarem.

2) Hu-

2) Huius enim radix vel bulbus, principiis ſcatens valde acribus mucilagine tenui temperatis, inter ceteras, quibus pollet, virtutes, inſigni vi abſtergendi, reſoluendi & vrinam mouendi eminet.

3) Qua propter eius vſus laudatur præcipue in adfectibus mucidis pectoralibus, cachecticis, hydropicis, colicis flatulentis, verminoſis, ſcorbuticis, hyſterico-hypochondriacis. Sed notandum eſt, multos eius odorem grauem & ſaporem refugere, teneriores quoque validam illius operationem minus bene ferre.

4) Vnde potius robuſtis plebeiis & ruſticis conuenit, quorum etiam cum plurima mala ipſamque peſtilentiam abegiſſe dicitur, ruſticorum theriacæ nomen conſecuta eſt.

5) Allium quoque ipſi nautarum vulgo comeſtum euporiſton eſt, quo ſe aduerſus ſcorbutum præmuniunt.

6) Quem ad modum etiam quibusdam peregrinantibus in vſu eſt, ad adpetitum conſeruandum, allii capita cum vino deglutire.

7) In ipſa nephritide & calculo allii vſum noxam attuliſſe, exempla nos docuerunt.

8) Res eſt memoratu digniſſima, quod Hungari ideo hæmorrhoidali fluxui magis expoſiti ſint, quia allii crebriore vſu delectantur.

9) Odontalgiæ mederi ope allii flexuræ cubiti eiusdem lateris, quo dentis perſentiscitur dolor, adplicati, experimentum eſt in vulgus notum.

10) Exhibetur vero vel interne, cum apto vehiculo e. g. aqua iuniperi, vel adplicatur contuſa prius externe, videlicet regioni pubis.

8. Radix apii.

1) Eſt hæc e partibus alcalinis parcius nitroſis & ſulphureis atque aliqua mucilagine conflata; ſimulque adnumeratur radicibus quinque aperientibus maioribus.

2) Hinc

2) Hinc vtilis esse perhibetur in malis cachecticis, atrophicis, ictero, obstructionibus viscerum, calculo & vlceribus.

3) Non adeo autem amplius vsitata est, neque, si experientiam fidam consulamus, viscerum oppilationibus, quæ plerumque admodum contumaces sunt, medetur, neque nephriticis temere offerenda est. Frustra quoque ad epilepsiam aut colicam tollendam commendatur.

4) Meretur interim diætetica inter atque culinaria, vrinam cientia, suum locum.

5) Ad lactis abundantiam coercendam externe cum semine coriandri & aceto adplicatam commendat *Etmüllerus.*

9. RADIX ARI.

vid. tab. de diaphoresi.

10. RADIX ARISTOLOCHIAE ROTVNDAE.

1) Dicitur quoque alias aristolochia caua, germanice Hohl-Wurtz. Item fumaria bulbosa.

2) Radix principia fouet inprimis sulphurea acria & amarissima; hinc sanguinem vehementer commouet & excalefacit.

3) Destinatur proinde potissimum adfectibus mucidis chronicis, tumoribus, cachexiæ, chlorotidi, fluori albo aliisque menstrui fluxus vitiis, atque inter emmenagoga validiora numeratur; vnde colligimus, vsum eius parciorem & cum primis in lochiis atque secundinis propellendis cautissimum esse oportere.

4) Ob insignem amaritiem radix hæc quoque anthelminticis accensenda videtur.

5) Quas vero laudes ipsi vulgo admetiuntur in podagra, phthisi, hæmoptysi & morbis acutis; illas experientia non confirmat.

6) Externe vtilior est & confert in carie ossium, vtero prociduo, vlceribus sordidis, itemque ad dolores spasticos ac flatulentos, qui partum excipiunt, tum etiam ad tumores ab inflammatione liberos, discutiendos.

Roborat enim laxas partes, & repellit interdum vehementius; quapropter in scabie cautim adplicanda est.

7) Vsurpari potest pulueris, infusi aut essentiæ forma.

II. RADIX ASPARAGI.

1) Constat e partibus mucilaginosis, aliquantum nitrosis & alcalinis, vt loquuntur, terreis. Hinc segniorem se gerit in absterſione & diuresi adiuuanda, quamuis turiones eius comestos vrinam valde fœtidam & graueolentem reddere notissimum sit.

2) Veteres radicem hanc quinque aperientium classi assignarunt, sed quantum experientia hodierna docet, immerito; siquidem in obstructionibus & scirrhis viscerum, cachexia & hydrope nusquam tam efficaciter operatur.

3) Frustra quoque aiunt eam valere ad calculum, scorbutum, spasmos, epilepsiam, sterilitatem, quam vltimam potius, si aliis credas, inferet, aut certius intactam relinquet, quam profligabit.

4) Quamuis igitur in his aliisque exspectationem fallat, tamen haud vane specificam vim in mictu cruento possidere creditur, vtpote in quo moderando virtutem huius radicis in forma théæ adsumtæ pluries experti sumus.

12. RADIX BARDANAE MAIORIS.
vid. tab. de diaphoresi.

13. RADIX CARLINAE.
vid. tab. de diaphoresi.

14. RADIX CARYOPHYLLATAE.
vid. tab. de diaphoresi.

15. CEPAE.

1) Fœcundæ sunt principiis subtilibus salinis acribus, tenui mucilagine interspersis, ideoque satis valenter abstergunt, attenuant & diuresin mouent.

2) Conueniunt propterea in morbis a sero & lympha spissa corrupta pendentibus, tumoribus, cachexia, hydrope, catarrhis diuturnis mucidis, in sordibus renum

num vlceroſis adeoque prophylactice in calculo, denique in ſcorbuto, vbi a nautis crebro vſurpatur.

3) Adiuuant quoque concoctionem, motusque hæmorrhoidales ſubinde cient, & graſſantibus epidemicis febribus ab earum inſultu præmunire dicuntur.

4) Depoſcunt autem robuſtiorem vtentium conſtitutionem, & ſicubi ſimplex nephritis adeſt, non temere ſuadendæ ſunt. Halitus quoque ceparum & allii externus oculis nocere poteſt, interne vero data neutiquam ea damna viſui inferunt, quæ permulti inde ſuperſtitioſe verentur.

5) Cæterum vſus ceparum internus magis diæteticus eſt quam pharmaceuticus.

6) Externe cepæ aſſatæ applicantur ad vrinam ſuppreſſam eliciendam, ad tumores duros emolliendos, ad maturandas hæmorrhoides tumentes omniaque apoſtemata tam maligna quam benigna. Et ſane vſus earum hic commendabilis eſt, non ſecus ac in ambuſtis partibus, quæ a cepis leuiter mollitis aut illarum ſucco optatum leuamen recipiunt.

16. RADIX DAVCI ſeu PASTINACAE SYLVESTRIS.

1) Hæc minus vſitata eſt, nec temere adhibenda, ſi verum eſt, quod *Williſius* ſcribit, ipſam comeſtam delirium inducere; etſi de eo merito ambigatur.

2) Proſtat in officinis ſemen dauci duplex nempe 1) Creticum, quod ſuauiſſimum aromatis odorem ſpirat, ſed rarum eſt & 2) noſtras Cretico viribus haud abſimile, ideoque in eius locum merito ſurrogandum.

3) Pertinet ad ſic dicta ſemina calida minora, & cum ſemine apii & cumini eumdem fere effectum edere obſeruatur.

4) Laudatur alias ad dolores partus, ſuppreſſionem menſium & vterinam ſuffocationem tollendam, præcipue vero eius virtus calculum tam præcauendi, quam ſi præſto ſit, frangendi ab *Helmontio*, *Boyleo*, *Ettmullero* aliisque extollitur, in quem vſum Angli etiam hoc ſemen cum cereuiſia fermentandum curant. Sed

cum alii tam ſalubrem illius vim nondum experti ſint, antequam iis encomiis credamus, pluribus & certioribus opus eſt documentis.

17. RADIX DICTAMNI ALBI.
vid. tab. de diaphoreſi.

18. RADIX ERYNGII.

1) Coaluit e principiis mucilaginoſis, parcius ſulphureis & nitroſis, vnde paullulum abſtergendi & vrinam ciendi vires quasdam mutuatur.

2) Equidem conſtat, hanc radicem vulgo quinque aperientibus adſociari, ſed rarius eam præſcribunt practici, procul dubio, vſu edocti, ad reſerandum hepar aut lienem obſtructum parum valere.

3) Decantantur etiam illius laudes in reſuscitandis menſibus, in gonorrhœa, nephritide, epilepſia, item in ſtimulanda venere & augendo lacte; verum an fidis experimentis ſuperſtructæ ſint, cum aliis dubitamus.

4) Hac igitur radice, vti complaribus aliis, ſine detrimento carere poſſe videmur.

19. RADIX FRAGARIAE.

1) Concreuit e partibus acidiusculis temperatis terreis, indeque tum parum adſtringit, tum leuiter diuretica eſt.

2) Dicitur hinc herba pariter ac radix aperire viscera, inflammationes eorum ſolari, tollere dyſenteriam, icterum, fluorem album, reſiſtere venenis, ſedare immodicos menſes. Prædicatur porro, vt expultrix calculi omniumque vulnerum internorum & externorum conſolidatrix. Quæ omnia ſi conſtanti veritate niterentur, magna vtique felicitate praxis abundaret.

3) Sed dolendum eſt ab experientia laudes haſce refelli, ſatisque compertum eſt, ſuppetere nobis efficaciora, quæ in fragariæ locum ſufficere poſſimus.

4) *Simon Pauli* radicem hanc in vino rubro decoctam commendat aduerſus fluorem album. Verum & hoc

hoc cum cautione, ne quid præmature tentemus, imitandum est.

5) Aqua eius destillata vehiculi loco inseruit in tractandis supradictis adfectibus; Fructus autem seu fraga apta sunt ad æstum & sitim paullulum leuandam, nec tam facile, quam multi metuunt, corruptelas inferunt humoribus.

20. RADIX GENTINAE RVBRAE.
vid. tab. de diaphoresi.

21. Radix GRAMINIS.

1) Graminum varietas atque familia est amplissima, & numerantur a *Scheuchzero* vltra quadringenta; illa autem præcise species, cuius radix diureticorum catalogo inseri meretur, dicitur gramen caninum, spica triticea, vulgo Quecken dicta.

2) Principia habet parcius nitrosa salina acidiuscula cum aliqua mucilagine, a quibus leuem abstergendi virtutem fœneratur.

3) Est e censu quinque aperientium minorum, & pari modo, ac præcedens, magnis vulgo laudibus effertur in obstructionibus viscerum, ictero, calculo, præterea in hectica, hæmoptysi, mictu cruento, dysenteria.

4) Sed omnino per se debilius operatur, tales effectus, nisi meliorum consortio stipata sit, vix vnquam editura.

5) Cæterum hodie quoque euiluit, & rarius, nisi forte in decocto ad lumbricos infantum enecandos, propinatur.

22. RADIX HELENII.
vid. tab. de diaphoresi.

23. RADIX HERNIARIAE.

1) Dicitur & mille grana maior, ac herba eius tantum in vsum recipitur.

2) Hæc vero ad magnam dignitatem prouecta est, postquam *Hollerius* primum ac deinde alii excellentem eius virtutem herniis curandis parem compererunt.

3) Adhibetur itaque interne & externe in omnibus fere ramicibus, quamquam hodie non ambigatur, aptam deligationem cum debito regimine plus efficere posse.

4) Alias tanquam nobile vulnerarium proſtat, itemque ad icterum, renum vitia, calculum pellendum præcipue laudatur. In nephritide vero abſtinere conuenientius fuerit.

24. RADIX IMPERATORIAE.
vid. tab. de diaphoreſi.

25. RADIX LEVISTICI.
vid. tab. de diaphoreſi.

26. RADIX NASTVRTII.
vid. tab. de diaphoreſi.

27. RADIX ONONIDIS.

1) Abundat hæc radix particulis ſalinis nitroſis, queis paucæ ſulphureæ interfuſæ ſunt; ideoque tum diureticam, tum reſoluentem & abſtergentem vim obtinet.

2) Adnumerant proinde eam quinque aperientibus minoribus paullo maiori iure, quam alias ante hac recenſitas, quippe in leuiore hepatis obſtructione & ictero, nec non in cachecticis & hydropicis malis non contemnenda eſt.

3) Diuturnum puluerис huius radicis vſum ſingulari & ſpecifica virtute paulatim conſumere ſarcocelen teſtantur *Matthiolus*, *Sculetetus*, *Bartholinus*, *Ettmullerus*.

4) Cœterum in calculo ſub iuſtis cautionibus; in odontalgia autem & hæmorrhoidibus cœcis fere fruſtra adhibetur.

28. RADIX PARREIRAE BRAVAE.

1) Hæc non ita diu ex America ad nos delata radix cum particulis ſcateat ſulphureis oleoſis & ſalinis acidis, qualitatem etiam oſtendit abſtergentem & diureticam.

2) Vnde quidem vſum eius ad vitia renum in primis traduxerunt & in ſpaſticis renum doloribus, nephritide

„& cal-

& calculo leniendo ſpecificas eius dotes reperiſſe ſe practici non nulli teſtantur.

3) In adfectibus ſerofis quoque & hydrope haud inutilis deprehenſa, hodie a quibusdam ad rebellem podagram perdomandam adhibetur.

4) Cum autem huc vsque nondum ſatis perquiſita fuerit & præterea carius venierit, factum inde eſt, vt adhuc veriorum experimentorum penuria laboremus.

5) Datur alias ordinarie in decocto vinoſo, rarius in eſſentia aut puluere, doſ. 3ß - 3j.

29. RADIX PETASITIDIS.

vid. tab. de diaphoreſi.

30. RADIX PETROSELINI.

1) In hac radice aliis præponderant particulæ ſalinæ nitroſo-alcalinæ, vnde pariter generalis illa virtus abſtergendi, reſoluendi & vrinam propellendi exoritur.

2) Quapropter ad quinque aperientium maiorum numerum refertur & in omnibus morbis ab obſtructione viscerum & glandularum natis, porro in omnibus mucidis & ſerofis, præcipueque in calculo magnis vulgo encomiis ornatur.

3) His nos ſubſcribere non poſſumus; etſi petroſelinum diætetico maxime vſu hic præſcribi poſſit & vtique in mitiori talium morborum gradu conducat. Quamquam autem alias largius præberi queat ſine periculo conuulſionum aut vlla capitis offenſa, quam inde non nulli metuunt; cautius tamen in nephritide dandum eſt.

4) Extus ſat bene reſoluit & tumoribus mammarum nodoſis pluries cum fructu adplicatur.

5) In officina aqua eius deſtillata proſtat ſatis diuretica.

31. RAPARVM RADIX.

1) Hæc radix itidem culinis notiſſima, quem admodum ſucco temperato nitroſo exuberat; ita & vrinam leniter

uiter mouendi & ſimul acrimoniam humorum demulcendi qualitates habere exiſtimatur.

2) In primis autem ſingularis laus decocto raparum, præſertim exſiccatarum, tribuitur in raucedine, tuſſi ſicca, aſthmate, ſtranguria, dyſuria, item in quartana & melancholia, quarum vltimarum tamen firmas radices non facile euulſurum videtur.

3) Certius vero externe conferunt in pernionibus (vbi quidem flaccidæ aut gelu ante conglaciatæ rapæ aliis præſtare dicuntur) & ambuſtione. Præter hæc nec viſum adeo roborare, nec dentium aut podagræ dolores exſtinguere deprehenduntur.

4) Semen raparum quoque paſſim in vſu eſt & magnam ſui exſpectationem apud aliquos concitauit in ſuperandis venenis & febribus malignis, variolis & morbillis; ſed ambiguus eſt, quantum huc vsque innotuit, illius effectus.

32. RAPHANVS.

1) Plena eſt hæc radix particulis ſalinis acrioribus, mucilagine quadam & terra intertextis, a quibus maxime ſortitur vim ſuam incidendi, abſtergendi & diureſin adiuuandi.

2) Vſum proinde adfert in morbis abdominis longinquioribus a ſero mucido deprauato ortis, vt in cachexia, hydrope, obſtructionibus glandularum meſaraicarum itemque in ictero, ſcorbuto, catarrhis lentis chronicis, & (modo opportune) in renum vitiis, denique in vermibus necandis.

3) Quamuis autem, in primis eius ſemen, ad febres malignas morſusque virulentos valere dicatur, tamen hoc magis optabile eſt, quam veracibus experimentis ſatis adhuc dum adſertum.

4) Cæterum intus datam hanc radicem capiti & oculis debilioribus nocere aut podagricis adeo infeſtam exiſtere, fabuloſum eſt.

5) Externe in deliriis acutarum apponitur plantis pedum,

vti

vti alia ſic dicta rubefacientia; an vero etiam e peſtilentibus carbunculis, vt *Paræus* vult, venenum potenter attrahat, vel, vt *Foreſtus* ſcribit, verrucas pedumque clauos abſumat, dubitatur.

6) *Semen* raphani parem cum radice facultatem propemodum obtinet.

7) Peruulgatæ ſatisque vſitatæ ſunt adhuc duæ aliæ *raphani* ſpecies, nempe tum *raphanus ſatiuus minor & longus*, præcedente longe mitior & ſuauior; tum *ruſticanus* ſeu ſylueſtris, qui multis *armoracia* vocatur.

8) Hæc vltima ſicut vulgarem raphanum volatili acrimonia longe antecedit, ita & ſubtilius & valentius corpus adficit ac penetrat, nec propterea tamen humores inſigniter accendere videtur.

9) Vtilis ergo eſt, in omnibus, vbi raphanus valet, morbis, nec pigendum effectum edit in deſiccandis vlceribus externis. Certe ſuccus eius cum ſaccharo datus calculoſos & hydropicos non plane deploratos, mirabiliter ſubinde alleuauit.

33. RADIX SAXIFRAGAE.

1) Hanc ſimiliter diureticam radicem veteres ad detergendum renum mucum & calculum frequentius adhibuiſſe leguntur.

2) Hodie autem rariſſime vſurpatur, quapropter plura de ea loqui ſuperſedemus, præſertim cum indoles eius peculiaris parum perſpecta ſit, & laudatas vires frangendi calculi vanas eſſe iam *Ettmüllerus* notauerit.

34. SQVILLA.

vid. tab. de emeſi.

35. RADIX VALERIANAE.

vid. tab. de diaphoreſi.

36. RADIX VRTICAE.

1) Hæc radix particulis ſulphureis parcius, paulo largius autem ſalinis alcalinis imbuta, cæterum lignoſa eſt, vnde quoque imbecillius abſtergit & vrinam ciet.

2) Etſi enim præſtantia illius in aperiendis viſceribus, plurimisque malis depellendis vulgo mirum in modum

celebretur; tamen quascunque veras laudes vrtica meretur, eas potius herbæ, quam radici competere peritiores animaduertunt.

3) *Herba* igitur cum & maior & minor occurrit, hæc vltima ob insigniorem teneritudinem & efficaciam seligenda est.

4) Quemadmodum autem partibus salinis, acidis & subtilioribus terreis compositionem sui debet, ita hinc & resoluendi & simul adstringendi virtutem adepta est, ideoque vtilis in omnibus sanguinis profluuiis, in primis in hæmoptysi, (vbi pro specifico habetur) in hæmorrhagia narium, vteri, hæmorrhoidibus nimiis, fluore albo.

5) Commendatur præterea in viscerum obstructione, ictero, asthmate, tussi quacunque, calculo, vlceribus externis repurgandis; quæ omnia licet haud satis explorata sint, tamen solertiore inuestigatione digna videntur.

6) Incertior adhuc illius efficacia est in arthritide vaga, malo hysterico, & dentium doloribus.

7) Vsurpatur tam interne quam externe in decocto, vel quod fere præstat, in succo.

8) *Semen* eadem, qua herba, virtute pollet, incassum vero ad steriliratem tollendam exhibetur.

37. HERBA CAPILLI VENERIS.
vid. tab. de diaphoresi.

38. HERBA CHAEREFOLII.
vid. tab. de diaphoresi.

39. HERBA HEDERAE TERRESTRIS.

1) Sicut hanc herbam eadem fere principia constituunt, quæ præcedentem vrticam, nisi quod subtile sulphureum huic magis accesserit; ita & generatim parem ei facultatem inesse intelligimus.

2) Dilaudatur proinde in omnibus fere malis, quibus vrtica destinatur, sigillatim vero in renum vitiis, mictu cruento, nephritide, calculo; porro in atrophia, vomica pulmonum; confer. *Ettmüllerus*; excellens enim

enim vulnerarium cenſetur, & a *Paracelſo* ſpecificorum vlcera ab intra purgantium claſſi attribuitur.

3) Cæterum pro herba pectorali habetur. Laudes autem illius in conciliando febrientibus ſomno, in dentium & capitis doloribus, in ſurditate, gangræna, cancro, ſtrumis, nodisque podagricis diſcutiendis admodum dubiæ adhuc ſunt, & ex parte nauſeoſam ſapiunt hyperbolem.

4) Vſurpatur vt vrtica, vel exſiccata in decocto, vel recens in ſucco.

40. HERBA LINARIAE.

1) Hæc minus in vſu eſt, niſi quod cum floribus in vnguentum notiſſimum, cui nomen ſuum impertit, redacta hæmorrhoidibus cœcis adplicari ſoleat, ac ſubinde aliquantum leuaminis adferre videatur. Notandum autem eſt, in tumentibus nihil efficere hoc vnguentum, niſi veliam paullulum exulceratis vel ad vlcerationem proximam inclinantibus.

2) Alioquin huic herbæ amaræ calefacienti & abſtergenti ac diureticæ aſſignantur vberiores non minimæ virtutes, quas tamen, vt aliarum plurimas, ob neceſſariorum experimentorum inopiam, nondum ſatis explicatas habemus.

41. HERBA NASTVRTII.

vid. tab. de diaphoreſi.

42. HERBA VERONICAE.

1) Principia habet cum hedera terreſtri fere communia, niſi quod ſal eius propius ad ſalis culinaris indolem accedat; indeque tonico adſtringentem, paululum reſoluentem & diureticam arceſſit qualitatem.

2) Glorioſas igitur & nomine ſuo dignas vires conſecuta dicitur in omnibus pectoris præcipue adfectibus, tuſſi, aſthmate, punctionibus laterum, vomica pulmonum, itemque in vlceratione renum & calculo, namque & præſtantiſſimum vulnerarium iudicatur. *Confer. D. Franci Veronica Theezans.*

3) Commendamus hæc vlteriori experientiæ, & monemus

tantum, ſi, vt vulgo fit, in forma théе vſurpetur, imbecillem eſſe veronicæ facultatem; quapropter vt hæc melius euehatur, neceſſe eſt, præmonſtrante *Illuſtri Stablio in diſp. de pectoris adfectibus* herbam vino infuſam & per 10. vel 12. dies maceratam eo vsque deſtillare, donec liquor tranſiens ſpiritum vini referat perquam dilutum. Hic liquor longe efficacius, quam quicquam aliud e veronica pectori conſulit & in recentiori tuſſi hectica abdominis & phthiſica ſæpius, aliquando etiam in brancho & aſthmate ſenili, optato cum euentu ſe nobis approbauit.

4) Veronica alias quoque extollitur in ſcirrho lienis, colica, hydrope, febribus, peſtilentia, ſterilitate, morſibus virulentis; quibus tamen honoribus immerito onerari videtur.

5) *Ettmüllerus* notat, Tyrolenſes bronchocele adfectos non ſe tantum, ſed & porcos ſuos, eodem morbo laborantes, decocto & pulmento huius herbæ ſanare.

6) Extus ſalubriter, docente *S. Paulli*, clyſteribus incoquitur, qui quidem ſingularem inde vim combibunt ad deliniendos ſpasmos colico-hyſtericos & nephriticos.

43. HERBA VIRGAE AVREAE.

1) Dicitur quoque *conſolida Saracenica*, vel *mas* vel *femina*. Prioris flores ad alas foliorum enati, & in ſpicam laxiorem diſpoſiti, poſterioris vero flores in vmbellas digeſti conſpiciuntur.

2) Contexta eſt e moleculis ſalinis & terreis ſulphurea amaricante quadam portione intermiſtis, atque huic compoſitioni acceptam refert vim ſuam moderate adſtrictoriam, abſtergentem & parce diureticam.

3) Collaudatur inde vnanimi auctorum conſenſu tamquam egregium prorſus traumaticum, quo nihil fere in prauis vulneribus ac vlceribus præſtabilius & conuenientius dari poſſit. *Paracelſus* quoque iam plantis illam adnumerat, vlcerum ſordes ab intra, vt loquitur, detergentibus.

4) Et

4) Et ſane tum hic, tum in vomica pulmonum & vlceroſo renum ſtatu, calculum plerumque comitante, vtilis reperta fuit.

5) Cæterum hanc herbam calculum frangere, hepar & ſplenem oppilatum reſerare, percurare hydropem & dyſenteriam, facilius dicitur, quam indubiis documentis probatur.

44. FLORES ARNICAE.

1) Hæc planta quia minus huc vsque cognita & vſitata, in officinis etiam raro genuina proſtat; natiuos eius characteres ſubiicere operæ pretium erit. Creſcit autem affluentius in regione Variscorum prope Græcium & Plauiam, itemque in Bohemia, & in cubitalem caulis longitudinem aſſurgens, foliis binis in ſuperficie paullulum hirſutis ex aduerſo naſcentibus, tot ramos diſpergit, quot flores prolaturus eſt. Flos apparet radiatus, femifloſculis, qui coronam conſtituunt, circa baſin in tubulum rotundum abeuntibus, atque ibi crinium inſtar ſe oſtendentibus. Cæterum aureo colore, dum recens, ſpecioſior, deinde fit pappoſus; idque longe citius, ſi ad exſiccandum reponatur. *conf. D. de la Marche diſp. de arnica.*

2) Cum vero *doronici* ſpecies ſit, ideoque a *Tournefortio* doronicum plantaginis folio alterum *C. Bauhini* adpelletur, communi opprobrio virulentam eſſe hanc herbam quidam pronunciarunt, ſed prorſus immerito; vt iam videbimus.

3) Conſtat e principiis ſalinis, tenuioribus terreis & ſulphureo reſinoſis, indeque generalem reſoluendi & diureſin ciendi qualitatem haurire colligitur.

4) Speciatim vero in contuſionibus & reſoluendo ſanguine coagulato a lapſu & nimii oneris geſtatione aliis remediis, quantum conſtat, præualet, admirabilemque & ſpecificam ſui virtutem in plurimis exemplis nobis approbauit, quemadmodum etiam a *Iob. Mich. Febrio* lapſorum panacea nuncupatur.

5) In paralyſi quoque & contractura tollenda ſæpe plus

huius ſimplicis herbæ ope, quam maiore aliorum adparatu efficere potuimus, neque minus eandem in nephritide, arthritide, laterum doloribus chronicis aliquantum profuiſſe obſeruauimus.

6) Cæterum mirum id quidem eſt, ſed tamen aliquot experimentis probatum, lapſis ſolos flores ad ſalutem ſufficere; in contractura autem aliisque malis (ſiquidem meliorem effectum deſideres) plantam integram cum radice præſcribi oportere.

7) Denique, cum *Langius* arnicam ad emetica referens ſcrupulum tentaturis iniicere poſſet, notandum eſt, quamuis hæc herba in quibusdam vomitum cieat, complures tamen a decocto nec nauſeare nec vomere. Plerumque autem vſum eius dolor partis adfectæ ſalutari indicio ſubſequitur.

8) Datur in decocto vel infuſo & ad p. j. vel ij. vna aquæ ſimplicis vel cereuiſiæ menſura recipitur. Decoctum efficacius eſt, citiusque curationem abſoluit, ſed quia ſimul maiorem nauſeam creat, ſatius erit tenerioribus infuſum, vtpote iucundius minusque validum, per vices diutius propinare.

45. FLORES BELLIDIS.

1) Referti ſunt particulis ſalinis acidis, ſubtilioribus terreis & parcius ſulphureo-reſinoſis. De omnibus participant tam hortenſes, quam pratenſes, ita tamen, vt illi leniſſimi, hi paullo minus mites, herba autem aliquantum acerbior videatur. Exſiſtit hinc eorum vis roborans, moderate adſtrictoria & abſtergens.

2) Valent itaque, præcipue pratenſes, ad nimiam partium internarum laxitatem, ad vulnera, ad hæmorrhagias, denique ad ſtagnantes alicubi humores paullulum reſoluendos.

3) Laudem alias habent in aperiendis visceribus, in ſpirandi difficultate, ſcorbuto, hydrope, item in arthritide, ramicibus, ſtrumis &c. ſed hæc tantiſper, dum clarior experientiæ lux affulſerit, ad incertum reuocantur.

4) Paul:

4) Paullo plus efficiunt in incipiente tuſſi phthiſica, & ſanguine coagulato discutiendo, eosque releuat, quibus a potu frigido, calenti corpori repente ingeſto, graviora obtigerunt incommoda. In huius modi enim caſu a *Minderero* aliisque practicis vt eximium ſpecificum celebrantur.

5) *Tinctura* florum bellidis officinalis frequenter vſurpatur ad temperandum æſtum in congeſtionibus vehementioribus & febribus, itemque ad minuendas immodicas hæmorrhagias; ſed moderate adhibenda eſt.

6) Cæterum ad vſum parantur e bellide decocta & acetaria.

46. FLORES GENISTAE.

1) His innexa ſunt principia ſalina acida cum mucilagine & terra calcaria permiſta, indeque qualitas valde abſtergens & diureſeos concitatrix deducitur.

2) Adhibentur ergo non ſine fructu in cachexia, hydrope, ictero & menſtruis imminutis aut decoloratis. In renum vitiis autem & calculo magna cautione & vix niſi ad prophylaxin quandam præſcribi debent.

3) Nondum ſatis probati ſunt in ſcorbuto, quartana, ſcirrho lienis; fruſtraque eorum virtus ad podagram & ſcrophulas eradicandas exaggeratur.

4) Ordinantur flores in puluere vel decocto vel conſerua. Cineres & ſal geniſtæ infuſis diureticis adduntur.

47. FLORES HYPERICI.

vid infra ſub ſemine hyperici.

48. FLORES LINARIAE.

vid. ſub herba linaria.

49. FLORES VIOLARVM.

vid. ſub ſemine violarum.

50. SEMEN BARDANAE MAIORIS.

vid. tab. de diaphoreſi.

51. SEMEN CARVI.

1) Huic ſemini principia temperata ſulphurea oleoſa, atque

que aromatica qualitatem impertiunt reſoluentem, discutientem & roborantem.

2) Itaque ſicut in culinis principale iam *Plinii* tempore fuit, ita hodie varia cum vtilitate a medicis in ſubſidium vocatur ad corrigendam primarum viarum pituitam, atoniam, flatulentiam & colicam inde oriundam; porro ad diarrhœam & dyſenteriam, itemque mucidos catarrhos, renum vitia, cachexiam, morbosque feminarum ex imminuto aut decolori menſium ſtatu ſubnatos, item ad dolores poſt partum.

3) Etſi vero in his vſum ſuum vtique præſtet; tamen immodicis laudibus non eſt onerandum. Multo incertius autem ad reſtituendum viſus acumen & vertiginem (niſi quidem e ventriculo ſymptomatica acciderit) & memoriæ debilitatem tollendam commendatur.

4) Extus idoneum eſt ad varias congeſtiores humorum, ſtaſes & tumores discutiendos.

5) Vtimur eo vel in *tragæa* vel in *decocto*. Proſtat etiam *aqua & oleum deſtillatum:* quod tamen, vti alia olea ætherea, parcius interne porrigendum eſt.

52. CORTICES AVRANTIORVM.
vid. tab. de diaphoreſi.

53. CORTICES CITRI.
vid. ibid.

54. SEMEN CVMINI.

1) Deuehitur ad nos ex Italia, eiusque non tantum principia, ſed & effectus conueniunt cum caruo, quod alias cuminum noſtras & pratenſe adpellatur.

2) Præſcribitur quoque tympaniticis, ſingultu & anhelitu fœtido laborantibus, ſimiliter, vt *Solenander* laudat, flatulentia vteri & fluore albo adflictis; cæterum quatuor ſeminum calidorum maiorum numero inſeritur.

3) *Plinio* tradente omnem pallorem bibentibus gignit; verum hoc perinde ac compeſcendarum hæmorrhagiarum

rum efficacia huic ſemini adſcripta ad fabellas pertinere videtur.

4) Extus lactis concretionem arcet, tumoresque frigidos pulcre identidem dispellit. *Plura confer. n. 51.*

55. SEMEN DAVCI.

vid. ſub radice dauci, ſeu paſtinacæ ſylueſtris.

56. SEMEN HYPERICI.

1) Concretum e partibus ſalinis acidis & terreſtribus, putatur accepiſſe vires abſtergentes pariter, ac traumaticas.

2) Laudatur exinde ad profluuia ſanguinis, vlcera renum & calculum. Inſuper & vermes interimit; ſed cum alia probatiora dentur, flores quoque & herba ſemine vſitatiora ſint, ad praxin medicam vix neceſſarium videtur.

3) Herbæ & floribus exquiſita non nulli encomia admetiuntur non modo in dictis malis, ſed etiam in ramicibus, vertigine, apoplexia, epilepſia, tumoribus artuum, malo iſchiadico, fluxu albo, ictero, quartana, peſtilentia, melancholia, veneficiis immo dæmonum obſeſſione, vnde fuga dæmonum cognominatur. Sed neſcio qui fiat, vt hodie tam raro medentum votis hic reſpondeat, & plerique modo adlegati morbi validioribus armis, ne dicam hyperico, non facile ſuperentur.

4) Adparet equidem eſſe herbam vulnerariam in læſionibus continui & vlceribus conſolidandis, in roborandis partibus luxatis, contuſis aut fractis ſalubrem, neque in exſtinctione vermium, qui in ventriculo & duodeno hærent, contemnendam; verumtamen, quia ſatis fortiter adſtringit, interne eam cautius propinare, neque inde tanti ſucceſſus ſpem nobis facere debemus.

5) Certe prædicatam eius vim ad incantationes & dæmonum artes fugandas, vt multi publice fatentur, peperit aluitque diu mera credulorum hominum ſuperſtitio.

57. SEMEN MILII SOLIS.

1) Compactum est e particulis salinis alcalinis, terreis & parciore mucilagine, quorum nexus illi ingenerat qualitatem absorbentem, abstergentem & diureticam.

2) Proinde ei passim ab auctoribus non leuis efficacia tribuitur in calculo, ischuria, stranguria, mensium defectu, partu & secundinis propellendis, gonorrhœa sedanda &c.

3) Sed quoniam nihil horum satis adhuc expertum habemus, aliaque probatiora suppetunt; vsum huius seminis commendari non attinet.

58. SEMEN SILERIS MONTANI.

1) Dicitur etiam seseli & a locis, vnde deferri solet, Creticum, Italicum & Massilienſe cognominatur.

2) Ad partes constituentes & petitas inde vires quod attinet, maxime refert indolem seminum calidiorum minorum.

3) Ex quo facile potest intelligi, vsum eius non spernendum esse in cruditate & atonia primarum viarum, flatibus, catarrhis mucidis, vitiis renum & morbis serosis.

4) Idem autem menstrua adeo promouere, parturientibus subuenire, epilepsiam tollere, omneque virus, in primis *cicutæ* infringere, dubito an satis comprobatum sit.

59. SEMEN VIOLARVM.

1) Hoc in mixtionem suam pauciores particulas sulphureas, plures salinas alcalinas recepit, qualitatem exinde abstergentem & diureticam pariter indeptum.

2) Dicatur propterea emendandis renum vitiis, præsertim calculo leniter pellendo, in quo ipsum *Crato* aliique mire extollunt.

3) Ad calculum autem vere frangendum tam parum, quam alia, valet, neque etiam, vt quorundam opinio est, partum faciliorem præ aliis reddere obseruatur. Cæterum commode datur in *emulsione*.

4) Vti-

4) Vtiliores ſunt *flores violarum*, qui cum principia teneant leuiter acida ſalina, mucilagine quadam temperata, virtutem inde capeſſiuerunt abſtergentem lenientem & expectorantem.

5) Quocirca conferunt in aſperitate faucium, tuſſi & catarrho acriori, nec non in renum vitiis & in orgaſmo, quem nimia bilioſi ſanguinis tenuitas ſæpe concitat, temperando.

6) Quamquam autem cordialium florum titulo decorentur, tamen parum roboris & analepſeos ex eorum vſu decumbentibus afferri audias ſubinde conquerentes Practicos.

7) Multo minus vero aut viſum acuere, aut cephalalgiam tantopere delinire comperiuntur.

8) Proſtant ex his confecta *aqua deſtillata*, *conſerua*, *acetum*, *ſyrupus*. Reliquis autem præſtat ſyrupus.

60. SEMEN VRTICAE.

vid. ſub radice vrticæ.

61. AMYGDALAE AMARAE.

1) Particulæ oleoſæ, ſalino-alcalinæ acres, mucilago & paucior terra conſociata, huius generis amygdalis inſita ſunt; iisdemque vim abſtergentem, reſoluentem, meatusque vrinarios ſtimulantem inſinuant.

2) Haud inepte itaque morbis diuturnis ſeroſis & catarrhis viscidis deſtinantur. Tutiores etiam & fere aliis diureticis conuenientiores ſunt, vbi calculum pellere circumſtantiarum ratio & neceſſitas exigit.

3) Num vero hepar & ſplenem obturatum aperiant, quartanæ etiam & ſcabiei medeantur, liceat ambigere.

4) Illud autem memorabile eſt, amygdalas hasce pleriſque animantibus volatilibus & quadrupedibus, quæ nempe ſecundum nonnullorum opinionem cœca nascuntur, comeſta mortem inferre, quapropter etiam lumbricos infantum peremturæ atque in hydrophobis ideam rabioſam exſtincturæ creduntur.

5) Cæterum quamuis iam vetuſtas earum vſum ad arcen-

dam ebrietatem memoriæ prodiderit; tamen hodie ſpem gurgitum & helluonum ſæpiſſime fruſtrantur.

62. BACCAE ALKEKENGI.

1) Hæ quemadmodum ex acidis ſalinis cum terra lutoſa calcaria mixtis moleculis cohæſionem; ſic inde facultatem habent pariter abſtergentem, liquantem humores & diureticam.

2) Hinc generaliter colligimus, eas quoque conducere in cachexia, œdematibus, hydrope, & lenioribus atque a grauiore febrili æſtu liberis hepaticis vitiis.

3) Inprimis vero nobiles deprædicantur in iſchuria, renum exulceratione & calculo. Sed in hoc quidem cautiſſime, neque vnquam niſi abſente paroxyſmo, dandas eſſe monent nonnulli prudentiores Practici.

4) Narrantur etiam experimenta, vbi has baccas in mictu cruento, hæmoptyſi, epilepſia, podagra auxilio fuiſſe aiunt: verum hæc partim dubia, partim non temere imitanda eſſe putamus.

5) Extus in ſuffitu hæ baccæ aliquando e dente carioſo grauiusque dolente plurimos vermiculos cum leuamine elicuerunt.

6) Proſtant *trochiſci alkekengi* ſeu *de halicacabo;* poteſt etiam *aqua deſtillata* vel *infuſum* porrigi.

63. BACCAE IVNIPERI.

1) Exuberantes partibus oleoſis, acribus, reſinoſis fragrantibus & terreis acidulis poteſtatem habent, vti diureticam, ſic validius reſoluentem, excalfactoriam & roborantem.

2) Propterea non de nihilo eſt, ipſas mucidæ catarrhali frigidæ & cachecticæ intemperiei, vbicunque hæreat, corrigendæ deſtinare, atque etiam œdematibus hydropicis, obſtructionibus glandularum & menſium vitiis opponere.

3) Concoctionem quoque iuuant, & quatenus moderate aliis interponuntur, ſcorbuticis vtiles ſunt; in nephri-

phritide vero, vti alia calida diuretica, illas merito excludimus.

4) Celebrantur præterea vt antidotum peſtilentiæ, vt ſpecificum antiſcorbuticum, vt arcanum in lepra, podagra &c. ſed licet alias ſalubres vires acceperint, tamen tantum in eis præſidium latere multi non credunt.

5) Extus ad laxas partes roborandas & catarrhos ac tumores frigidos discutiendos inſeruiunt, ipſosque dentium dolores, ſi magis catarrhalis frigidæ indolis ſint, alleuare poſſunt. Præſcribuntur autem in *ſuffitu*, aut *cataplaſmate*, aut *ſpiritu*, vel *oleo*.

6) Interne vero dantur in ſubſtantia, decocto, vino medicato. Succus quoque ex baccis eductus & inſpiſſatus ſeu *rob iuniperi*, Germanorum theriaca dictum, ad laudatos effectus non inconueniens eſt.

64. BACCAE LAVRI.

1) Iuniperi tam principiis quam virtutibus non multum diſſimiles, in plerisque iis morbis, quos ibi modo memorauimus, frequenter vſurpantur.

2). Permulti tamen baccas lauri iuniperinis adhuc præferunt in flatulentia & colica, nec minus eas longe efficaciores eſſe ſentiunt in vermibus necandis, menſibus, fœtu & ſecundinis pellendis, ac doloribus poſt partum deliniendis. Et cauere ſane nos decet, ne, cum hæ baccæ feruidiores ſint, eas largius aut intempeſtiue præſertim calidis, tenerioribus ac delicatulis offeramus.

3) Expedit tum potius illas externe adplicare, vbi vi ſua reſoluente & roborante aliquid emolumenti afferunt in atonia partium paralytode. Paullo magis *emplaſtrum* de his baccis aût *cataplaſma* tumores frigidos diſcutit, *oleumque deſtillatum* conuenit in flatulentia, colica & doloribus poſt partum, item (ſed incerte) in menſium ſuppreſſione & ſterilitate. Neque ad eosdem vſus inepta ſunt lauri *folia*, e quibus paratum

oleum clysteribus carminatiuis sæpe inditur, & alioquin ad scabiem, achores, maculas faciei (Finnen) laudatum prostat, sed in his quidem (inprimis cum sulphure, vt præcipiunt, maritatum) repellente effectu nocituram potius quam salutare videtur.

65. FRVCTVS CYNOSBATI.

1) Particulas salinas cum mucilagine quadam continent, indeque potestatem resoluendi, abstergendi & (maxime propter *arillos* terra alcalina fœtos) vrinam propellendi mutuantur.

2) Quamobrem in omnibus morbis chronicis, vbi generales hos effectus & diuresin respicere nos decet, conueniunt, ibidemque iuxta ac in vitiis primarum viarum & scorbutica labe (opportune tamen) vt euporiston culinare præscribi queunt.

3) Excludantur autem in simplici nephritide, neque in calculo, nisi exacerbatio remiserit, facile indulgeantur.

4) Præclaræ etiam, sed incertæ, virtutes illi adsignantur in variis sanguinis profluuiis, gonorrhœa, dysenteria, vomitu nimio, singultu.

5) *Flores* non nullis in locis adeo occurrunt fragrantes, vt ipsis rosarum floribus palmam dubiam reddant.

6) Cynosbato porro adnascuntur *fungi*, passim in retentione vrinæ, calculo, hæmoptysi, vlceribus laudati. Sed hæc quoque non minus ac *radicis* vsus ad morsum canis rabidi firmamentum ab vberiori experientia desiderant.

7) Vltimo notamus, quibusdam hodie in vsu esse, ad præsignificatos effectus obtinendos, *arillos* cynosbari fabarum coffée instar tostos in decocto propinare.

66. NVCLEI PERSICORVM.

vid. tab. de catharsi.

67. NVCLEI CERASORVM.

Quod si horum principium & qualitatem spectes, cum persicorum nucleis propemodum vbique congruunt.

unt. Quorum effectus cum ſuperius explicauimus, ſuperuacaneum videtur hisce enucleandis longius immorari.

68. GVMMI AMMONIACVM.

1) Exſtillat ex planta ferulacea quadam in Lybia progerminante, indeque ad nos aduehitur.

2) Optimum eſt candicans, molliusculum, ſubſtantia crassiori picea deſtitutum.

3) Principiis conſtat ſulphureis, acrioribus, cum mucilaginoſis in aqua diſſolubilibus; vnde potenter & interne & externe adhibitum discutit, reſoluit, emollit, aperit, aluum leniter ſubducit, viasque vrinarias ſtimulat.

4) Optime reſoluentem exſerit effectum, ſi in aſthmate in *emulſionis* forma exhibeatur.

5) In atrophia adultiorum quoque, ob peculiarem ſuam temperiem, maximopere conducit.

6) Porro in infarctu hepatis ammoniacum laudes ſuas, quas ei *B. Ettmüllerus* cecinit, omnino aliquantum meretur. Magis tamen adridet nobis, ſi in pilulari forma, quam ſi in fluida emulſiua offeratur, quia poſteriori modo facile nauſeam creat.

7) Externe tam ad discutiendum, quam ad maturandum ampliſſimi eſt vſus, quod præcipue de *emplaſtro de ammoniaco Foreſti* valet, vtpote cuius vſum felici ſucceſſu comitatum nos in phlegmone aliisque tumoribus ſæpius comperimus.

8) Cæterum dolendum eſt, in ſcirrhis viscerum rariſſime ea miracula, quæ edidiſſe legitur, patrare, neque, vt nonnulli ammoniacum eo nomine efferunt, ad viſum acuendum, vlcera & clauos pedum ſanandos, arthriticos & iſchiadicos leuandos, adeo vtile animaduerti.

69. GVMMI BDELLII.

1) Effluit e reſinoſa quadam arbore Arabiæ, & cum repletum ſit particulis ſulphureis ac temperate ſalinis, ſimiliter

liter inde reſoluendi, liquandi, aluumque paullulum & vrinam mouendi poteſtatem ſibi adſciſcit.

2) Præſtantiſſimum cenſetur flaueſcens, ſapore amaricanti, fragrans, oleoſum ad flammam concipiendam promtum, quodque facile liqueſcit, & dum frangitur, pellucet, a ſordibus nigris liberum.

3) Iam ab antiquitate magni habitum laudatur in morbis chronicis ſeroſo-lymphalibus & (dubie tamen) in nimio menſium ac hæmorrhoidum fluxu.

4) Hodie vero rarius intus ſumitur, tantumque ad tumores glandularum aliarumque partium diſſipandos non ſine fructu adplicatur.

70. GVMMI GALBANI.

1) Exſudat ex ſimili quadam cum præcedente ammoniaci plantæ ſpecie, & Conſtantinopoli ad nos adfertur.

2) Succus eſt reſinoſo-pinguis, ſed non tam oleo, quam aquoſo humore reſolubilis, inter gummi & reſinam conſiſtentiæ quaſi mediæ, coloris flaueſcentis, ſubſtantiæ molliuſculæ, ſaporis amari acris, odoris grauioris.

3) Principia cum ammoniaco fere communia fouet, niſi quod calidior ſit & inſigniorem acrimoniæ gradum attigerit. Vnde, præter emollientem & reſoluentem vim, emmenagogam quoque ſubinde exercet.

4) Quapropter, licet haud leuem ſui efficaciam prodat in morbis ſic dictis frigidis ſeroſis catarrhalibus, primarum viarum deprauatione, viſcerumque & glandularum infarctu; tamen, vbicunque vel tenerius ſubiectum eſt, vel dicta mala ſimul maiore æſtu comitantur, parcius omnino concedendum eſt.

5) Eadem cum cautione illud hyſtericis porrigere conuenit, quanquam his non multum prodeſſe, neque ſuppreſſos menſes reuocare, neque fœtum mortuum excutere facile ſoleat.

6) Venenis quoque fruſtra opponitur. Extus autem vtilius partes a ſpasmodicis doloribus vexatas roborat, luxatas

luxatas paullulum firmat, frigidisque tumoribus discutiendis vel maturandis par est. Vnde princeps illius emplastri, quod Germanice Zug-Pflaster dicitur, existit; cæterum prænotatis vsibus *de galbano camphoratum* subseruire potest.

71. GVMMI IVNIPERI.

1) Vocatur alias *sandaraca Arabum* a Græcorum sandaraca, quod virulentum minerale est, probe discernendum.

2) Huic principia sulphurea resinosa, tenuioribus terreis intexta, polychrestam vtique temperiem indiderunt, ex qua pulchre tum roborat, tum resoluit, abstergit & diuresin promouet.

3) Sicut igitur haud plane disparem succino qualitatem obtinuit; ita interne & externe ad emundandas vlcerum sordes confert, in phthisi, hectica, renum exulceratione, nulli facile balsamico postferendum.

4) Præterea in morbis seroso-lymphalibus, scabie, gonorrhœa, cachexia, hydrope, glandularum obstructione cum aliquo fructu adhibetur.

5) Quin & visum fuit nonnullis hæmoptysin restringere, dentium dolores sedare, nimiamque corpulentiam & obesitatem absumere; verum hæc firmioribus tentamentis nondum stabilita in medio relinquimus.

6) Externe suffimentis præcipue inseruit.

72. GVMMI OLIBANI.

1) Transportatur huc ex Arabia felici & quadruplicis generis puritate tantum differentis esse traditur. Primum enim est *lacrima thuris* seu olibanum & *thus masculum* officinale in granis album & accensu facillimum. Alterum *thus commune* dicitur & flauescit. Tertium est *olibanum corticosum* seu *thuris cortex*. Vltimum fragmenta seu *farinam thuris* refert, adeoque olibanum granulosum seu mica thuris appellatur.

2) Primum, vt sincerius, ad internos vsus, reliqua magis ad suffitus & emplastra & externe solent adhiberi.

3) Cum autem ex ſulphureis temperatis & ſubtilibus terreis particulis conglutinatum ſit, vim non modo reſoluentem, ſed & parumper adſtrictoriam inde adquiſiuit.

4) Rarius vero interne datur & quanquam ex dictis ſuis qualitatibus aliquem vſum afferre poſſit, tamen in acrioribus capitis & pectoris catarrhis, tuſſi, ſputo ſanguinis, pleuritide, dyſenteria, gonorrhœa & diarrhœa non tantas vires oſtendit, quantæ alias de eo prædicantur.

5) Extrinſecus raro odontalgiam leuat, etſi inſeruire poſſit ad ſuſurrum aurium & neruoſarum partium dolores leniendos, itemque peſtilentibus effluuiis repletum aerem paullulum corrigendum.

73. GVMMI SAGAPENI.

1) Vocatur etiam gummi ſerapinum & eſt ferulæ cuiusdam in Perſia & orientalibus Indiis crescentis lacrima.

2) Optimum cenſetur, quod albicans pellucet, & facile liqueſcit mordaci amaritudine, grauique alliaceo fere odore præditum.

3) Coagmentatum vero eſt e partibus ſulphureis, acribus ſalinis & mucilaginoſis, iisdemque debet ſuam reſoluendi, roborandi & aliquantum, vti loquuntur, attrahendi facultatem.

4) Intus proinde ad eosdem affectus, quibus galbanum opponere expedit, commendatur.

5) De reliquo maior experimentorum vbertas requiritur, vt ipſum quoque ad pariendi difficultatem, epilepſiam, arthritidem, menſium ſuppreſſionem, venenatos morſus & puncturas valere credamus.

6) Externe certius confert ad laxatas partes moderate ſtringendas, eosque tumores, qui mucido humore referti regionem magis exſanguem obſederunt, diſcutiendos. Cæterum id ſpaſticos dolores leuare dubium eſt, cataractam vero demere fruſtra ſperaueris.

7) Eſt

7) Est ingrediens emplastri diachyl. cum gumm. emplastr. magnet. Salæ aliorumque attrahentium Zug-Pflaster.

75. TEREBINTHINA.

1) Est resina inflammabilis, quæ ex diuersis arboribus vulneratis destillat. Vulgaris nostra ex larice prouenit, estque flauescens, minus pura; vera autem & purior terebinthina destillat ex arbore terebintho in insula Chio & Cypro potissimum crescente, hinc Cypria dicitur, sed viribus, vulgarem nostram non multum superat. Dicitur etiam Veneta, quia ex Cypro & aliis locis ad Venetos nauibus transuehitur. Alii Venetam pro abietis resina habent, & hinc a Cypria distinctam.

2) Imbibit tum salinas partes, tum largiores sulphureas acres per liquidam mucilaginem dispersas, equibus coniunctis resoluentem, abstergentem, diureticam simulque moderatæ roborationi parem virtutem sibi lucratur.

3) Speciatim autem resinarum omnium genera ancellere, & sanctissima vulgo medicina prædicatur, qua nihil salubrius sit ad corpus ab omni corruptione vindicandum, acrimoniam humorum obtundendam, hepatis renum aliarumque glandularum obstructiones reserandas, vlcerationes internas, renum præcipue, calculum & phthisin curanda. Præterea tanquam singulare præsidium in arthritide, podagra, paralysi, hydrope, sterilitate, item suppressione vrinæ, mictu cruento, sanguinis & puris sputo, gonorrhœa inueterata, fluore albo, tandem & in pestilentia a multis sparsim extollitur.

4) At vero si tantus laudum cumulus ad viuum hodie resecaretur, vix dubitari posset, maximam earum partem esse perituram.

5) Equidem haud eleuari debet internus terebinthinæ vsus, vtpote in pectoris & renum morbis, cachexia & glandularum obstructionibus profuturus; sed tamen nec vltra modum laudandus est, nec sine debi-

ta cautione feruidiora eius producta, vti *spiritus, oleum & balsamus sulphuris* omnibus promiscue offerenda sunt. Namque subinde magna hinc damna & pericula in renum præcipue & pectoris morbis exsistunt.

6) Tutius itaque in substantia datur, vel, quod præstat, *terebinthina cocta* in plurimis, quibus alias conuenit, malis satis virium habitura, propinatur.

7) Externe vberrimam vtilitatem affert in emundandis vlcerum & abscessuum sordibus: vnde in vnguentis digestiuis &c. primarium fere est. Porro & resolutioni tumorum frigidorum & debilitatarum partium roborationi egregie inseruit. Quamquam autem *oleum & spiritus terebinthinæ* etiam ad hos scopos adplicari queant, tamen moderamen seruandum est, & ab iis in congestionibus sanguineis, inflammationibus, spasmis, morbis renum potius abstinendum.

8) Quod si autem, vt perhibent non nulli, etiam fistulas, lupum, parotides, contracturas, polypum, surditatem &c. adeo feliciter tolleret, esset omnino sæpius, de quo sibi magnopere gratularentur Chirurgi.

9) Illud satis constat, oleum hoc æthereum, si parcissime adplicetur, neruis prodesse, omnesque partes teneriores magisque exsangues roborare, quapropter paucæ eius guttulæ balsamis vulnerariis optimo cum effectu immiscentur. Postremo etiam sanguinis profluuia sistit (licet ad hunc vsum spiritus vini rectificatissimus eo longe præstantior sit) & in odontalgia apophlegmatismum interdum cum leuamine suscitat.

75. BALSAMVS DE COPAIVA.

1) Vocatur etiam *Indicus albus*, & ex arbore quadam siliquosa Brasiliæ exstillat.

2) Est resina fluida, quæ Cypriam terebinthinam maxime æmulatur, colore paullum flaueſcente, sapore acri, odore fragrante.

3) Cum autem non tam salinis, quam oleosis acribus principiis

cipiis abundat, tum qualitatem obtinet feruidius resoluentem, abstergentem & roborantem.

4) Idcirco magni vulgo æstimatur in omnibus vlceribus in- & externis, præcipue venereis, phthisica & hectica labe, calculo, gonorrhœa, fluore albo, cunctis denique vulneribus.

5) Sed permulti hodie animaduerunt, effectum eius ambiguum, sæpeque magis infestum quam salutarem reperiri. Vti enim satis magna vi excalefaciendi pollet, ita omnia mala facile exasperare potest, quæ aut per se feruentiora sunt, aut subiecta calida, tenera & plethorica adfligunt.

6) Quapropter in phthisi, hectica, renum vitiis acrioribus, prorsus ab eo cauendum est; in cæteris nec non tinnitu & susurro aurium, extus parcissime lenioribus materiis permixtum, adplicari potest; quamquam, nisi peregrinis nimium delectaremur, facile hoc balsamo carere & indigenis, quæ fere temperatiora & meliora sunt, contenti esse possemus.

47. Balsamvs peruvianvs.

1) Est vel limpidus, vel crassior niger (qui vilior existit) atque vt copaiuæ balsamo principiis & qualitate generali respondet, sic itidem acri & adhuc maiore feruore partes & humores valenter afficere notatur.

2) Non possumus itaque internum eius vsum, vti vulgo fit, in phthisi, hæmoptysi, asthmate, vlceratione renum, corruptelis scabiosis & venereis, hepatis & lienis obstructione, mensium suppressione &c. adprobare. Certe omnia mala, quibus orgasmus aliquis aut internus calor adiunctus est, facile exacerbat, & absente eo parcissime dandus, cæterum minime necessarius est.

3) Laudatur quoque alioquin ad catarrhos, colicam, vomitum, flatulentiam, immo sterilitatem, quam sicut haud vnquam propria sua vi tollit, ita nec externe illitus febres intermittentes, nephritidem aut malum ischiadicum amolitur.

4) Proficit tamen extus, pariter ac *copaiuæ* balſamus, ad conſolidandas exſanguium partium læſiones & cicatricem inducendam, ad repurganda vlcera ſordida & venerea, ad roborandas aliquantum partes, atonia quin & paralyſi correptas. Vbicunque vero aut calor acrior aut partes tenerrimæ admodum ſenſibiles ſunt, tutius, eo relicto, ad alia remedia confugimus.

5) Cæterum in quotidiano vſu eſt & longe frequentiori, quam carior *balſamus copaiuæ*. Adplicatur ſolutus & temperatus vitello ouorum vel alio temperante.

78. LIGNVM FRAXINI.

1) Huic ligno principia ſalina nitroſa & terrea quandam abſtergendi & aperiendi vim largiri creduntur.

2) Speciatim vero in ſplene & hepate obſtructo recludende, in ictero, hydrope, calculo & febribus curandis multum pollere, neque in Gallica lue propulſanda ipſi ligno ſancto, dum modo duplicata doſi exhibeatur, cedere non nulli affirmant.

3) Ad eadem mala, nec non pleuritidem & phthiſin *ſemen* fraxini, ob ſimilitudinem externam *lingua auis* vulgo dictum, paſſim laudatur.

4) Verum hæc omnia partim vana ſunt, partim tot experimentis nondum ſtabilita, vt plenam in iis fiduciam collocare poſſimus.

5) Cortex omnino adſtringit, ideoque febres intermittentes cohibere poteſt. Num autem antiloimicus ſit, omnique veneno reſiſtat, porro an fraxini frondes ſerpentibus adeo inimicæ ſint, vt ab illis circumdati in ignem citius, quam in has frondes inſiliant; (vti *Paræus*, *Mindererus* aliique complures teſtantur) ſæpius adhuc experiundum eſt.

6) Certior & probatior eſt effectus huius ligni ſympatheticus in vulneratione & haemorrhagiarum repreſſione & aliquantulum in odontalgia, vbi quidem pars læſa eo fricatur vel lignum manibus tenetur, vt incaleſcat. Dicitur hinc vulgo lignum vulnerarium vel ſympatheticum (Wund-Holtz, Hepl-Holtz) & in eo colli-

colligendo atque ad hunc vſum aptando certa temporum momenta captari ſolent; ſed cauendum eſt, ne dum nimium ſcrupuloſi ſimus, in ſuperſtitionem præcipitemur.

78. LIGNVM GVAIACI ſeu SANCTVM.
vid. tab. de diaphoreſi.

79. LIGNVM IVNIPERI.
vid. tab. de diaphoreſi.

80. LIGNVM NEPHRITICVM.

1) E Mexicano regno ad nos transuehitur & quia citrini ſantali genium aliquatenus refert, *ſantalum cœruleum* etiam adpellatur.

2) Vti autem acriuſculo amaro & aromatico ſapore gaudet; ita tum partibus maxime reſinoſis ſubtilibus & paucioribus, ſalinis terreisque conſtare, tum qualitatem reſoluendi & attenuandi poſſidere cenſetur.

3) Qua de re conducere id perhibent nephriticis, calculoſis, catarrhis frigidis, obſtructione viſcerum & aqua intercute laborantibus.

4) Quod ſi autem diligentius examinetur, huiusmodi effectus magis allegari, aut ex aliis transſcribi videas, quam propriis, vt par eſt, & ſat multis experimentis corroborari. Vnde non eſt, quod plura de huius ligni vſu medico adponamus.

81. LIGNVM SASSAFRAS.
vid. tab. de diaphoreſi.

82. SALIA VEGETABILIVM ALCALIA FIXA.

1) E vegetabilibus in cinerem redactis per aquam extrahuntur & dispulſo humore lixiuii in formam ſalinam coagulantur.

2) Videntur autem ex acido vegetabili largis terræ purioris & paucis ſulphureis partibus, ſub crematione colliqueſcentibus, & ſubtiliter mixtis, per motum igneum producta; atque hinc valide reſoluendi, detergendi, acidum abſorbendi & vrinam propellendi poteſtatem acquiſiuerunt.

3) Lau-

3) Laudantur ergo in cruditatibus præcipue acidis, in morbis ſeroſis, pituitoſis, cachexia, hydrope, calculo, febribus intermittentibus; præeunte *Paracelſo*, vtpote qui primus hæc ſalia in vſum medicum latius traducere cœpit.

4) A quibusdam etiam hodie adhuc delectus habetur & pro diuerſa ſpecifica plantarum, e quibus ſalia lixiua ſeu alcalia fiunt, indole & virtute, horum quoque mixtio & efficacia discrepare autumatur. Vnde ſal abſinthii in primarum viarum vitiis, tertiana & quartana; ſal gentianæ, ononidis, fraxini in hydrope; ſal iuniperi, geniſtæ in calculo; quin & ſal bryoniæ ad puſtulas Gallicas; ſal ligni Guaiaci in lue venerea ſingularem & præcipuam laudem habere creduntur.

Sed Chymia hanc opinionem conuellit, ac perdocet, non tantum plerasque vires herbarum ſingulares deflagratione peſſum ire; verum etiam ſpecificam earum indolem, dum modo ſatis exurantur ſaliaque extracta probe purificentur, penitus inuerti ac deſtrui, adeo vt omnia alcalia ſic parata eundem effectum edant, & non niſi ob maiorem ſubtilitatem alia aliis validius operentur.

6) Vulgo in officinis hæc ſalia ope ſulphuris in cryſtallos redigere vel a deliquio præſulcire ſatagunt. At notandum eſt, tum non alcalina permanere, ſed in mediam naturam conuerti. Quanquam non eſt, quod inde damnum metuamus, cum ſalia media ſeu enixa ad ſupra dictos morbos puris alcalinis conuenientiora, hodieque magis vſitata ſint.

7) Externe in vſum vocantur alcalia ad lenem ſepſin, ad deterſionem vlceroſarum ſordium, porro ad delendas cicatrices, cutemque nitidam reddendam.

83. TARTARVS IPSIVSQVE PRAEPARATA.

1) Ad doliorum latera ſenſim concreſcit, ex acidis vinoſis, oleoſis & terreis calcareis partibus compoſitus. Varia autem ex eo producta exſtant, principiis & qualitate diuerſa, vti iam indicabimus.

2) Cy-

2) Cryſtallis & cremori tartari (qui ſolum tartarum puriorem repræſentant) virtus aliquantum reſoluens, temperans & diuretica non poteſt abiudicari; vnde in cruditate, præcipue bilioſa, ictero, obſtructione viſcerum, malo hypochondriaco, nephritide, calculo laudantur, & tamquam grata ſubſidia catharticis infuſis & pulueribus adiunguntur.

3) Efficaciora autem ſunt *tartarus ſolubilis* ſeu *tartariſatus*, & *terra foliata tartari*, quorum ille ex cryſtallis & ſale tartari, hæc ex ſale tartari & aceto deſtillato addito tandem ſpiritu vini, conficitur.

4) Qua propter hæc, præſertim *terra foliata* & eius *liquor*, vbicunque lenis alui & vrinæ promotio neceſſaria videtur, non parum vtilia ducuntur, ac hodie in dictis abdominis morbis, itemque in atrophia & febribus intermittentibus vſurpantur.

5) *Tinctura tartari* ad alcalinas pertinet, acri reſoluente vi in iisdem fere malis, vti & cachexia, hydrope, catarrhis frigidis profutura. Confer paullo poſt, quæ *de antimonii tinctura* dicemus.

6) *Spiritus tartari volatilis* vrinam & ſudorem pellit, atque in aſthmate, ſcorbuto, malo hyſterico, paralyſi, epilepſia commendatur, ſed dubium eſt, tantas eum laudes promerere.

7) *Oleum tartari fœtidum* hyſtericis ad odorandum offerri ſolet, & paralyſeos ſolamen creditur. Sed iuſto acrius eſt, ideoque leniter ſeptica vi vlcera praua exedentia repurgat.

8) *Sal tartari* eiusque *oleum per deliquium* ad alcalia, *tartarus vitriolatus* ad ſalia media pertinent, de quibus paullo inferius.

9) Poſtremo non prætereundum eſt *ſal tartari volatile* a cunctis Chymicis honoratum. Huius præparandi cum variæ methodi ſint, aliæque aliis meliores; tamen præcipue *Starkeiana* arridet, vtpote quæ ab *Helmontio* & *Paracelſo* id tanquam *circulatum minus* ſummopere extollentibus, profecta exiſtimatur.

10) Vbi autem rite paratum est, non modo ad extrahendas simplicium optimas vires; verum etiam ad inueterata mala, obstructiones viscerum, hydropem &c. percuranda dicitur idoneum; cui vt breui tempore liquidiora documenta accedant, merito optamus.

84. ANTIMONIVM.

1) Crudum hoc minerale decompositum, vti constat ex sulphure vulgari & regulo metallico arsenicalibus quibusdam particulis inquinato; sic visum fuit infensissimum virus continere, eoque nomine olim valde diffamatum legitur.

2) Postquam autem *Kunkelius*, pluribus tentaminibus, in se aliisque factis, non modo innoxium, sed & fructuosum illius vsum esse in doloribus rheumaticis, arthriticis, contractura & febribus intermittentibus corruptis aut suppressis, ostendit; liberatum ab infamia est, multisque imitantibus & antimonii virtutes amplificantibus, non mediocrem laudem obtinuit.

3) Prostant inde parati & in dispensatorio Brandenburgico descripti *morsuli*, restaurantium titulo insignes.

4) Equidem nos rarius notabiles effectus horum morsulorum vidimus; sed tamen cum alii meliorem successum experti sint, digniſſimum putamus antimonii crudi vsum, vt vberioribus experimentis subiiciatur.

5) Celebratur alias quoque in contumacibus seri & lymphæ deprauatæ vitiis, scabie, lepra, vlceribus, præcipue venereis.

6) Illud addimus, etsi tutum sit, tenerioribus tamen parcius dari, & sollicite caueri, ne qua mutatio per ignem antimonio crudo ante vsum inferatur, oportere. *Confer. Kunkel. laborat. experiment.*

7) De reliquo præparata antimonii, quæ & plurima sunt & vtiliſſima, sparsim in aliis tabulis recensuimus; heic tantum de *tincturis* antimonii monemus, quod quamquam multifariam a Chymicis elaborari soleant, nulla tamen adhuc dum notior & ad ampliores vsus translata sit, quam quæ vulgari modo per *alcali*, vel

quod

quod præſtat, ex *ſcoriis ſuccineis*, regulo antimonii martiali per nitrum purificato ſuperſtantibus, methodo *Stahliana* conficitur.

8) Hæc enim (licet non tam antimonialis quam acrior alcalina) probe reſoluentem, lymphæ deprauatæ correctricem & diureticam vim edere atque in chronicis frigidis adultorum malis, cachexia, œdematibus, atrophia, catarrhis mucidis, tuſſi humida, ſcorbuto & malis arthriticis vtilis, itemque ſi cum ſale quodam volatili iuncta poſt tales aliosque congeſtorios & ſpasmodicos morbos offeratur, reliquias abſtergere ac tonum roborare (vtut hoc vltimum potius ſalis volatilis acceſſui adſcribendum ſit) obſeruatur, ideoque ob egregias vires *mixturæ tonico-neruinæ polychreſtæ* nomen merito ſibi vindicat.

9) Cæterum ſicut permulti ex *vitro antimonii*, vario artificio, *Baſilianam* aut ei ſimilem *tincturam* extorquere ſatagunt, in omni ſcilicet malignitate, obſtructionibus & lepra incomparabilem; ſic alii nihil tanto dignum hiatu huc vsque præſtiterunt, alii omnem operam oleumque ſe perdidiſſe conqueſti ſunt, vnde nihil eſt quod de ea ſubnectamus. Cui lubet conſulat de hac tinctura *commentarium Kerkringii in currum triumphalem antimonii Baſ. Valentini.*

10) De *clyſſis antimonii* ſub ſulphure quædam expoſuimus.

85. Borax.

1) Eſt ſal colore & duritie alumini haud abſimile, ſapore ſalis gemmæ, ſed adhuc mitiore & parumper vrinoſo, ea ſpecifica donatum indole, vt crucibulo candefacto iniectum & fuſum partim in fumum abeat, partim in vitrum transmutetur.

2) De huius natalibus & principiis, præcipue autem de compoſitione factitiæ boracis, diſſentiunt adhuc auctores. *Confer. Valent. muſ. muſæor. p. 1.*

3) Neque etiam medicam eius facultatem perſpicue explicatam habemus; quandoquidem tum adſtringere,

tum reſoluere & aperire perhibetur. Probabile autem eſt, id potiſſimum ex confuſione eius cum alumine rupeo exſtitiſſe; nam borax, quæ hodie ſic vocatur, aperit & pellit potius quam adſtringit. *Vid. opuſc. chym. Stahl.*

4) Hinc a paucis (ſed maxime dubie) ad fluxum hepaticum, ſpaſmos, malum hyſtericum; a pluribus vero ad menſium ſuppreſſionem tollendam, partum & ſecundinas promouendas laudatur, vbi etſi interdum aliquid efficere videatur, tamen ſucceſſus non ſemper votis reſpondet.

86. SPIRITVS CALCIS VIVAE.

1) In theatro chymico *Digbæi* ex calce viua per ſpiritum vini alkoholiſatum ſal tartari & caput mortuum tartari fieri docetur & pro more ingentibus laudum præconiis adficitnr.

2) Sed dubii effectus eſt, neque vnquam manifeſto aut calculum franget, aut podagram exſtirpabit. Quapropter aliis probatioribus vti, atque operoſo huius parandi labore ſuperſedere poſſumus.

3) Vſitatior eſt *calcis viuæ aqua*, quæ extus variis tumoribus ſolet adplicari. Cauendum autem eſt, ne, cum aliquantum repellit, tumoribus calidis ab interno ſuppreſſorum menſium aut hæmorrhoidum fonte oriundis, vel ex apoſtaſi febrili remanentibus, neque etiam hydropicis cum hectica coniunctis largius imponatur; quamuis rubores ardentes, qui vltimis hisce interdum ſuperueniunt, tutius mitiget.

4) Confert magis ſimplicibus tumoribus œdematoſis & bubonoideis nec calidis nec valde duris, & ſub cautiore vſu cum ſulphure identidem miſceri poteſt.

5) Minus conuenit in paralyſi, doloribus ſpaſticis, vulneribus; in vlceribus autem repurgandis commendat ipſam *Ettmüllerus*, & nos aliquoties efficacem auimaduertimus.

87. CRY-

87. CRYSTALLVS PRAEPARATA.

1) Huic & ſubtiliter abſorbentem & ſimul aliquantum adſtrictoriam facultatem ineſſe comperimus.

2) Vnde non vane, in acri & torminoſa bilis dyſcraſia corrigenda quandam ei prærogatiuam *Crato* tribuit. Hoc enim ſcopo feliciter, præcipue infantibus, porrigitur, eorumque tormina, bilioſos alui fluxus, pauores & æſtum præſentaneo ſæpe effectu ſolatur; in febre autem cholerica, ob vim ſimul ſtypticam, non æque conuenit.

3) Eadem de cauſa dyſenteria laborantes ſubleuat & lactis acrioris bilioſæ ſalſæ vitia emendare valet.

4) Cæterum ipſam directe tum in lactis prouentu augendo, tum in expediendis lochiis, multum pollere incertum eſt, pauciſſimisque obſeruare contigit.

88. LAPIS IVDAICVS.

1) Particulas ſalinas ſubtili terræ interiectas habet, ideoque vias vrinarias ſtimulare deprehenditur.

2) Itaque & hunc renum vitiis deſtinant, ac vulgo lithontripticis accenſent, ſed prorſus dubio, minimeque calculum atterente effectu.

3) Nonnulli Chymici magna hinc, vti & e cryſtallis, arcana extorquere ſtudent, ſed vana plerumque & amatoribus ſuis relinquenda. Simplicia enim nobis & meliora diuretica ſuppetunt.

89. LAPIS LYNCIS.

1) Figura gaudet conica teretiore ſubſtantia quaſi cryſtallina, ſtriis ad centrum, ſtellæ inſtar concurrentibus, prædita.

2) Cæterum nec origine, nec principiis, nec effectibus a Iudaico multum differre creditur, quapropter idem de eo iudicium ferendum, neque huic longius immorandum eſſe putamus.

90. LAPIS NEPHRITICVS.

1) Cum duobus præcedentibus eadem fere principia & qualitatem accepiſſe traditur, ex quo non difficile e-

rit intelligentibus, verum ipſius pretium & dignitatem æſtimare.

2) Rarius autem in vſu eſt, eiusque virtutem magis adlegatam legimus quam certioribus tentamentis exploratam. Plura itaque de eo ſubnectere ſuperuacaneum videtur.

91. LVNÆ CRYSTALLI.

1) Conficiuntur ex argento cupellato & in aqua forti ſoluto, cuius phlegma ſuperfluum ſi deinde euapores, tales candidæ cryſtalli concreſcunt.

2) Hauſerunt itaque ex acido nitri concentrato facultatem ſumme draſticam & rodentem, vnde eas pro ſcopo diuretico auerſantur prudentiores, illisque relinquunt, quibus aut *tincturas lunæ*, aut *lapidem infernalem cauſticum* inde parare volupe eſt.

92. NITRVM.

1) Coaluit ex peculiari ſale acido, cui ſubtile φλογιστὸν intermixtum eſt, & terra alcalina calcaria, a quarum nexu tam beneficam temperiem accepit, vt, poſt quam recentiores, & in primis Illuſtris *Stahlius*, ampliſſimum eius vſum patefecerunt, inter ſumma artis medicæ præſidia principem fere locum merito ſuo teneat.

2) Generatim ſanguinem & lympham coagulat, atque inde refrigerandi, temperandi, paullulum relaxandi & reſoluendi; denique acres bilioſas ſordes inuoluendi ſecumque per diureſin leniter amandandi facultatem oſtendit. Minime autem per ſe aluum mouet, niſi aut largius iuſto ſumatur, aut immoderate ſuperbibatur.

3) Sicut autem hinc orgasmum humorum reprimit, omniumque excretionum nimietatem, & impetum moderatur; ita in omnibus ſanguinis profluuiis, præcipue hæmoptyſi, eoque tendentibus conatibus, congeſtionibus, rheumatismis, inflammationibus ſalutarem edit effectum; vnde & dolores capitis, aurium, oculorum & dentium ab eo leuantur.

4) Spe-

4) Speciatim cholera & cauſo laborantibus ſubuenit, & nephriticos adeo ſolatur, vt nusquam aliunde præſentius auxilium experiri ſoleant.

5) Quotquot etiam mala ſpaſticis doloribus comitantur, tutius lenimentum a nitro, quam ab opiatis aut volatilibus vulgo hic commendatis accipiunt, quapropter etiam in arthritide, podagra in primis retrograda, cardialgia calida, indeque ortis vomendi molimínibus, colica hæmorrhoidali, ſpaſticis hypochondriacis & hyſtericis malis non ſine fructu adhibetur.

6) Porro in tuſſi & aſthmate ſicco materiam, quæ forte in pulmonibus hæret, tuto expectorat, ſcorbuticam cholericorum acrimoniam corrigit, ſuppreſſionem vrinæ expedit, huiusque ardores tam ſimplices quam e venereis inquinamentis natos mitigat, & ſeminis inordinatos motus adeoque pollutionem nocturnam efficaciter imminuit.

7) Quamuis autem nonnulli vſum eius in grauidis & puerperis reformident; tamen has quoque febrili æſtu vel ſpasmis adflictas a nitro non mediocriter ſubleuari, neque vllum inde periculum ſubire comperimus.

8) Tandem nulla pene febris occurrit, in qua non ſimplex hoc remedium ad materiam acrem obtundendam, leniendum æſtum, pacandam inquietudinem nimiasque vigilias ſalubriter adhibere poſſimus. In primis vero in eryſipelate particulari & vniuerſali, nec non in diarrhœis acutarum febrium tum cæterarum, tum eius, quæ variolis iungitur, vbi ſæpe res in anciti eſt, profuiſſe obſeruatur.

9) Id modo de illius vſu tenendum eſt, ſcitam vbique proportionem ſeruari, magisque repetitis quam largis doſibus, & commodius pro morborum ratione vel cum ſale medio vel cum abſorbente quodam & diaphoretico fixo permiſtum, exhiberi oportere.

10) Cæterum quid in melancholia & deliriis chronicis valeat

leat, dignum eſt, vt pluribus experimentis indagemus.

11) In vlcerationibus vero, adeoque etiam phthiſi & hectica quoniam aliquantum irritat, caute & rarius, nec niſi cum ardores & phlogoſes coniunctæ ſunt, porrigendum eſt; in vomica pulmonum tamen etiam eo tempore, vbi tuſſim excitare expedit, concedi poteſt.

12) Extus nitrum inditur clyſteribus, itemque in gargarismis ad anginam & tonſillarum inflammationes cum fructu vſurpatur. Quidam etiam ipſum parce ſali communi addunt, eoque conditam carnem grato rubore imbuunt, eiusdemque putredinem diutius refrenant.

13) Hactenus de ſimplici nitro cryſtalliſato; quo licet reliqua fere præparata viribus longe inferiora ſint, tamen de his quoque paucis agere conueniet.

14) Proſtat in officinis *nitrum* ſic dictum *depuratum*, *tabulatum*, ſeu *lapis prunellæ*, cum exigua portione ſulphuris paratum, vnde paullo denſius fit; ſed præſtat huic ſimplex nitrum, adeoque conſultius eſt qualicumque ea opera & ſumtibus ſuperſedere.

15) Pulcrius, licet non adeo vſitatum, eſt *nitrum regeneratum*, quippe quod vulgari, ob additionem ſinceriorıs alcali, acrius & penetrantius reperitur, propterea-que in cholericis malis & feruidiore orgaſmo celeriorem opem promittit.

16) *Nitrum fixum*, quod per carbones vulgo parant, eſt ſatis purum alcali, de cuius virtutibus paullo ante diximus.

17) *Mynſichtus* decoctionem nitri cum ſuccis herbarum & factam dehinc eius cryſtalliſationem commendat. Verum ex his vel ex aliis tingentibus, queis colorem gratum nitro conciliare laborant, parum aut nihil efficaciæ huic ſali accreſcit; vnde vano prorſus titulo *nitrum rubrum eſſentificatum*, quod ſucco berberum tinctum eſt, extollitur.

18) Ne-

18) Neque etiam *nitrum nitratum*, ex nitro puro & ſpiritu nitri, itemque *flores nitri*, quos ex nitro ſoluto per vas quoddam fictile penetrare ſinunt, & ridicula *quinta eſſentia nitri*, ex nitro & ſale communi ſumtus compenſant, aut ſimplicis nitri cryſtallini virtutes adæquant.

19) *Nitrum ſulphuratum*, *antimoniatum*, *vitriolatum* magis ad ſalium mediorum (de quibus ſtatim) familiam referenda ſunt.

20) *Spiritus nitri ſimplex* in maiore copia rodentem vim exercet, in exigua doſi temperat humorum ebullitionem, & diureſin pellit. Nequaquam autem lithontripticus eſt, vel de cætero ad inſignem vſum profuturus.

21) Maiorem famam adeptus eſt *ſpiritus nitri dulcis* in colica, flatulentia, doloribus ſpaſticis, dyſuria & ſuppreſſione vrinæ, nephritide, calculo celebratus. Habet autem omnino temperantem quandam & ſimul ſatis diureticam vim, ſed magnas eius laudes complures practici etiam non agnoſcunt, vtinam clarior experientia ſtabiliret!

22) De reliquo innoteſcit hodie paullo alia huius ſpiritus compoſitio, videlicet e *ſpiritu fumante*, ſeu *oleo nitri*, per oleum vitrioli e nitro propulſo, & ſpiritu vini conficienda, quam anodyna qualitate imbutam eſſe ferunt & nonnulli rubore tinctam pro *tinctura nitri balſamica* venditare conſueſcunt. Sed hæc, vt alia caſſa Chymicorum arcana, perſtringentem vide *D. Rockium in diſſert. de chymiatria ſuperſtitioſa.*

93. SALIA MEDIA, DIGESTIVA.

1) Etſi omnia ſalia ex acido & alcali confiata mediorum titulum mereantur; tamen ex vulgari vſu loquendi heic illa *media* deſignamus, quæ alias etiam *lenixa* dicuntur, quæque ex acido vitriolico ſulphureo & alcali fixo Chymici componunt.

2) Pertinent huc *tartarus vitriolatus*, tam vulgaris *Crollii*, quam *Tachenianus*, *arcanum duplicatum*, *nitrum ſulphura-*

phuratum, nitrum vitriolatum Ludouici, sal polychrestum Glaseri, quorum nomina quidem diuersa, principia vero & efficacia, modo rite parata sint, eadem deprehenduntur, quocirca immerito plane tam magnifico titulo arcanum duplicatum superbit. *Confer. Stahl. opusc. chymic.*

3) Neque ab his discrepat *nitrum antimoniatum*, nisi quod huic aliquid nitri admistum, & non nihil regulinæ substantiæ plerumque simul intextum sit.

4) Generatim vero hæc salia facultatem possident incidendi, resoluendi, abstergendi & vrinam, ac si in paulo maiore dosi exhibeantur, aluum mouendi.

5) Salubrem igitur eorum vsum Practici experiuntur in cruditate ventriculi, febribus intermittentibus, colica pituitosa & flatulenta, obstructione glandularum mesaraicarum, infarctu hepatis & lienis, itemque in nephritide, calculo, cunctisque morbis frigidis catarrhalibus & serosis.

6) Quin & hypochondriacis atque hysstericis alleuamentum adferre & in ipsa arthritide prodesse comperiuntur.

7) Egregium sane adminiculum, aut si vis remedium corrigens nitri, vtpote cuius vim humores coagulandi paullulum distinent, in hisce salibus offendimus; vnde, illis cum nitro sociatis, polychrestum & amplissimi vsus remedium in promtu habetur.

8) Cæterum in febribus malignis hæc meliore euentu excluduntur, tum quod crassa nimium, subtilem putridam materiam inuoluere nequeunt, tum quia aliquando, præcipue si diarrhœa coniuncta sit, in commoda inportant. Etsi alias certum sit, sal medium in sanguinem etiam transgredi eumque attenuare, neque vel primis viis vel alibi, vt quidam metuunt, vllam rosionem, grauesque inde dolores infligere.

94. Salia volatilia vrinosa.

1) Nascuntur ex oleosa substantia cum subtilissimis partibus salinis per putrefactionem, vel ignitionem copulata;

lata; omniaque vrinoſa vnius eiusdemque indolis ſunt, ac, ſi qua diuerſitas notetur, tenuitatis gradu duntaxat differunt.

2) Efficaciam in corpore noſtro edunt magis tonicam, minus reſoluentem, diureticam & excalefacientem, niſi impuriore & oleoſa empyreumatica materia largius imbuta exſiſtant.

3) Cum autem per multi potius vim acidum hoſtile ſuauiter abſorbendi, porro aperiendi & reſoluendi ſalibus hisce inſitam eſſe putent; ea de cauſa exquiſitis vulgo encomiis tanquam in omnibus morbis, in quibus acidum peccare ſtatuitur, in obſtructionibus viſcerum, ſpaſmis, doloribus, in cunctis denique febribus acutis ſaluberrima deprædicantur; de quibus tamen omnibus circumſpectior praxis paullo aliter quemuis edoctura eſt.

4) Sæpe enim accidit, vt in febribus vſurpata triſtem visceris cuiusdam, vt hepatis, lienis, poſt ſe relinquant infarctum, vulgo Fieber-Kuchen dictum, dein quoque œdematoſos pedum tumores.

5) Periculoſa ergo illorum cœpta videntur, qui aquam intercutem per vias vrinarias ope horum ſalium expellere geſtiunt; augeſcit enim hoc modo viſcerum induratio.

6) Dein & experientia vberiore firmatur, quod nimium, vel intempeſtiue adplicata ſudorem impediant potius, quam promoueant, materiam acrem catarrhalem vehementius exagitent, in febre lenta plerumque noceant, lochiorum ſuppreſſionem, cordis palpitationem augeant, immo hæmorrhoidum & menſium obſtructionem ſæpe obfirment potius, quam reſerent.

7) Sic quoque in cephalalgia ſalium volatilium cautior vſus exigitur. Quod ſi enim in exacerbatione dentur, malum deteriu· reddunt. Præſtat itaque eorum vſus in morbi huius declinatione, doſi exigua, ſcopo tonico.

8) In arthriticis denique, rheumaticis, podagricis doloribus extus & intus ſæpe præſcripta plus damni, quam vtilitatis attuliſſe, immedicabilem videlicet ſtuporem & dolorem oſteocopon parti læſæ inducendo, plurima certe exempla commonſtrarunt.

9) Locum vero ſalia hæc volatilia, præmiſſis antea præmittendis, inuenire poſſunt in hectica, in cachexia, in coryza & grauedine, in congeſtionibus, ſed vbique temporis opportuni ratio maximopere habenda eſt.

10) Tutius tamen & maiore cum emolumento in vſum vocantur, ſi ea cum tinctura quadam acriore alcalina probe permiſta exhibeas.

11) Externe ſalia volatilia vim errhinam habent, & cum caſtorei medulla maritata effectu neruino tonico ſtatum ſurdaſtrum leuant, ac ſi per *inſtrumentum Glauberi* eo modo, quem hic autor deſcripſit, adplicentur, ad pertinacem menſium ſuppreſſionem tollendam aliquantum conferunt.

95. SAL COMMVNE & EIVS PRÆPARATA.

1) Triplex hoc obuenit vel *marinum*, vel *fontanum*, vel *foſſile*, quod etiam *ſal gemmæ* dicitur.

2) Omnia ex ſingulari acido mercurialis indolis & terra alcalina calcaria natura generat, in eo tantum nonnihil discrepantia, quod ſal marinum de nitro quoque participet & ſal foſſile rupeam terram, vnde durior eſt, ſimul abſorpſerit.

3) Virtus eorum exſiſtit reſoluens, abſtergens, colliquans & moderate diuretica, vnde ampliſſimum ſui vſum in diæta præcipue comprobant. Quod ſi autem largius, præſertim ſub parco potu ingerantur, nimium ſtimulant, ſerique acrimoniam augent, ac prauam denique incraſſantem vim exercent.

4) Præcipue autem pleraque pectoris mala (& fere grauius quam alius generis ſalia) exaſperant, vnde parce & cautim hic concedenda ſunt.

5) Conducunt alias in adfectibus faucium ad mucum attenuan-

nuandum & frequenter clysteribus ad spissiores sordes eliquandas & naturam stimulo excitandam induntur.

6) Speciatim sal gemmæ ad strumas laudatur *Paracelso.*

7) *Spiritum* vero *salis* quidam commendant interne ad nimiam sitim, calculum, ramices. Sed periculum est, ne, vbi pectus male habet, immanem tussim cieat & continuato vsu hepatis obstructionem aliaque grauiora mala importet. Extus eum dealbandis dentibus & cariei ossium, sed frustra, destinant.

8) Idem propemodum valet de *spiritu salis dulci*, a quo proinde pariter abstinemus, donec eius vsus melioribus experimentis innotescat.

9) Tandem de *sale digestiuo Syluii*, quod proprie sal commune regeneratum est, notamus, quod salis medii viribus vbique inferius, adeoque iure posthabendum sit.

96. Succinvm & eivs præparata.

1) De origine succini diu agitatam litem circumstantiæ collectionis aliaque fere decidunt; idque pro regni mineralis potius quam vegetabilis sobole habendum esse declarant.

2) Copiosius autem in Borussia colligitur, & est vel albicans, vel flauescens, vel nigrum. Priora satis conueniunt, posterius vero non nisi pro petroleo artificiali, seu oleo petræ nigr. off. destillando, vsurpatur.

3) Succini flaui principia sunt tenuia terrestria, sulphurea, oleosa & acida; vnde per destillationem *sal* prodit *volatile* quidem, sed cum alcalinis puris acidi instar efferuescens, quod in præparatione *liquoris C. C. succinati* conspicimus.

4) Ex his partibus constituentibus facultatem eius deriuare solent resoluentem, abstergentem, roborantem balsamicam, & placide diureticam.

5) Sigillatim vero inseruit multiplici vsui non minus interno, quam externo, in omnibus lymphæ vitiis, in catarrhali oppletione pectoris, congestionibus

rheumaticis, cephalæa, cephalalgia, ſuſurro aurium, brancho, coryza, hæmorrhoidibus cœcis, gonorrhœa, fluore albo, vbi *eſſentia concentrata* maxime confert.

6) Et cum in quocunque vlcere ſiue ſimplici, ſiue cancroſo exoptatam ſæpe virtutem oſtendit, tum etiam phthiſicis tanquam roborans & balſamicum euſtadias tempore commendandum eſt.

7) Præterea & grauidarum & puerperarum morbos mitigat, dummodo vbique febriles motus, vtpote quos eſſentia ſuccini acrius incendere poteſt, abeſſe animaduertamus.

8) Externe præcellenti pollet efficacia in vlceribus, vt iam innuimus, nempe læſionibus partium magis exſanguium, cutaneārum, vel tendinibus & membranis magis inſtructarum, vbi non ſolum adfluentium & effluentium humorum prauitatem corrigit, ſed & vi ſua tonica partes ſolutas conglutinat. Porro in ſuffitu adhibitum congeſtiones præcipue ſeroſas reſoluit, partesque teneriores roborat; ſed tamen protinus eo confugere debilioribus, qui exquiſito ſenſu præditi ſunt, non ſuadetur.

9) Datur in puluere & eſſentia, quæ inprimis polychreſta notatur. *Oleum* vero *ſuccini*, licet valde decantatum, nimium acre eſt, vehementemque humoribus æſtum infert; vnde ſolum extus parciſſime aliisque temperatum vtiliter adplicatur.

10) Tandem *liquor C. C. ſuccinatus* in epilepticis & catarrhalibus, frigidis, hemiplecticis malis iuſta doſi & tempore haud incongruens ducitur.

ASELLI ſeu MILLEPEDES.

1) E partibus ſalinis & ſubtiliter terreis, quibus texturam ſuam debent, qualitatem arceſſunt reſoluendi & diureſin prouocandi.

2) Vtiles ergo cenſentur in cachexia, hydrope, mucidis pectoris adfectibus, glandularum obſtructionibus, calculo, quin & arthritide.

3) Sa-

3) Satis autem adparet, locupletia huiusmodi virtutum teſtimonia, quibus certe confidere poſſimus, nos adhuc dum deficere. Quapropter circumſpectionem, & quia hæc animalcula vias vrinarias acriore ſtimulo adficiunt, in eorum vſu debitum moderamen ſuademus.

4) Cæterum nouimus illa a celebri & felici Practico ad viſus obſcuritatem & cataractæ rudimenta abolenda parco & continuato vſu frequenter adhiberi.

98. BVFONES.

1) Horrida hæc & inuiſa animalia, ob acre ſal, vehementer diureſin propellunt, ideoque a non nullis hydropi opponuntur.

2) Sed præſtat abſtinere, bufonesque ſiccatos tantum ad externos vſus reſeruare, vbi ſub axillis geſtati aut manibus detenti narium, vteri, præcipue pectoris hæmorrhagias antipathetica vi ſæpe refrenant, & in capite poſiti interdum etiam acutas, validas congeſtiones phreneticas & anginodes repellunt.

3) Præterea cum ad varios tumores & excreſcentem leuiter carnem, &, cum aliis ſtypticis mixti, ad hæmorrhagias ſiſtendas, itemque ad bubones peſtilentes, cancrum exulceratum, viperæ morſum laudentur, fortaſſe operæ pretium erit, talem eorum vſum pluribus experimentis ſubiicere.

4) Idem cenſendum eſt de bufonum *officulis*, quæ paſſim vt ſpecificum antodontalgicum, ſed dubium hucusque, celebrantur.

5) Neque *lapis bufonites*, qui falſo pro fœtu bufonis habetur, eas vires oſtendit, vt, ſicut nonnulli autumant, ad virulentos morſus & tumores malignos curandos vere quicquam conferre valeat.

99. CALCVLVS HVMANVS.

1) Conglutinatus eſt e partibus mucidis terreſtribus, paucioribus oleoſis & ſalinis; ſpeciatim renalis ex lympha, quam vlcus renale exſudat, & ſalſugine mucida vrinæ.

2) Hunc

2) Hunc *Paracelſus ludum humanum*, *Helmontius* ſuum *dulech* vocitauit; eorum vero aſſeclæ genuinam præparationem alii ſummo ſtudio rimati ſunt, alii etiam docere inſtituerunt, vt ſcilicet ſpecificum obtineretur idoneum ad omnes tartareas, vt loquuntur, obſtructiones reſerandas & præcipue calculum paullatim in mucilaginem diſſoluendum & abſumendum.

3) Secretam illius calcinationem & reductionem in oleum tradit *Hartmannus*, quod miris laudibus extollit.

4) Præterea vi alexipharmaca plenus creditur atque alicubi ipſi bezoardico lapidi æquiparatur.

5) Aſt hodie altum de huius ludi virtute eſt ſilentium, quibusdam notantibus, quicquid de eo iactatur, ludicram potius ſpeculationem redolere quam veritatem.

100. CANTHARIDES.

1) Acerrimo ſale repleti vehementer ſtimulant & adrodunt, ad veſicatoria ideo, vt notum eſt, pertinentes.

2) Quantam autem ſtimulandæ diureſeos vim teneant, vel ex eo liquet, quod extus cuti impoſiti tamen vrinariis meatibus interdum moleſtiam pariant.

3) Proinde licet illorum internum vſum & facultatem in lepra, calculo, hydrope, præcipue vero in gonorrhœa virulenta & fluore albo valde prædicatam legamus; tamen, cum ſic facile ardores, inflammationes, aut mictum cruentum inferant, tutior erit abſtinentia.

4) Quodſi autem alicui minus anceps tentamen ſuscipere lubeat, is leniorem *cantharidum eſſentiam*, cuius formulam *Bartholinus* præſcripſit, adhibere poteſt.

5) Externe quomodo commode adplicentur, *in tab. chirurg.* eſt declaratum.

101. CONCHÆ PRÆPARATÆ SIMPLICES & ACIDO SATVRATÆ.

vid. tab. de diaphoreſi.

102. CORNV CERVI & SPIRITVS EIVS.

vid. tab. de diaphoreſi.

103. EBVR

103. EBVR & SPIRITVS EIVS.

1) Huic diaphoretica & antiſpaſtica virtus tribuitur, quod quo iure fiat, aliis iudicandum relinquimus.

2) Inprimis autem ad inimicum, quod ſupponunt, acidum humorum demulcendum, dyſenteriam, itemque icterum curandum proponitur.

3) Etſi vero aliquantulum forte conferre queat, tamen certioribus & melioribus ad hæc remediis abundare videmur.

4) Videas etiam *ebur vſtum*, ſeu *ſpodium*, quod adſtrictorium magis eſt, ad fluorem album commendari; ſed & de eo non aliter ſentire poſſumus.

5) Neque de *ſpiritu eboris* quicquam ſingulare nobis ſpondere licet.

104. LAPIDES PERCARVM PRAEPARATI.

1) E tenuibus terreis & ſalinis particulis facultatem petunt abſtergentem & leniter diureticam.

2) Vnde magni fiunt in ſanguine coagulato & in ſtaſin ex caſu ab alto delapſo, itemque in laterum punctionibus, id quod vlterioribus experimentis inclareſcet.

3) Illud certius eſt, hos lapides infantibus, vrinæ ſuppreſſione aut imminutione laborantibus, ſæpe fuiſſe auxiliatos.

105. LAPIDES CARPIONVM PRAEPARATI.

1) Ab his quoque ſpecialem efficaciam in febribus & hæmorrhagiis exſpectant non nulli, ſed euentu pariter ambiguo.

2) Cum autem de cætero & abſorbent & tantillum reſoluunt, tum frequenter ad infantum conuulſiones ſedandas deſtinantur, quas tamen alia aptiora felicius abigunt.

106. LVMBRICI TERRESTRES.

vid. tab. de diaphoreſi.

107. OCVLI CANCRI.

1) Inter ea, quæ facultate abſorbendi præcipue & temperandi prædita quotidiano vſui inſeruiunt, fere primam ſibi vindicant dignitatem; quamuis ſi effectum

ſcrupuloſius examinemus, conchis præparatis vel aliis oſtracodermatis vix meliores reperiantur

2) Speciatim eos in ardore ventriculi ſeu ſoda, acrimonia bilis torminoſa, malis cholericis, deinde & in orgasmo ſanguinis, plurimis febribus, vbi priuatiue diaphoreſin inuitant aut ſuſtentant, in discraſia humorum acri ſeroſa, ſcabie & in ſpasmis etiam cum fructu propinamus.

3) Vbicunque præterea incraſſandi ſcopus nobis obuerſatur, adhiberi poſſunt; contra in obſtructionibus partium & ſpiſſitudine humorum parcius vel plane non indulgentur.

4) Præſtantiorem autem teneriusque abſtergentem & ſuauiter reſoluentem qualitatem ſimul induunt, quando citri acido puriore ſemiſaturantur. Sic enim in infantilibus plerisque morbis, in pectoris adfectibus, in vitiis renum, ſcabie, ſcorbuto mite & concinnum præbent remedium.

5) Idem in omnibus febribus acutis & malignis conuenit, hecticosque & phthiſicos efficacius fere, quam alia huius generis cognita pharmaca, ſubleuat.

109. RANAE.

1) Rariſſime in vſum vocantur, etſi quidam loco bufonum exſiccatorum ranas viuas in febribus malignis & peſtilentibus capitis integumento ſubdere, vt vehementes deliræ congeſtiones refringantur, itemque ad anginam periculoſe ingruentem arcendam linguæ imponere ſoleant. Cum autem hinc cito emoriantur, ante capienda eſt ſatis magna ranarum multitudo. *Confer. Gohlii tract. de peſte.*

2) Iam pridem autem *hepar ranarum* ad epilepticos motus compescendos valere dictum eſt. Neque hodie plane abnuit experientia, modo non vetuſtum nimis aut corruptum, ſed recentius poſt generaliorum remediorum vſum propinetur.

3) Ranæ, ſeu, vt alii volunt, ranunculi virides (die Laub-Fröſche)

Frôſche)arefacti & manu detenti in ſenſibilioribus interdum hæmorrhagiam narium inhibent & pulueriſati in vulneribus ſtyptica efficacia, quin & in vlceribus malignis & cancro prodeſſe dicuntur.

4) Notior vero eſt *ſpermatis ranarum* vſus quod, cum refrigeret & repellat, in inflammationibus caute adplicandum eſt; quanquam *Ettmüllerus* illud in omni eryſipelate, ambuſtione, inflammatione hepatis, & paullulum camphoratum in doloribus arthriticis, podagricis, cephalalgia, gutta roſacea efficaciſſimum pronunciet.

5) *Sydenhamius* id cum aliis permiſtum pro collutione oris in angina laudat, & non nulli ſpecificam ei virtutem adſignant in vlceribus ſerpiginoſis.

6) Emplaſtrum de ſpermate ranarum, ſi cum debitis reſoluentibus & ſubadſtringentibus paretur, nimium ad læſiones adfluxum optime cohibet, ſatisque probatum euadit defenſiuum. Idem largius camphoratum ſcirrhis inflammatis inſeruit.

7) Proſtat & *emplaſtrum de ranis cum mercurio*, ſed maioris famæ quam pretii; quippe inconcinna formula eſt & propemodum inutilis, niſi mercurii portio augeatur. Hoc ſi fiat, vtique in venereis vlceribus efficaciſſimum eſt, in aliis autem incertius, ac vbi tenax & cruda materia præſto eſt, fugiendum. Cæterum quoque ad ſcirrhos glanduloſos, præſertim ſi ſub initio ſtatim adplicetur & diu continuetur, diſcutiendos confert.

II. SANGVIS HIRCI.

vid. tab. de diaphoreſi.

III. SCARABAEI MAIALES.

1) Dicuntur & vnctuoſi, vtque fuſci ſunt, ſic a ſcarabæis equinis cornutis facile diſtinguendi.

2) Draſtica vi diuretica æmulari cantharides, ſed tamen mitius operari deprehenduntur.

3) Vnde quoque tutior eorum, melle vel oleo ſuffocatorum, vſus eſt in hydrope & œdematibus pedum, præ-

cipue vero teſtantibus fide dignis practicis, efficax in morſu rabidi canis, modo tempeſtiue adhibeantur.

4) Virtutem vero, quam laudant, antipodagricam, antinephriticam & calculum domitricem plurimi in dubium vocant, neque nos tentamen illud, quod *Ettmullerus* præſcribit, temere ſuscipiendum putamus.

5) Externe *oleum ſcarabæorum* olei ſcorpionum vices interdum ſupplere poteſt.

112. SCORPIONES.

1) Non tam interne, quam extus ſolum oleo oliuarum infuſi & macerati vſurpantur.

2) Et conducit huiusmodi *oleum* non tantum vt mirabile ſpecificum ad venenatum ſcorpionum ictum, verum etiam, regioni pubis aut veſicæ illitum, calculum pellit & ſuppreſſionem vrinæ interdum tollit; quanquam illud non facile ſolum, ſed cum aliis, mixtum & temperatum ordinare conſuetudo ſit. Porro *Ettmullerus* ſingularem illius vim anodynam in dolore aurium prædicat.

3) Cæterum haud ignota ſunt *olea ſcorpionum compoſita*, quibus præſtantem qualitatem alexipharmacam multi adſcribunt, ac propterea graſſantibus febribus malignis & peſtilentia, tam ad prophylaxin, quam ad curationem, regionem cordis, pulſus, tempora iis inungi præcipiunt; ſed ſi rem recte æſtimemus, maiore fiducia quam effectu.

113. TALI LEPORIS.

1) His etiam peculiares quasdam vires ineſſe facilius dicitur, quam indubitatis ſpeciminibus comprobatur.

2) Donec igitur hæc innotescant, licet interea ambigere, talos leporis in conuulſionibus, inflatione ſtomachi & colica valde prodeſſe.

114. TESTAE OVORVM.

1) Neque has teſtas ſingulari facultate certa quædam mala ſuperandi præditas eſſe nouimus; etſi illæ, e quibus pulli prodierunt, ab incubatu quiddam benefici accepiſſe & calculum præcauere dicantur.

2) Alias

2) Alias virtute ſua abſorbente & aliquatenus temperante ac reſoluente ſe cuiuis practico adprobare poſſunt, & in omnibus morbis, quibus cancrorum lapides conueniunt, vtiliter dantur, atque in eorundem lapillorum locum ſine metu minoris effectus ſubſtituuntur.

3) Ad huiusmodi vſus repurgatæ a pellicula aliisque ſordibus & exſiccatæ teruntur ſolum; ſi vero eas igni diutius imponas & calcines; faceſſunt tandem in calcariam plane ſubſtantiam, attactu aquæ vehementer ebullientem. Idem fit cum conchis, vnde conchæ veſtæ efficaciam reſoluentem & digeſtiuam, laudante iam *Crollio*, in febribus intermittentibus oſtendunt; ſi vero iuſto longius vrantur, acriores ſunt & cautius exhibendæ.

II4. TESTAE STRVTHIO-CAMELI.

1) Inſignis harum eſt durities, quam tam breui tempore ex humoribus exſiſtere & compingi poſſe mirandum eſt.

2) Virtus autem abſorbens & egregie ſimul diuretica iis tribuitur, vnde *Volkamerus* illas in puluerem ſuum contra calculum ſelegit.

3) Sed merito dubitat *Ettmullerus*, præ aliis ouorum teſtis vllam hisce prærogatiuam deberi.

TABVLA VI.
DE
APOPHLEGMATISMO
PER NARES.

I. *DEFINITIO.*

Apophlegmatismus per nares eſt peculiaris euacuationis ſpecies, qua natura prædicti organi ope ſerum illud

mucidum, quod caput præcipue offendere conſpicitur, ſiue ſponte ſua, ſiue remediis externis excitata, eliminare contendit. Deriuatur ab ἀπὸ ex, & φλέγμα, aqua.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Euacuatio ſaliualis quatuor modis fieri ſolet.
   1) Alia enim contingit per *nares*, & *apophlegmatiſmus narium* adpellatur.
   2) Alia per *ſputationem breuem*, quæ *apophlegmatiſmus oris* audit.
   3) Alia per *ſputationem longinquam* & *copioſam*, atque hæc ſtrictiore ſenſu *ſaliuatio* vocatur.
   4) Alia per *pulmones* & *arteriam aſperam*, quæ *expectoratio* dicitur.
2. Priores duæ particulares & quaſi ſuperficiariæ, poſteriores autem vniuerſales ſunt: profundius enim ex humorum maſſa id, quod euacuant, exantlare ſolent.
3. Quemadmodum autem in hac tabula *de phlegmatiſmo* tantum *narium* dicemus; ita inſtituitur ille
   1) vel per remedia *errhina*, quæ particulis ſuis acrioribus humores ſpiſſos, partibus inhærentes, non tantum attenuant, ſed & glandularum motum excretorium ſimul proritant. Deriuatur hoc nomen a ῥίν, naſus, ῥῖνον, naſale, ſcilicet remedium.
   2) Vel per *ptarmica*, quæ ad motum illum concutientem & discuſſorium, qui *ſternutatio* audit, naturam ſimul fortius ſtimulant. Deducitur vocabulum a πταίρω, ſternuto.
   3) Vel per *errhino ptarmica*, quæ vtroque modo agunt, videlicet tam fundendis humoribus, quam partibus irritandis apta.

III. *INDICANTIA.*

1. Licet tam *errhinorum*, quam *ptarmicorum* vſus in vita communi hodie ſit frequentiſſimus, in praxi tamen medica rarius indicatur.
2. Inſtitui autem poteſt
   1) In adfectibus chronicis mucidis, caput & vicinas partes grauantibus.

2) Spe-

2) Speciatim in congeſtionibus oculorum ſeroſis, minime autem inflammatoriis, quas potius exacerbant.
3) In pathematibus, quæ a conſuetæ coryzæ emanſione pullularunt.
4) In ſuſurru aurium catarrhoſo.
5) In partu difficili & ſecundinarum retentione.
6) Qua circumſpectione in apoplexia, lipothymia & lethargicis adfectibus vſurpanda ſint hæc remedia, *ſub cautelis* monebimus.

3. Vbique autem temperamenti rationem habere conuenit. Phlegmaticis enim vel robuſtis a ſternutatorio motu non facile læſio metuenda eſt; in cholericis autem vel teneris vſus horum vellicantium remediorum debet eſſe circumſpectior. *Conf. cautelæ.*

IV. *INDICATA ſeu REMEDIA.*

Virtute errhino-ptarmica pollent

1. *mineralia*, e. g.
Vitriolum album cum aqua roſarum ſolutum.
Sal armoniacum lixiuio iniectum.

2. *Animalia*, v. g.
Salia volatilia vrinoſa.
Caſtorei eſſentia.

3. *Vegetabilia*, e. g.

Rad. Ceparum	Origani
Ellebori albi	Ptarmicæ
Ialappæ	Rorismarini
Ireos Florentinæ	Serpilli
Mechoacannæ albæ	Tabaci
Pimpinellæ albæ	Thymi.
Pyrethri	Flor. Anthos
Squillæ.	Calendulæ
Fol. Anagallidis purpureæ	Carthami
Betonicæ	Cyani
Maioranæ	Lauendulæ
	Liliorum conuallium.
	Roſarum

Flor.

Flor. Spicæ	Fruct. Caryophyllorum aromaticorum
Violarum.	Cubebarum
Gummi Euphorbii.	Piperis
Sem. Erucæ	Saccharum
Naſturtii	Balſamica pleraque oleoſa
Nigellæ	Species diambræ, diamoſchi.
Rutæ	
Sinapios.	

V. *MODVS OPERANDI.*

1. Notiſſimum eſt, naturam humanam ſine vllis remediis narium apophlegmatiſmum producere, atque & hac ratione corpus ſuum a ſuperfluis humoribus repurgare.
2. Vbi autem naturalis hæc euacuatio iuſto ſegnior obſeruatur, tum artificialis excitatio requiritur, & hæc per remedia *errhina* & *ptarmica* obtinetur, vti ſub *differentia* iam indicauimus.
3. Dum vero vel *errhina* particulis ſuis ſalinis acrioribus humores ſpiſſos in glandulis narium reſoluunt, vel *ptarmica* interiorem narium membranam, quæ valde ſenſibilis eſt, potentius adficiunt, vel *errhino-ptarmica* vtraque ratione agunt; natura per moleſtum hunc ſenſum excitatur, vt humores copioſius ad nares congerat, particularum acriorum ſtimulum diluendo infringat, & per motum illum ſternutatorium, quaſi conuulſiuum, displodat, atque e naribus proiiciat. *Conf. tab. med. de coryza*, in qua ſub *cauſſis* de modo agendi plura diximus.
4. Dantur etiam ptarmica, quæ non per acrimoniam quamdam ſalinam, ſed per ſolam leuitatem corpuſculorum, naribus adhærentium, naturam ad conuenientem illum motum diſſlatorium inuitant.

VI. *MODVS PROPINANDI.*

Hic reſpicit

1. ipſius medicamenti *formam*, vbi licet etiam per ſolos acres vapores aut turundas, vel ceram, mordacibus rebus imbutam, effectus obtineri queat; tamen pro more vulgatiſſimo

1) *errhi-*

1) *errhina liquida* esse solent, e.g.
spiritus volatiles vinosi,
euphorbium aqua solutum.
2) *Ptarmica* autem in forma *pulueris* adhibentur.

2. Aliorum pharmacorum congruam *adsociationem.* Raro enim solis hisce remediis morbus quidam superatur. Vnde pro re nata, blanda laxantia, diaphoretica, diuretica, discutientia, resoluentia, debent coniungi.

VII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Si dicendum, quod res est, & *errhina* & *ptarmica* magis abusui hodie exposita sunt, quam in decentem vsum vocantur. Cum enim, vt moris est, citra necessitatem, immo contra corporis dispositionem tam frequenter iis se multi delectant; tum humorum versus caput congestionibus porta aperitur, & molestissima consectaria introducuntur. Tantum quippe abest, vt emunctæ naris homines inde euadant, vt potius stagnationibus mucidis & stupiditati cuidam sæpe exponantur. Tacemus, olfactus organum sensim hinc eneruari & interdum plane destrui.

2. Vnde operæ pretium erit, *contra-indicantia* hic subiungere.
1) Insignis plethora, vti alias vehementes commotiones non tolerat; ita & ptarmicorum vsum, præcipue in sanguineo-cholericis, excludit.
2) In vertigine sanguinea ab his remediis abstinendum est, ne morbo attonito sensim viam aperiant. Quamuis enim præsenti apoplexiæ vsui esse possint; imminentem tamen in actum deducere auctores obseruarunt.
3) Memoriæ debilitati frustra opponuntur errhina & ptarmica. Quoniam enim humores copiosius versus caput inuitant, memoriam potius læsura, quam roboratura non immerito censentur.
4) In cephalalgia & ophthalmia sanguinea manifesto nocent.

5) Qui ad hæmorrhagiam narium nimiam, hæmoptyſin & phthiſin habent procliuitatem, ab his remediis excitantibus & exaſperantibus debent abſtinere.

6) Adfectus acuti febriles, ſpaſtici & conuulſiui ægerrime tolerant has commotiones. Vnde vſum horum remediorum antepilepticum, quem non nulli commendant, non poſſumus probare.

7) Neque in acutarum ſingultu concedenda ſunt ſternutatoria; quanquam alias, *Platone* iam laudante, ad leuiorem ſingultum profligandum ſufficiant; nam & materia, ſi quæ adſit, inde diſſipatur & motu fere contrario, quem diaphragmati ptarma infert, ſingultuoſus deletur.

8) Immo ne in lethargicis & lipothymicis quidem adfectibus hæc remedia ſatis tuta ſunt. Licet enim in illis motuum defectus ſit manifeſtus, minime tamen ille per eius modi fortes commotiones reſarciendus eſt.

9) Denique ptarmica nocent in externis corporis læſionibus, e. g. in herniis, prolapſu vteri & inteſtini recti.

10) His omnibus ſubiungimus ſtatum grauiditatis.

3. Quando errhinorum vſum, loco moderatioris effluxus, vehementior humorum adfluxus excipit, & tumor inflammatorius nares occupat, tum eorum adplicationem ſiniſtre inſtitutam eſſe liquet.

4. Dantur errhina maxime vehementia, quæ tamen effectum ſternutantem non exſerunt. Contra ptarmica quædam valida ſunt, quæ copioſam e naribus humiditatem non æque educunt. Interim omnia ptarmica ſunt ſimul plus vel minus errhina.

5. *Salia volatilia vrinoſa*, quia materiam non tantum mobilem reddunt, ſed & vias atque ipſas membranoſo-nerueas partes ita ſimul adficiunt, vt reſtrictio mediocritatem naturalem non excedens, adeoque humiditatis contentæ diſtributio ſequatur, præ aliis errhinis vtilia ſunt,

præ-

præcipue perſonis ſanguinei habitus. Hæ enim vehementiora non æque, vti phlegmatici, tolerant.

6. Præcipuum inter errhina, ſed & ſatis violentum eſt *euphorbium*. Vnde in ſubſtantia, vtut exigua valde portione, vix ſine noxa offertur, præſertim ſi multa narium frictio accedat. Paullulum autem mitius agit, quando pauca illius quantitas cum aqua ſimplici, vel roſarum, aut maioranæ trita & transcolata naribus attrahitur.

7. Conſultum itaque eſt, ne qua noceatur, inter hæc remedia discrimen & gradus vehementiæ quodammodo perſpectos habere. Sic validiſſima ſunt dictum gummi, radix hellebori albi, piper; leniora, ſed tamen adhuc ſatis fortia folia tabaci, flor liliorum conuallium, vitriolum, album; mitiſſima betonica, origanum.

8. Cæterum plura quidem, quam allegauimus, ad huius generis pharmacorum claſſem a quibusdam auctoribus referuntur, ſed cum propoſita iam fere nimia ſint, ſaltem eum numerum conficiant, ex quo delectum habere cuiuis procliue eſt, maior moles in hoc leuiore medicationis genere valde odioſa videri potuiſſet. Itaque iam ad ea, quæ alibi non pertractauimus, paucis recenſenda progredimur.

9. VITRIOLVM ALBVM.

1) Veram huius indolem & differentiam ab aliis vitrioli generibus nemo chymicorum penitus adhuc diſcuſſit & aperuit. Eſt autem materia, vt videtur, ſalino-acida & terreo-metallica, ſapore ſalino, acri, adſtringente & nauſeam creante prædita. Vnde interne datum vomitum languide ciet; extus ſiccat, reprimit, & adſtringit.

2) Vt errhinum catarrhos mucidos, coryzam, grauedinem, phlegmatorrhagiam ſubleuat, ſi aqua maioranæ ſolutum iuſto tempore adhibeatur.

3) Alias eſt ophthalmicum egregium atque eorum, quæ reprimendi & adſtringendi ſcopo collyriis admiſcere fructuoſum eſt, coryphæus. In eumdem vſum per albu-

albumen oui deliquio ſoluitur & aqua roſarum temperatur. Expedit autem in adplicatione id potiſſimum obſeruare, vt æſtum inflammatorium prius mitigemus atque vſui illius ſtatim *ſaccharum ſaturni*, aqua quadam ophthalmica ſolutum, ſubiungamus.

De *Gilla Theophraſti*, quam purificatione & cryſtalliſatione huius vitrioli, vel per ſe, vel addito nitro obtinere intendunt, diximus *in tabul. de emeſi.*

10. SAL AMMONIACVM.

1) Eſt hoc vel *natiuum*, quod olim circa Iouis Hammonis templum in Africa effoſſum eſſe, hodie vero prope radices Veſuuii eructari dicitur, vel *artificiale* ex ſale communi, vrina & fuligine parari ſolitum.

2) His partibus conſtituentibus debet vim ſuam reſoluentem, diureticam & propter ſal volatile tonicam, repellentem.

3) Integrum, vel in ſubſtantia, raro intus vſurpatur, quamuis id nonnulli corrigendæ primarum regionum cruditati & febribus præcipue intermittentibus conſecrent, ſed plerumque lento, vel exiguo, vel nullo ſucceſſu. Vtilius additur gargariſmatibus ad craſſiorem mucum in angina notha liquandum & diluendum.

4) Celebratiſſimus autem eſt hinc deſtillatione per alcali prodiens *ſpiritus ſalis ammoniaci*, qui, præſertim per calcem viuam expulſus, perquam volatili odore nares ferit, ibidemque mucum reſoluit & partes roborat. Cæterum interno vſu conuenit cum aliis vrinoſis volatilibus, de quibus ſupra locuti ſumus.

5) Idem ſal volatile ad ſcopum errhinum exſurgit, cum ſal ammoniacum in alcali fixi lixiuium, ſub leni præcipue calore, iniicitur.

11. SALIA VOLATILIA VRINOSA.

Horum vſum modo adpoſuimus, abuſum alibi monſtrauimus.

12. CASTOREI ESSENTIA.

1) Caſtoreum proprie ſunt corpora glanduloſa, ſub teſticulis

culis animalis amphibii, quod *caſtor* ſeu *fiber* vocatur, nata & oleoſo ſpiſſo liquore turgida, quocum ſenſim exſiccantur & ex Moſcouia frequenter ad nos deuehuntur. Color fuſcus, flaueſcens, ſapor acer, amaricans, nauſeoſus, odor grauis, penetrans obſeruatur.

2) Adſignatur ei magno plurimorum adplauſu facultas discutiens, neruina & anodyna; ſed quam parum valeat, vbi talium effectuum ſpe crebrius exhibetur, quotidiana condocere poſſunt exempla.

3) Sicut enim hyſtericis nihil tam frequentius offerri ſolet, quam caſtoreum; ita ſæpe fit, vt, cum radicem morbi plane non attingit, fœtido ſuo vaporoſo oleo grauiores commotiones moliatur, vel deinceps, vbi per aliquot horas ſpasmos ſopiit, vehementius eos reſuſcitet, capitisque dolores, temulentiam & præcordiorum anguſtias augeat, præſertim ſi nauſeoſa & vomibunda pathemata coniuncta ſint.

4) Neque aliis etiam ſpasmodicis malis colicæ, arthritidi, epilepſiæ, neque paralyſi, aliduræ, multo minus vertigini, vel lethargo, quibus a non nullis deſtinatur, ſolide mitigandis ſufficere caſtoreum animaduertitur. Et certe cum alia tutiora & efficaciora ſuppetant, *eſſentia caſtorei* poſtponenda videtur.

5) Salubrius autem *extus* adhibetur caſtoreum ad ſpasmos abdominis, colicos cruciatus, ſuſurrum aurium & difficilem auditum; atque vt errhinum in eſſentia vel puluere cum aliis ſociatum. Proſtat & *medulla* caſtorei.

13. RADIX CEPARVM.
vid. tab. de diureſi.

14. RADIX ELLEBORI ALBI, IALAPP. &c.
vid. tab. de catharſi.

15. RADIX IREOS FLORENT.
vid. ibid.

16. RADIX MECHOACANNÆ ALBÆ.
vid. tab. de catharsi.

17. RADIX PIMPINELLÆ ALBAE.
vid. tab. de diaphoresi.

18. RADIX PYRETHRI.

1) Radicis huius (quæ in Italia sponte nascens apud nos in hortis colitur) particulas salinas causticas acerrimas & sapor prodit & effectus valde stimulans ac rubefaciens.

2) Vnde conuenientius est ab interno eius vsu prorsus abstinere, in externa autem adplicatione tale moderamen seruare, vt mordacitas eius satis infracta insignem humorum adfluxum, aut inflammationem suscitare nequeat.

3) Laudatur in paralysi, inprimis linguæ, apoplexia, lethargo, catarrho suffocatiuo, odontalgia catarrhali, item, sed incertius, in epilepsia.

4) In ore detenta saliuam cum feruore elicit, vnde Germ. Speichel-Wurtz audit, & inter potentissima masticatoria refertur. A quibusdam etiam, sed caute & parcissime, aliis sternutatoriis ad vexandas nares immiscetur.

5) Ad vsum inditur conuenienti portione clysteribus, cataplasmatibus, decoctis.

19. SQVILLA.
vid. tab. de emesi.

20. ANAGALLIDIS PVRPVREAE *folia.*

1) Huius herbulæ succus etiam caput purgare dicitur naribus attractus; sed talis vsus hodie antiquatus est, sæpius vero, vt est herba vulneraria, ad hæmorrhagias & vlcera itemque ad oculorum morbos eam commendatam legimus.

2) Inter omnes autem illius laudes effulget virtus specifica insaniæ expultrix; namque fatuorum salus, Gecken-Heyl, audit, & complures practici multos maniacos & melancholicos per huius herbæ decoctum ad sa-

nam

nam mentem rediiſſe teſtantur. Non indigna igitur eſt, quam frequentius iuſta methodo miſerandis huiusmodi ſubiectis adhibeamus, nec ab vſu eius vlteriore, vbi non protinus ex ſententia ſuccedit, nos deterreri patiamur.

21. BETONICA.

1) Herba & præcipue flores ſuaueolent atque e principio oleoſo-ſulphureo facultatem quamdam reſoluendi & neruinam mutuantur.

2) Conueniunt exinde in adfectibus capitis frigidis aliisque catarrhalibus & quadantenus vterinis ac motuum languore; neutiquam vero ea patrant miracula, quæ vulgo exſpectantur.

3) Etenim rariſſime votis ſatisfaciunt peruulgata eius encomia in melancholia, epilepſia, apoplexia, oculorum caligine, hæmoptyſi, tabe & vlceribus pulmonum, obſtructis viſceribus, quartana, hydrope, calculo, menſibus ſuppreſſis, fluore albo, arthritide, podagra, peſtilentia, morſibus venenatis, incantamentis.

4) Nemo autem mirabitur tam longum virium catalogum, quando quidem hæc herba tantum gloriæ habet, vt verbis *Plinii* domus, in qua ſata ſit, tuta exiſtimetur a piaculis omnibus.

5) Præterea aliis eadem ad arcendam, aliis ad adferendam temulentiam apta creditur; extus autem certius ad vulnera & laxitatem toni corrigendam, dentes firmandos, catarrhos capitis, dubie ad vlcera cancroſa & ſurditatem laudatur.

6) *Radix* & *ſemen* inertiora ſunt & minus vſitata.

7) Proſtant eius *aqua deſtillata*, *conſerua*, *ſirupus*, item *emplaſtrum* ſeu *ceratum de betonica* in vulneribus capitis celebre & proficuum.

22. MAIORANA.

1) Fragrat ex volatiliorum principiorum ſuaui copula, atque vt neruinam, tonicam, discutientem & carminati-

natiuam virtutem obtinet, ſic præcipue & fere maiori iure, quam antecedens, cephalicis accenſetur.

2) Adhibetur ergo in atonia partium, paralyſi, tremore, ſtaſibus & tumoribus frigidis, catarrhis capitis, & præcipue coryzæ, narium obſtructioni (vt egregium *errhino-ptarmicum*) ac odoratus læſionibus dicatur.

3) Porro vſum fui comprobat in ventriculi debilitate, flatulentia, & aliquantum in fluore albo, menſibus imminutis & decoloratis, ſecundinarum retentione. Cæterum eam ſingulari efficacia ſubuenire epilepticis, ſterilibus, aut oleum eius deſtillatum quartanæ mederi, ambiguum eſt.

4) Illud adhuc monemus, obſtructionem mucoſam narium infantibus ſæpe moleſtam & ſuctioni remoras iniicientem a butyro maioranæ intus, ab aqua deſtillata, vel oleo extus illito referari.

23. ORIGANVM.

vid. tab. de diaphoreſi.

24. PTARMICA.

1) Vocatur etiam pyrethrum ſylueſtre & cum ſatis acribus ſcateat particulis, tum e glandulis ſaliualibus copioſum humorem elicere, tum ſternutamentis prouocandis nominis ſui omen implere reperitur.

2) Poteſt itaque huic ſcopo, aliis pulueribus lenioribus admixta, vt ſtimulus, velificari; ſed raro in vſu & fere ſuperflua eſt, cum certiora habeamus.

25. ROSMARINVS.

1) Herbæ & floribus, ob ſulphureo-oleoſarum partium copiam fragrantem maxime, implantata eſt vis aromatica, roborans, discutiens, neruina & analeptica. Vnde ea ad multum vſum apta & a plerisque in magno dignitatis gradu collocata ſunt.

2) In primis cephalicorum fere princeps atque hic (excepto, quod olfactui forte non adeo ſuccurrat) & in morbis vterinis aliisque, præſtantior rosmarinus ducitur maiorana, de qua paullo ante diximus.

3) Opta-

3) Optamus ergo, vt in recluſione obturatorum viſcerum, reuocatione menſium, ſterilitate, fluore albo (quem ſpeciatim eius *eſſentia* nonnumquam corrigit & abolet) apoplexia, epilepſia, memoriæ debilitate & viſu acuendo illas virtutes in dies magis experiamur, quas multi auctores promittunt.

4) Et merito adhuc in maiori pretio habendus eſſet, ſi, vt aliqui putant, a peſtilenti contagio certius præmuniret, aut phthiſi, ex lacte ſumtus, vel narium polypo, vel fiſtulis & cancro mederetur.

5) Proſtant in officinis, *aqua deſtillata*, *ſpiritus*, qui ex *floribus rorismarini* ſeu *anthos* paratus celebris illa *aqua reginæ Hungaricæ* dicitur, *eſſentia*, *oleum*, *balſamus*, *conſerua*. Præſcribitur quoque in *vino medicato*, *ſacculis*, *decoctis*, *balneis*, *ſuffitu*.

26. SERPILLVM.

1) Datur ſylueſtre, vel paullo hirſutius, vel læue citrino odore gratiſſimum; atque e noſtratibus eſt inſigne aromaticum, neruinum & discutiens, aliis cephalicis vix inferius habendum.

2) Quapropter iisdem fere malis, quibus maiorana ac rosmarinus deſtinantur, conuenit, & præcipue *ſpiritum ſerpilli*, citrini odoris, in doloribus capitis, paralyſi, tremore artuum, decoctum & balneum in ſpasmodico-arthriticis morbis, aquam deſtillatam in partu inſtante paullo difficiliore ſæpe cum fructu vſurpata fuiſſe meminimus.

3) Cæterum oppilationes viscerum tollere & morſus virulentos, aut peculiari proprietate inflammationem vteri ſanare, nondum ſatis compertum eſt.

27. TABACVS.

vid. tab. de emeſi.

28. THYMVS.

1) Eſt ſerpillum Italicum, noſtrate rigidius, ſed acrius & fragrantius, notiſſimum culinis condimentum.

2) Itaque gradu tantum a præcedenti diſſidet, cæterum parem facultatem neruinam, discutientem, carmi-

natiuam nactus & præterea ad necandos vermes, pellendos menſes, ſecundinas, calculum laudari ſolitus.

29. FLORES ANTHOS.
vid. ſub herba roriſmarini.

30. FLORES CALENDVLAE.
vid. tab. de diaphoreſi.

31. FLORES CARTHAMI.
vid. tab. de catharſi.

32. FLORES CYANI.

1) Hos ex temperatis acidis & ſubtilibus ſulphureis particulis connexos, ideoque leuiter discutiente & tonica efficacia dotatos eſſe perhibent.

2) Verum hanc vim duntaxat in partes teneriores, membranaceas, neruoſas emittere & proinde *aquam* eorum deſtillatam oculos, maiore humorum congeſtione & inflammatione oppreſſos, paullulum ſolari comperimus. Qua propter alibi natas ſtaſes ſanguinis, ſuggillationes, tumores faciei non æque discutiunt.

3) Cæterum a quibusdam commendantur, vt diuretici, in ictero, hydrope, ſuppreſſione vrinæ, item ſcabie, vlceribus, menſium retentione; ab aliis radix manu detenta hæmorrhagiam narium ſiſtere & ſuccus, qui e contuſis viuis cancris aqua flor. cyani adfuſa exprimitur, dentium eruptionem in infantibus adiuuare prædicatur. Sed hæc omnia nondum ſatis probata tempori patefacienda relinquimus.

33. LAVENDVLÆ FLORES.

1) In cephalicorum claſſe ſunt, vtique roborantem, neruinam & reſoluentem virtutem conſecuti.

2) Cum autem paullo ſupra (*vid. maiorana, roſmarinus, ſerpillum*) iam eos morbos, quibus leniendis ſimplicia huius generis ſufficiunt, allegauimus; in dictis repetendis non erimus verboſi. Illud hoc loco non prætereundum eſt, lauendulam, vti ſatis oleoſa & feruida eſt, ſic in vterinis aliisque calidioribus malis parce & cau-

caute interne dari oportere, cæterum nec palpitationem cordis, nec ſpasmos, nec arthritidem ſingulari quadam vi depellere.

3) Extus in tumoribus frigidis, catarrhis, paralyſi, torminibus, ſpecifice, vt quidam volunt, in conuulſione neruorum a vulnere & punctura itemque in pediculorum colluuie fuganda adplicatur, & quidem in decocto cum vino, vel aqua, vel oleo deſtillato.

34. LILIORVM CONVALLIVM FLORES.

1) His quidem ſulphureæ partes maxime fragrantiam, & ſalinæ alcalinæ ſtimulum errhino-ptarmicum largiuntur, ſed tamen peculiaris vtrarumque poſitus & textura integra ad ſuauem illum odorem requiritur, nam recentes conciſi aut conquaſſati non ita bene olent.

2) Quemadmodum autem illis reſoluens, colliquans, neruina & analeptica quædam facultas tribuitur; ſic horum liliorum vſum in catarrhis capitis attenuandis, vertigine, tremore, paralyſi, loquela amiſſa, deliquiis animi & languidis alibi motibus excitandis frequentem nec prorſus inefficacem eſſe nouimus.

3) Siccati flores errhinoptarmico effectu ſatis violenter caput adficiunt & repurgant. Eundem effectum *radix*, iudice *Camerario*, præſtat.

4) Cæterum optandum eſſet, vt & in epilepſia & apoplexia curanda, viriumque reſtauratione in febribus malignis, medicantium impleret deſideria.

5) In vſu ſunt *aqua deſtillata*, *conſerua* & præcipue *ſpiritus* per crebram ſpiritus vini cohobationem a floribus recentibus confectus, quanquam & aliis modis paretur, de quibus vide *Ettmüllerum*.

35. ROSARVM FLORES.

1) Sunt magis vel minus odoriferi. Priores merito ſeliguntur, atque vt vel rubro-puniceo vel incarnato vel albo colore exſiſtunt; ſic omnes volatili ſulphurea ſua portione ſuaueolenti vires aliquantum reficere & rubicundi ſimul ex acidis terreſtribus ſuis moleculis adſtrictoriam qualitatem petere deprehenduntur.

2). His posterioribus maior vsus & inter quatuor *flores* sic dictos *cordiales* locus vulgo conceditur. Quo scopo *spiritum* eorum per fermentationem paratum, & *aquam destillatam* (tonicam pariter & parum resoluentem indeque etiam ophthalmicam) denique *acetum rosarum* laudant. Nec inutilis est *conserua* harum rosarum, quæ cum recens magis styptica sit, vetustate mitescit, ac tum hæmoptyicis, tabidis, hecticis, calculosis, dysentericis insigniter conducere celebratur. Febricitantibus datur ad temperandum æstum *tinctura* rosarum, ad recreandum vero tum *aqua destillata*, tum *saccharum rosatum tabulatum* aliis analepticis adiunguntur. Siccati & pulueriſati flores non plane respuendum præbent ptarmicum.

3) Ex incarnatis pallidioribus seu Damascenis parantur *aqua, spiritus, oleum, conserua*, inprimis vero celebris ille *syrupus rosarum solutiuus*, commodum infantibus leniente & laxante effectu subsidium; & *mel rosarum* chirurgis ad varias vlcerationes & faucium ac gingiuæ mala expetitum.

4) *Vnguentum* & *oleum* coctum rosarum multo sunt abusui exposita, quando quidem temerario eorum, vti & aliorum pinguium illitui in erysipelate aliisque inflammationibus funestam subinde catastrophen successisse meminimus.

5) Cæterum rosas in erysipelate & doloribus capitis singularem virtutem obtinere, aut quartanæ mederi dubitatur.

36. SPICAE FLORES.

Spica nostras siue pseudonardus (a spica Indica & Celtica distinguenda) vocatur etiam *lauendula mas* seu *latifolia*; & viribus cephalicis, tonicis, aromaticis, vt & odore magis valido cum lauendula anguſtifolia seu fœmina, de qua paullo supra, conuenit, vnde hic nihil addimus.

37. VIOLARVM FLORES.

vid. tab. de diuresi.

38. GVM-

38. GVMMI EVPHORBII.
vid. tab. de catharsi.

39. SEMEN ERVCAE.

1) Qualitatem fouet incidentem & resoluentem, stimulo diuretico comitatam, atque hanc ex principiis eius salinis, acribus, cum paucis sulphureis & terreis iunctis, deriuant.

2) Non vanus ergo eius vsus est in cruditate primarum viarum, corruptelis seri & lymphæ mucidis, cachecticis, hydropicis, catarrhis frigidis crassis, & glandularum meseraicarum obstructione.

3) Nec inutilis est in scorbuto & vermibus enecandis, dummodo vbique caueatur, ne id vel tenerioribus macilentis, vel in coniuncto grauiore æstu temere præbeamus. Nam his & acutis morbis potius nocumentum acriore sua vi adferet.

4) Externe tonum non nihil restituit, & adfluxum humorum aduocat rubefaciente effectu; quapropter errhino scopo parcissime aliis admiscendum erit. Cæterum directe apoplexiæ, paralysi, item mensium suppressioni, aut venenatis ictibus auxiliari, improbabile est.

40. NASTVRTII SEMEN.
vid. tab. de diaphoresi.

41. NIGELLAE SEMEN.

1) Mitis ac suauioris carminatiui titulum meretur, nam ex sulphureo-oleosis partibus leni mucilagine temperatis constat, & virtutem hinc arcessit resoluentem, leniter discutientem & roborantem.

2) Quapropter emendandis mucidis impuritatibus, vbicumque siue in stomacho, siue in pectore, aut renibus hæreant, & flatulentiæ conuenit; inprimisque ad catarrhos capitis indeque oriundam cephalalgiam, vertiginem, obstructionem nasi, vel odorata tantum, vel in suffitu, vel in puluere naribus attracto, vel in sacculis imposita laudatur.

3) Vtiliſſimum quoque eſt ad lac promouendum, atque, iusculis incoctum, ad dolores poſt partum flatulentos diſſipandos.

4) Illud adhuc ſatis obſcurum videtur, *ſemen* hoc virus e rabidi canis morſu delere, & vt amuletum auertere peſtilens contagium, vel *radicem* nigellæ, manſam & naribus intruſam, hæmorrhagiam narium, aut ſub lingua, vel manu detentam menſium profluuium ſiſtere.

5) Poſtremo notamus, hodie quoque *nigellaſtri* ſeu *lolii* ſeminis vim errhino-ptarmicam innotescere, atque ob pulcrum, quem edidiſſe prædicatur, effectum commendari.

42. RVTAE SEMEN.

vid. ſupra herb. rutæ.

43. SINAPIS SEMEN.

1) Principiis & qualitate parum diſſidet a ſemine *erucæ*, quamuis vtriusque plantæ facies notabilem oſtendat differentiam.

2) Cum ergo ſimiliter attenuat humores ſpiſſos & viscidos, nec minorem ſtimulum vrinariis & ſpermaticis viis admouet; tum cruditate, vel longinqua febre intermittente laborantibus, porro hypochondriacis, lienoſis, ictericis, hydropicis, cachecticis, chloroticis, aſthmaticis humidis, catarrhoſis frigidis vſum ſæpe adfert non pœnitendum.

3) Cæterum eas cautiones, quas ſub ſemine erucæ interſperſimus, hic etiam in memoriam ſibi reuocare expedit. Externe in paralyſi linguæ hoc ſemen adhibetur.

44. CARYOPHYLLI AROMATICI.

1) Hos fructus arbor quædam lauro ſimilis in Moluccorum inſulis proferre dicitur, vnde ſub duplici facie ad nos exportatos habemus. Quidam ſunt *maturi* & *maiores*, *antophylli* ſeu *mares* (german. Mutter-Nelcken) adpellati; alii *immaturiores* & *minores*, quos *veros* alioquin & *vulgares caryophyllos* nuncupant.

2) Sicut

2) Sicut autem hi merito ad ſuauiſſima aromatum genera referuntur, virtutibus attenuandi, reſoluendi, roborandi inſignes; ita, ob abundantiam ſulphurei oleoſi acris principii, oppido feruidi ſunt & motum humorum vehementius incendunt.

3) Ex quo intelligitur, quod quidem abſente æſtu & febri in primarum viarum debilitate, flatulentia indeque orta colica, atque in morbis frigidis cachecticis, catarrhalibus & motuum remiſſione ac defectu auxilium promittant; vbiuis autem caute & parciore doſi, præſertim teneris delicatis & calidioribus ſubiectis porrigendi ſint.

4) Neque eſt quod credamus, illos in capitis imbecillitate, vertigine, memoria debili, viſus obſcuritate, vel, præcipue *antophyllos*, in morbis vterinis & fluore albo vtramque paginam facere; vtpote cum ad manus ſint indigenæ herbæ temperatiores ac longiore tuto vſu in eiusmodi malis æque efficaces, ſi non magis profuturæ.

5) Externe in oculorum adfectibus conducunt, & quem ad modum ſolus halitus ex caryophyllis, ore manſis, oculos in variolis defendere valet, ita in ophthalmia hi fructus aquis ophthalmicis cum fructu adduntur. In doloribus dentium vltimum ſæpe refugium ſunt caryophylli; ſed licet plerumque multum ſaliuæ & muci extrahant, tamen cariem non exſtinguunt, nec catarrhalem adfluxum ſemper amoliuntur. Maiorem auxilii ſpem faciunt in ſupra dictis adfectibus & in paralyſi, contractura, ſphacelo: adhibentur autem *oleum deſtillatum*, *eſſentia*, *balſamus*, *ſpecies caryophyllatæ*, *puluis* & ex eo *ſuffitus*.

6) Cæterum, vt monuimus, nocent in commotionibus humorum, nec tuto in ſanguine coagulato, hæmoptyſi, horrore quartanæ, aut aliis febribus præberi videntur.

45. CVBEBAE.

1) Sunt fructus ſeu grana colore cinereo, magnitudine piperis,

peris, quæ planta quædam, arboribus, vt hedera, ſe circumuoluens, in inſula Iaua producit. Et quoniam aromaticis ſulphureo-oleoſis particulis itidem adfluunt, (parcius tamen quam *caryophylli*) concreditam inde habent qualitatem discutiendi & roborandi.

2) Proinde illa, vt alia huius generis, ad morbos chronicos, frigidos, ſeroſos, ſtomachicos, mucidos & catarrhales valere, inprimis vero vertiginem, memoriæ & ſenſuum imbecillitatem corrigere prædicant; quanquam in his vltimis ſingularem earum virtutem conſtans experientia nondum extra controuerſiam poſuerit.

3) Præterea ſopitos excitare, naturalem vigorem intendere & ingenium acuere celebrantur, vbi tamen audiendus eſſe videtur *Ettmüllerus*, qui ex frequenti cubebarum vſu ſtupiditatem potius metuit, quam acumen pollicetur.

4) An denique in fluore albo aliisque fœmininis adflictionibus, item in hydrope & calculo ſecundam valetudinem reſtituere valeant, vt non nulli credunt, tempus edocebit.

46. PIPER.

1) Ex oriente triplex aduehitur *nigrum*, *album* & *longum*. Priora duo fructus vnius eiusdemque plantæ in inſula Iaua &c. creſcentis ſunt, quæ propter imbecillitatem humi procumbit, niſi aut pedamentis fulciatur, aut arboribus vicinis adhærescere poſſit. Neque differunt, niſi quod *album*, cortice nigro, rugoſo detracto, læuius ſit, ac vulgo maioris pretii. Piper *longum* coloris cinerei, iulorum coryli inſtar, e numeroſis quaſi granis conglutinatum videtur, ſapore ſumme feruido & quodammodo amaricante.

2) Eſt vero piper aroma ex acribus ſulphureis terreis & parce oleoſis principiis conflatum, & propterea reſoluendi, incidendi, roborandi, atque, vt quibusdam placet, diaphoreſin pellendi viribus refertum. Præterea

terea excalefacit quidem, ſed tamen haud adeo vehementer, ac alia huius generis aromata, humores accendere notatur.

3) Speciatim ergo concoctioni ſuccurrit, ac mucum, flatibus & colicæ fomenta præbentem, attenuat, atque in omnibus morbis pituitoſis, ſeroſis, frigidis, de quibus ſæpe mentionem fecimus, conuenit, præſertim cum etiam euacuationem craſſarum impuritatum per renes & veſicam adiuuet.

4) Largius datum iracundis calidis nocet, quin & conceptum vel prohibere vel abortu vitiare dicitur.

5) Notiſſima ſunt plebis experimenta, quæ aliquot piperis granis, cum ſpiritu vini adſumtis, tertianam & quartanam inueteratam oppugnat; ſucceſſu vario: nam interdum ſanitas recuperatur, ſæpe vero grauiora mala infert temeritas diſcriminis ſubiectorum & opportuni temporis incurioſa.

6) Datur potiſſimum vel integrum vel diſſectum, nam tenuiter comminutum effectum ſuum calefacientem magis in ipſam humorum maſſam edere, atque hinc non adeo prodeſſe iudicatur. Proſtant & *ſpecies diatrion pipereon* in dictis morbis vtiles. *Oleum deſtillatum* vero circumſpectiſſime præſcribendum eſt.

7) Extus laudatur in ſternutatoriis & apophlegmatismo ad mucidos catarrhos, itemque in laxitate columellæ, dentium doloribus frigidis ſeroſis, denique vt rubefaciens.

8) Vltimo meminimus piperis illius *Americani*, etiam *Indici* ſeu *ſiliquaſtri* vocati, quod conſtituunt ſiliquæ ex atro rubentes ſeu flauæ, multo ſemine plenæ, vulgari pipere mordaciores. Hæ, tradente *Ettmullero*, ab Hispanis chocolatæ adduntur, cæterum ad acuendum ſtomachum & febres intermittentes depellendas valent. Sed præſto ſunt meliora-

47. SACCHARVM.

1) Eſt ſuccus dulciſſimus oleoſo-ſalinus, e peculiaribus cannis ſeu arundinibus Indicis, *Mambu* dictis, inſi-

gnis interdum altitudinis & craſſitiei, molendinarum ope expreſſus, & per coctionem & lixiuii calcarii additamentum in conſiſtentiam ſiccam friabilem redactus.

2) Diuerſa huius genera venalia ſunt, quæ potiſſimum locus natalis, vel bonitas, vel elaborandi modus diſtinguit. Proſtat enim ſaccharum

a) *Maderenſe*, ab inſula *Madera* dictum, egregium & omnium puriſſimum, ideoque ad medicos vſus & confectiones maxime expeti ſolitum.

b) *Canarienſe*, ab inſulis *Canariis* ſic vocatum, priori ſinceritate ſuccedit.

c) *Finale* ſeu *finum* item *refinatum* & *Valentinum* (ab vrbe Hispaniæ, vbi purificatur) gradu puritatis diuerſum. Finiſſimum dicitur *ſuper* fein oder *Candis*-Brod.

d) *Meliſſum* ſeu *Meliteum* a *Meli* Indiæ occidentalis inſula, non autem *melita* ſeu *Maltha* Europæ, ſic cognominatum, monente *Langio*. Hoc vocant etiam *ſaccharum cibale*, Meliß-Zucker, Speiſe-Zucker, gemeiner Hut-Zucker.

e) *Thomæum* (ab inſula *S. Thomæ* dictum) eſt rubrum & viliſſimum, Germ. Braun Farin.

f) *Miſcellaneum* ſeu *farinaceum*, item *Caſtonade*, *Muſcouade*, conſtat e puluere & fragmentis pyramidalis ſacchari, des Hut-Zuckers, Germ. audit Farin-Zucker, loſer Koch-Zucker.

g) *Candum* ſeu *cryſtallinum lucidum*, atque hoc vel *candidum* limpidumque adparet ex *Maderenſi* & *Canarienſi* confici ſolitum, ex quo puriſſimum dicitur Stehr-Zucker, vel *rubrum fuſcum* e *Thomæo* in tales cryſtallos tandem redactum.

h) *Penidium* ſeu *tractum*, *Penid* Zucker, gewundener Zucker, eſt albiſſimum leuiſſimumque, cuius parandi modum docet *Schræderus*.

i) *Molle, liquidum* ſeu *mel ſaccharinum* eſt liquor fæculentus

lentus a purificatione ſacchari reſiduus & coctione denuo aliquantulum mundatus, vel albus Germ. Weiſſer *Candis*-Syrup vel nigricans ſordidior ſchwartz-brauner oder gemeiner Syrup.

3) Cum autem ſaccharum ſalinis acidis & oleoſis partibus cum mucilagine quadam & terra calcaria copulatis compoſitionem ſui debeat, tum inde qualitates eius abſtergentes, reſoluentes & lenientes deducuntur.

4) E quibus, a priori quoque, non abſimile vero eſt, moderatum eius vſum prodeſſe ad iuuandam ciborum digeſtionem, mucum in inteſtinis & pectore detergendum, adeoque etiam tuſſim & aſthma humidum, raucedinem ſubleuandam, præterea in vlcerationibus tam externis quam internis hecticis & calculo renum.

5) Confirmat etiam hanc vtilitatem experientia, eosque refellit, qui nimium ſcrupuloſe vim ſacchari fermentescentem, aceſcentem, vel mucum augentem vbique veriti, vſu eius ægrotantibus ſeuere interdicunt.

6) Certe pauca ſacchari fruſtula nemini exitium minantur; quamquam alias non friuole præcipiatur, vt, qui bilioſis motibus aut hypochondriacis atque his adfinibus malis, præſentibus ſimul variis inteſtinorum ſordibus, adfliguntur, eo parciſſime vtantur, aut pla e abſtineant; vnde hyſtericis & febricitantibus omnibus, ſed nimio plerumque metu, ſolet prohiberi.

7) Ab intemperato autem vſu acrior humorum fermentatio, ſaburræ mucoſæ aceſcentis & concoctionem impedientis copia, ſe- & excretionum vitia alibi metuuntur, alibi inducuntur, licet in multis de cætero ſanis noxæ tardius demum adpareant.

8) Euidentius talis abuſus propter acida ſalina ſacchari principia dentes adrodit & carioſo nigrore inficit; num vero etiam vermium generationem ſuſtentet, litigatur adhuc dum, quibusdam ſaccharum potius anthelmintici titulo ornantibus.

9) Cæterum ſuaue condimentum eſt, iucundumque multorum medicaminum vehiculum, quo ſine multi ſaluberrimum infuſum thée aliaque paullo ingratiora adſumere recuſarent.

10) Iniuſte quoque ſeueris cenſoribus vapulant omnia per ſaccharum parata medicamenta, vt *condita*, *panis martius*, *rotulæ*, *morſuli*, *confectiones*, inprimisque *ſyrupi*, qui ſane dummodo ex ſimplicibus efficacioribus fiant, ſatis probati vſus, neque ob largiorem huius ſucci acceſſum reformandi ſunt.

11) Præaliis *Beccherus* ſal Indicum hoc ad magnum honoris faſtigium euehit, vt balſamum, cuius ope non tantum vegetabilia, ſed & animalia perdurant incorrupta; porro vt denſatum muſtum, e quo fermentato vinum generoſiſſimum vulgari ſuauius & ſalubrius prodit. Inprimis vero *ſubſtantiam mediam*, quam ex hoc vino parat, ſubacidam & gratiſſimam ad multos vſus in febribus valere prædicat.

12) *Spiritus ſacchari* eſt ſatis acidus aliis, qui e vegetabilibus propellitur, haud dispar, nec ad ſingulares effectus aut variorum arcanorum productionem, vt videtur, idoneus.

13) *Oleum ſacchari*, quod per ſpiritum vini ſolutione & deflagratione ſpiritus fit, laudatur ad tuſſim, catarrhos, raucas fauces. Alia vulgo ex ſaccharo ſperata & paſſim in apricum producta, quia indoles eorum & vires magis ignorantur, conſulto præterimus.

14) Externe ſaccharum ſcopo errhino inſeruit præſertim cum oleis deſtillatis maioranæ, caryophyll. mixtum, naribusque exceptum. Deinde adhibetur in vulneribus, variis efflorescentibus cutis ſordibus, ſerpigine, & vlceribus, quibus ipſum frequenter optato cum effectu inſpergunt Turcæ. Nec minus conuenit in ophthalmia ſeroſa & leuioribus oculorum maculis; poſtremo & clyſteribus ad leniorem abſterſionem inditur.

48. *Bal-*

48. *Balſamica pleraque oleoſa.*

Pertinent huc varia ſic dicta balſama vitæ, balſami apoplectici, epileptici; quos ſigillatim examinare a propoſito noſtro ſeiunctum eſt.

TABVLA VII.

DE APOPHLEGMATISMO PER OS.

I. DEFINITIO.

Apophlegmatismus per os eſt ſaliuatio *particularis*, qua per remedia adpropriata non tantum ſaliua e ductibus & glandulis ſaliualibus, ſed & alii humores mucido-ſeroſi e partibus, oris regioni vicinis, excernuntur.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Saliuatio hæc particularis ab aliis dicitur *maſticatio*, vti remedia, quæ in ore hinc atque illinc voluuntur, *maſticatoria* ſeu *phlegmatizantia* vocantur.
2. Hæc autem remedia ſunt vel *ſicca*, vel *humida*, item vel *acria*, vel *non acria*.
3. A ſaliuatione *vniuerſali*, ſeu *mercuriali*, eo præcipue ſe diſtinguit, quod tantum occupata eſt illos humores euacuare, quæ circa oris regionem reperiuntur.
4. Ratione materiæ excernendæ multum quidem conuenit cum apophlegmatismo illo, qui per *nares* contingit, ratione autem loci ab eodem differt.

III. *INDICANTIA.*

1. Apophlegmatismus per os iisdem fere anguſtis limitibus incluſus eſt, quibus alter per nares, de quo præcedente tabula diximus.

2. Vſum autem præcipue habet
   1) in adfectibus *catarrhalibus* circa caput.
   2) Speciatim in odontalgia ſeroſa.
   3) In oculorum & aurium fluxione catarrhali.
   4) In glandularum colli & faucium infarctu.
   5) Immo in quibusdam *ſanguineis* verſus caput congeſtionibus.

IV. *INDICATA ſeu REMEDIA.*

1. *Ex regno vegetabili*

Rad. Acori ſeu calami aromatici noſtratis
Allii
Angelicæ
Carlinæ
Calami aromatici peregrini
Ceparum
Ellebori nigri
Enulæ
Galangæ
Imperatoriæ
Ireos
Pimpinellæ albæ
Pyrethri
Zedoariæ
Zingiberis
Herb. Betonicæ
Maioranæ
Naſturtii
Nicotianæ
Piperitidis
Pulegii
Sem. Erucæ
Nigellæ
Sinapis
Staphidos agriæ
Camphora
Maſtiche
Aromata, e. g.
Piper
Cardamomum
Cubebæ
Cocculi de Leuante.

2. *Ex regno minerali.*
   Nitrum.

3. *Ex regno animali.*
   Sal ammoniacum.

V. *MODVS OPERANDI.*

Hic pro remediorum variatione varius eſt.

1. *Maſticatoria*, quæ acria non ſunt, ſola mole ſua, dum man-

dun-

duntur atque linguæ ope voluuntur & reuoluuntur, naturam ad copiosiorem saliuæ adpulsionem placide inuitant, & virtute minus drastica effectum hunc producere solent, e. g. gummi mastiches.

2. *Apophlegmatizantia* autem *acria* partium suarum tenuitate & acredine nunc humores crassiores incidunt atque ad faciliorem eiectionem eos præparant, nunc ipsas vias irritant. Vnde natura officii sui admonetur, vt saliuam in oris cauitatem copiosius infundat, & id, quod molestum est, diluat & abstergat.

VI. *MODVS ADPLICANDI.*

1. Præparatio corporis omnino præmittenda est, alias eadem incommoda, quorum mentio præcedente tabula facta fuit, metuenda sunt. Vnde aluus soluenda, cacochymia, si adsit, corrigenda, plethora per venæ sectionem aut scarificationem imminuenda. *Conf. caut. num. 1.*
2. Absolute quidem necessarium non est, vt apophlegmatizantia ieiuno prorsus ventriculo adplicentur, interea tamen expedit, ne stomachus tum temporis nimis sit repletus.
3. Saliua, quæ profluit, sedulo exspuenda, minime vero, vti nonnulli volunt, deglutienda est, maxime quando ab acrioribus remediis, e. g. staphide agria, foliis nicotianæ, proritata fuit. Deglutitio enim vel leuissimæ portionis in non adsuetis, præcipue feminis, grauissimas cardialgias syncopticas, sudores frigidos & anxietates efficit; quo vero casu hausturo vini calidi mediocriter aromatisati & edulcorati succurrendum est.

VII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Quando apophlegmatizantia acria ante vsum generaliorum remediorum adplicantur, tum loco nudi effluxus, potius confluxus ad has partes subsequitur, & tumores atque inflammationes producuntur.
2. In odontalgia serosa præsentis sæpe efficaciæ est sequens remedium: Recip. coccul. de Leuante drachm. semis, salis armoniaci scrup. semis. M. f. nodulus, dentibus dolorificis imponendus.

3. Aco-

3. ACORI RADIX.

1) Dicitur & *calamus aromaticus* officinarum, a *calamo aromatico* seu *acoro vero peregrino*, quem in Syria reperiri aiunt, distinguendus, cui, vt rariori, vulgaris hic nostras solet substitui.

2) Inest autem huic copiosior mucilago sulphureis & salinis alcalinis acribus particulis interiecta, quæ quidem cum eo communicant euidentius facultatem roborandi, resoluendi, abstergendi & diaphoresin pariter ac diuresin nonnihil adiuuandi.

3) Non mediocriter ergo prodesse censetur in vitiis primæ coctionis, flatulentia, catarrhis capitis & pectoris frigidis, vertigine, cachexia, chlorosi, quartana, lotii suppressione, calculo renum; porro ab aliis vt antidotum, & a *Simone Paulli* vt egregium corrigens insalubrium aquarum laudatur.

4) Alii vero de inconstanti eius effectu queruntur, ac monent, radicem hanc, quam non omnes æque bene ferunt, parce dandam esse calidioribus ac teneris subiectis; frustraque ab ea singularem virtutem in oppilatione viscerum, mensium vitiis, spasmis, paralysi, oculorum caligine exspectari.

5) Prostant *aqua destillata, acorus conditus, extractum, essentia.*

4. CALAMVS AROMATICVS PEREGRINVS.

1) Indica hæc radix raro ad nos genuina peruenit & ab aliis cum acoro vero concordare, ab aliis contra recentioribus diuersa esse traditur.

2) Effecit autem raritas, vt de peculiari eius facultate Practici parum notitiæ hauserint. Generatim nostrate calamo aromatico, de quo modo diximus, viribus superior & præstantior in morbis stomachicis atque vterinis habetur.

5. PIPERITIS.

1) Refertur hæc herba ad thlaspiorum genus, atque exacerrimis salinis suis principiis potenter incidit, abstergit & resoluit.

2) In-

2) Inprimis ergo viscidis humoribus attenuandis inſeruit, atque ad cruditatem abſumendam, adpetentiam cibi reſtaurandam, præcipueque ſcorbuticam labem corrigendam laudatur.

3) Modicum tamen & circumſpectum vſum ſuadet ipſius mordacitas; atque integra aliis temperatis admixta & comeſta tutior erit & vtilior, quam *ſpiritus* eius cauſticus, aliaque præparata.

6. PVLEGIVM.

1) In vſu eſt latifolium, fragrantibus ſulphureis acriusculis & parumper oleoſis particulis plenum; ideoque maioranam aliquo modo æmulatur & cephalicorum atque vterinorum cenſui attribuitur.

2) Exinde magnam eius efficaciam prædicant in catarrhalibus malis, tuſſi ferina, vertigine, menſibus, partu & ſecundinis promouendis, fluore albo, item in lippitudine.

3) Alibi ad venena, vlcera, calculum, hydropem commendatur. Sed hæc longe magis ambigua ſunt. Cæterum plane fabuloſum, viride pulegium, plantis pedum ſuppoſitum, manibusque detentum, laſſitudinem & fatigationem ambulantium inſigniter arcere.

4) *Aqua deſtillata* parturientibus & puerperis ſæpe præſcribitur, rarius *eſſentia*, aut *oleum deſtillatum*, quod externe ſalubrius eſt.

7. STAPHIDIS AGRIAE SEMEN.

1) Herba in Iſtria ſponte prouenit & ſemen hoc profert tantæ acrimoniæ, vt facile fauces adurat & periculoſos cieat vomitus; quapropter numquam interne dandum eſt, extus autem apophlegmatismi ſcopo caute & modice, ſi alia deficiant, concedendum.

2) Tutius, non tamen large nimis, in vnguento aduerſus phthiriaſin, in cataplasmate etiam ad veſicatoria & phænigmos adhibetur.

8. MASTICHE.

1) Hæc reſina ſudat ex arbore lentisco, in inſula Chio præcipue, atque optima conſpicitur in granis candida,

pellucida, fragilis, mox tamen ſub dentibus in molliorem maſſulam coiens, ſaporis leuiter adſtringentis, odoris non ingrati. In prunas coniecta non flammat, ſed tantummodo ſumum dispergit.

2) Participat autem de principio ſulphureo, copioſo terreſtri & parciore acidulo, eam temperiem conciliantibus, vt virtutibus discutiendi, abſtergendi & roborandi inſtructa ſit.

3) Interne propterea conſecratur inteſtinorum debilitati, nauſeæ, diarrhœæ, dyſenteriæ, hæmoptyſi, gonorrhœæ benignæ & fluori albo, incontinentiæ vrinæ; vbi ſubinde operæ pretium feciſſe legitur. Contra magnis laudibus indigna & inertior eſt in neruorum adfectibus, vertigine, epilepſia, febribus: nam quamuis vt temperatum apophlegmatizans leuiores catarrhos aliquantum lenire, dentiumque vacillationem, & fœtorem oris interdum emendare valeat; tamen non æque altiores dictorum morborum radices attingit.

4) Præterea maſtiche, vt eximia correctrix purgantium pharmacorum extollitur, multis ideo compoſitionibus addita. Sed tamen non vbique neceſſaria eſt, nec aliis congruentibus adeo anteferri meretur.

5) Externe efficaciorem ſe præſtat in atonia partium, luxatione, tumoribus frigidis, item vulneribus & vlceribus, atque hic vſurpatur in ſuffitu, emplaſtro, linimento. Cæterum ex maſtiche fiunt *ſpiritus acidulus*, *oleum deſtillatum*, quod *Ettmüllerus* per veſicam parare ſuader, *eſſentia*, *ſyrupus*.

9. COCCVLI DI LEVANTE.

1) Deferuntur ad nos ex Aegypto, ſed originem iuxta ac veram qualitatem nemo adhuc dum excuſſit & in lucem protraxit, vnde medica earum virtus perquam obſcura eſt, minimeque in nodoſis podagræ tumoribus diſſoluendis, quibus a *Riuerio* deſtinantur, comprobata.

2) Ad

2) Adhibentur alias, ſed caute, ad pediculos interimendos, frequentius autem ad capiendos pisces, vtpote qui tali eſca in ſummum ſtuporem coniecti captantium manus non amplius fugiunt.

TABVLA VIII.
DE
SALIVATIONE GENERALI.

I. *DEFINITIO.*

Saliuatio generalis eſt heroicum remedii genus, quo totum corpus ab inquinamentis, iisque ſpecialibus & fermenteſcente indole præditis, ſub laticis ſaliualis forma per os repurgatur. Vocatur etiam *ptyaliſmus* a πτύω, ſpuo.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Saliuatio generalis a ſpeciali, ſeu particulari, in eo differt, quod hæc illum tantum laticem euacuet, qui circa oris regionem reperitur, illa vero humores e toto maſſæ ſanguineæ latifundio exhauriat.
2. Excitatur autem per remedia vel *externa*, vel *interna*, vti ſub *modo adplicandi* fuſius dicemus.

III. *INDICANTIA.*

1. Ptyalismus primario deſtinatur morbis venereis, iisque ita confirmatis, vt lympha, quæ ſpecifico fermento coagulata & partibus ſolidis infixa eſt, per alia conſueta remedia non amplius alia medicandi via reſolui & abſtergi poſſit.
2. Speciatim eumdem exposcunt
   1) ſymptomata luis venereæ fixiora, oſteocopa, ſomnum turbantia
   2) Gummata Gallica, ſeu tumores & nodi illi duri, qui circa tendinoſas & glanduloſas partes oboriuntur.

3) Vlcera venerea, quæ inueterata ſunt & oſſium adroſionem minantur.

3. Cæterum & in aliis chronicis, inueteratis ac contumacibus adfectibus ſaliuationem non nulli Practici commendant, e. g. in amauroſi, ſcabie ferina, lepra, elephantiaſi, tumoribus glanduloſis & vlceribus antiquis; de qua re ſub *cautelis* plura dicemus.

IV. *INDICATA ſeu REMEDIA.*

1. Saliuationem ipſam excitant *mercurialia* & quidem

1) *externe*

Mercurius viuus in vnguentum redactus, vel per fumum admiſſus.
Cinnabaris in ſuffitu.
Emplaſtra mercurialia.
Cingulum mercuriale, ſeu ſapientiæ ſecundum *Rulandum.*
Pediluuia ex mercurio dulci, vel aliis mercurialibus parata.
Soleæ ex amalgamate mercurii confectæ & plantis pedum ſuppoſitæ. *Conf. cautel.*

2) *Interne*

Mercurius viuus in forma pilularum propinatus.
Mercurius dulcis a gran. III ad XX. & plura ſumtus.
Panacea mercurialis.
Arcanum corallinum.
Æthiops mineralis.
Turpethum minerale. *Conf. caut.*

2. Saliuationem faciliorem reddunt eſſentiæ & decocta ex ſequentibus præcipue parata.

Rad. Chinæ
Pimpinellæ albæ
Sarſaparillæ.
Herb. Saponariæ.
Lign. Fraxini
Guaiaci
Iuniperi
Saſſafras.
Succinum.

V. MO-

V. *MODVS OPERANDI.*

1. Saliuationem eſſe actum ipſius principii vitalis, & remedia oblata agere tantum præparando materiam & excitando naturam, multa phænomena confirmant.
2. Ex his non leui momento pendendæ ſunt inſignes ſaliuæ alterationes, quæ animi pathemata conſequuntur. Adparet enim, vel ſolam nauſeam, vel auidum contra adpetitum ſaliuæ ad fauces adfluxum & effluxum ſatis copioſum efficere poſſe. Et quid notius, quam in iracundis & furioſis largiorem ſpumam ante os obſeruari?
3. Vnde *tenuitas* ſaliuæ & ductuum ſaliualium *conditio* non ſufficit, vt ptyalismi actum pure mechanice interpretari & propaſſiua fluxione habere poſſimus. Quem ad modum enim alias in ſtatu paullulum præternaturali natura impuritates, præcipue ſalinas, cum ſaliua miſcet & exſpuit, licet nulla remedia adſumta fuerint; vel in aliis adfectibus e. g. variolis, vermibus, dentitione infantum, per copioſum ſaliuæ adpulſum proſpicere ſibi intendit; ita in arduo ſaliuationis mercurialis negotio directionem principii vitalis tanto magis agnoſcere cogimur.
4. Ergo mercurius hoc tantum efficit, vt inquinamenta venerea, vel quæcumque alia, per virtutem ſuam colliquantem ac diſſoluentem a commercio lymphæ ſincerioris abſtergat & partes glanduloſas penetrando aperiat.
5. Directio autem noxiorum horum humorum ad partes ſaliuales, & excretio non tantum miasmatis venerei, ſed & ipſius mercurii per ſaliuam a principio quodam agente & ſapiente non poteſt non deriuari. Quumque hoc euacuationis genus res vtique ardua & œconomiæ animali ſatis oneroſa ſit, non mirandum eſt, grauia ſymptomata ſaliuationem comitari, videlicet totius corporis debilitationem, inquietudinem, tremores, reſpirationem difficilem, dolores circa articulos lancinantes.

6. Cum Phyſicis autem & Chemicis libenter fatemur, phyſicas mercurii qualitates plurimam partem eſſe occultas & admiratione digniſſimas. Vnde nec operæ pretium ducimus perquirere, num hydrargyrum particulis globuloſis & ponderoſis, quas a mobilitate ipſius & grauitate colligunt, an vero quibuscumque aliis effectum ſuum fundentem & aperientem exſerat.

7. Multo minus immiſcebimur quæſtioni illi, cur mercurius in coagulum tantum lymphaticum & non æque in ſanguineum ſtricte dictum efficaciam ſuam edat. Simplices enim effectus, quos experientia a poſteriori ſuppeditat, ſcopo noſtro therapeutico ſufficere poſſunt.

8. Cæterum ingens ille reſolutorius effectus, qui valde exiguam adſumti mercurii portionem ſequitur, vti merito multorum oculos in ſe conuertit; ita pure phyſice eumdem interpretari per notabilia quædam ſpecimina practica non poſſumus. Dum enim plura ſubiecta in noſocomio quodam ſaliuationi, ſed diuerſo tempore exponuntur, tum illa, in quibus ptyalismus prorſus fere ceſſauit, de nouo copioſe ſaliuam reiiciunt, quando aliis mercurius inungitur. Et de femina quadam, cuius maritus heroico hoc remedio vti cogebatur, notum eſt, illam per ſolum horrorem, quem conceperat, copioſiorem ptyaliſmum, quam ipſe maritus, expertam fuiſſe.

VI. *MODVS ADPLICANDI.*

Hic inuoluit

1. *corporis debitam præparationem;* quam, licet a quibusdam auctoribus ſuperflua cenſeatur, nullo modo prætermittendam iudicamus. Conuenit itaque
   1) ſordes primarum viarum per blandum aliquod purgans eliminare.
   2) Deinde plethoram valde vrgentem per venæ ſectionem, vel in adſuetis, per ſcarificationem imminuere.
   3) Denique impuritates humorum *communes* remouere & poros reddere patulos; id quod decocta lignorum, ſatis

ſatis nota, præſtant, ſi per quatuor vel plures dies adſumantur, & ſub initium quidem ſine regimine, tandem autem cum placida diaphoreſeos promotione.

2. *Ipſius ſaliuationis productionem & adminiſtrationem.*

1) Saliuatio optime inſtituitur per vnguentum mercuriale, quod commodiſſime paratur ex mercurio depurato & axungia porcina. *Conf. cautelæ.*

2) Huius vnguenti portio, quæ in ipſis adeo robuſtis mercurii duas drachmas non facile debet ſuperare, bis per diem in loco calido adplicatur partibus pedum & manuum exſanguibus, ita quidem, vt primo die, e.g. tarſi, altero hi & carpi, tertio tarſi, carpi & flexuræ genuum, & ſic reliquæ iuncturæ inungantur, donec glandularum oris, gingiuæ, ac linguæ intumeſcentia & dentium vacillatio, tamquam imminentis ſaliuationis prodromi, adpareant.

3) Poſt ea vnctio minore vnguenti quantitate, per vnum alterumue diem ſemel quotidie in tarſo, vel carpo continuetur, donec ſaliuatio expedite & ſufficienter profluat, ac tum prorſus omittatur. Subiectorum ratio hic habenda eſt: quem ad modum enim in non nullis, præcipue ſucculentis, primam, vel ſecundam frictionem libere ſequitur ſaliuatio, ita in quibusdam contumacibus multo tardius ſuccedit. Quum autem in his ſaliua poſt ſextam inunctionem non profluit, tum, niſi quidem in robuſtis emeticum quoddam mercuriale locum habeat, præſtat a frictionibus abſtinere, quam ægrum periculoſis ſymptomatibus exponere. Inunctionem per ſpinam dorſi, vt periculoſam, euitandam arbitramur.

4) Cum libere fluit ſaliuatio, tum hic fluxus per duas, tres, vel pro rei neceſſitate, quatuor hebdomadas moderate conſeruandus eſt, donec ſaliua mucida, ſpiſſa & fœtida obſeruatur. Obtinetur autem iuſtum hoc moderamen

a) liberam tranſpirationem decocto lignorum, vel eſſentia

ſentia alexipharmaca temperata, præcipue eſſentia pimpinellæ albæ, promouendo.

b) Defectum ſaliuationis, vel per repetitam frictionem, vel per doſin mercurii dulcis reſarciendo. Quando enim ſaliuatio non eſt ſufficiens, tum repetitio illius maius periculum inuoluit. Deſiſtendum autem, præcipue ab vſu interno, ſi tormina, ſpasmi, diarrhœæ, vomitus & ſtupores ſuperueniant.

c) Exceſſum autem per purgans, ſtimulo quodam præditum, infringendo; quæ cathartica reuulſio tum etiam locum habet, cum ſaliuatio vltra debitum terminum extenditur.

5) *Interne* ſi ſaliuationem excitare placet, tum facta corporis præparatione mercurius dulcis omnium optime conducit. Huius primum pauca grana propinantur, quæ deinde adſcendendo ad ſcrupulum ſemis, adaugentur, vsque dum pari modo, ac in vnctione, prodromi adpareant & ptyaliſmus libere ſuccedat. Propinatur autem mercurius dulcis commode verſus ſomnum, & mane diaphoretica lignoſa ſubiunguntur. Cæterum neque conſultum, neque neceſſarium eſt, doſin huius remedii, vt communiter fieri ſolet, ad drachmam ſemis augere.

3. *Conuenientem diætam*, toto ſaliuationis tempore ſollicite obſeruandam.

1) *Aër frigidus* quouis modo arceatur, quia liberum ſaliuæ fluxum impedit & grauia ſymptomata excitat, blandus contra calor vniuerſo negotio multam commoditatem ſuppeditat. Vnde in Italia & aliis regionibus calidis ſaliuationem longe felicius, quam apud nos, inſtitui, non eſt mirandum. Conuenit itaque, vt ægrotans poſt quamlibet inunctionem in lectum tepidum ſe recipiat, & hoc modo multis ſymptomatibus viam præcludat.

2) *Cibus*, ob maſticationis præcipue vitium, ad modum tenuis ſit & parcus, ita vt iuſcula tantum ex auena, hordeo,

hordeo, carne parata, item oua ſorbilia, pulmenta tenuia porrigantur; abſtinendo a cibis ſolidis, in primis acidis & nimium ſalitis.

3) Ad *potum* quod attinet, non reiicimus quidem *decoctum* illud lignorum, quod *ſecundarium* vocant, docuit autem experientia, cereuiſiam bonam & nutrientem in quibusdam ſubiectis ei præferendam eſſe. Quid? quod & vinum generoſius modice ſumtum conducit. Tantum enim abeſt, vt globulos mercuriales in ſpicula pungentia conuertat, vt potius proſtratas vires egregie refocillet.

4) *Aluus* vbique aperta conſeruetur.

4. *Symptomatum dextram tractationem.*

1) Horum plurima cauentur, ſi regimen modo indicatum ſollicite obſeruatur.

2) *Ori & faucibus*, durante ptyaliſmo, proſpicitur per frequentem vſum gargariſmatis, quod ex reſoluentibus, discutientibus, emollientibus & temperantibus præparatur. *Conf. tabul. med. de angina ſub method. & caut.* 7. *Adſtringens* autem gargariſma, præmature adhibitum, ſaliuationem impedit.

3) Solantur etiam *adroſas fauces* eſſentiæ balſamicæ ex ſuccino & myrrha paratæ. His adduntur paucæ guttæ eſſentiæ ligni guaiaci, in malo contumaciori olea deſtillata, e g. cinnamomi, caryophyllorum. Atque hæc omnia cum oleo ouorum, vel amygdalarum dulcium temperantur.

4) Saliuatio *modum excedens* melius per catharſin, quam diaphoreſin in ordinem redigitur.

5) In *alui* autem *fluxum* cum degeneret ptyaliſmus, tum clyſteres demulcentes, ex lacte, vitellis ouorum & momento theriacæ parati, adplicentur.

6) Reſtitans poſt ſaliuationem in corpore mercurius, vti varia minatur incommoda, ita repetitis laxationibus & diaphoreſi per eſſentiam pimpinellæ albæ inſtituta, optime eliminatur.

VII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Heroicum ſaliuationis remedium (cuius inuentionem Arabibus, qui in vlceribus ſanandis mercurio externe vtebantur, debemus) quoniam & laboris & periculi plenum eſt, præcipue vbi ipſius ægri incontinentia accedit, ea propter, ſi vmquam alibi, certe hic iudicium Medici discretiuum requiritur, vt non ſolum *contra-indicantia* ab *indicantibus* ſollicite diſtinguat, ſed & prudenter examinet, num conſultum ſit, illos leuiores morbos, in quibus nil contra indicat, ptyalismo exponere, & non potius tutiorem lenem viam præferre. Valet hoc præcipue de leuiore luis venereæ gradu. *Conferantur, quæ tabula medica de lue venerea ſub cautela quarta & quinta, item tabula chirurgica de vlceribus venereis hac de re diximus.*
2. Illud corpus vt ſaliuationi ſubiiciatur, quod virium vero defectu *debile* & *languidum* eſt, nemo ſapiens auctor erit.
3. *Viſcerum læſiones* non ſolum non tolerant ſaliuationem, ſed & per eamdem in deteriorem ſtatum coniiciuntur.
4. *Grauidas* ptyaliſmo exponere, rationi nullo modo conſentaneum eſt. Licet enim experientia nos docuerit, hanc curationem, tecto grauiditatis ſtatu ſuſceptam, feliciter ſucceſſiſſe, non tamen rarioribus hisce exemplis, ſed rationibus inhærere medica ſuadet prudentia.
5. *Ætas* vel nimis *tenera*, vel in *ſummam ſenectutem* prouecta, heroico huic remedio ſine periculis ſubiici non poteſt. Quodſi vero ſubiectum in eius modi ætate ita conſtitutum eſſet, vt adfectus ipſius hoc remedium directe poſtularet, tum vniuerſum negotium placidiſſime ſuſcipiendum & ſub hoc moderamine tanto diutius continuandum commendamus.
6. Saliuatio, quæ *per inunctionem* producitur, ordinarie tutior eſt, quam quæ per internum mercurii vſum obtinetur. Plerique enim verentur, ne mercurius interne ſumtus pro horum, quos offendit, conditione ſiue

in primis viis, ſiue in ipſis viſceribus, corroſiuos & noxios edat effectus. Quod periculum ab vſu eius externo haud metuendum eſt, quia in peripheria ab ipſo venereo miasmate corruptus paullo obtuſior ad interiora fertur.

7. Cæterum cum peſtifera huius modi conſectaria frequentius vulgo accuſentur, quam liquido e ſalinis humorum corruptelis exſiſtant, ac præter ea facile debita corporum præparatione auertantur; tum in illis malis, quæ *placido* tantum ptyalismo, eoque diutius continuando, exſtirpare intendimus, e. g. in vlceribus chronicis cacoëtheis, tumoribus glanduloſis, præſtat mercurium dulcem interne propinare, vti fuſius infra dicetur.

8. Periculoſius autem & ſæpe grauiſſimorum malorum ſucceſſu ptyaliſmus tentatur per *mercurium præcipitatum, turpethum minerale, fumum cinnabaris*; quibus omnibus, cum vel inunctio externa, vel mercurius dulcis interne cumulate ſatis faciant, facile carere poſſumus. Multo maiori iure *ſpurias* illas *ſputationes* potius, quam ſaliuationes, quas per remedia *cuprea* non nulli commendant, *tabula medica de lue venerea caut. 25.* reiecimus. Idem ſentiendum eſt *de ſaturninis & antimonialibus.*

9. Dolorum ſub ſaliuatione remiſſio & vlcerum venereorum exſiccatio euentum curationis optimum promittit. Quando autem tribus vel ad ſummum quatuor hebdomadibus malum per ſaliuationem penitus non poteſt ſuperari, tum, ſi robuſtus ſit æger, hoc remedium ſecunda vice eſt repetendum.

10. De *abuſu* ſaliuationis hic repetenda & firmo animo tenenda commendamus, quæ *caut. 22. & 23. tabulæ chirurgicæ de vlceribus venereis* diximus. Seges enim damnorum & calamitatum, quæ per ſiniſtram huius methodi inſtitutionem profertur, oculis noſtris ſemper obuerſari debet; etſi non diſſimulemus, dextram & peritam *blandæ ſaliuationis* adminiſtrationem quorumdam

morborum contumaciæ, quæ aliorum remediorum vim eludit, ſuperandæ parem reperiri.

II. MERCVRIVS VIVVS.

1) Datur vel *currens* e ſubterraneis locis, *virgineus* dictus, qui rarior eſt, vel *vulgaris* e mineris cinnabarinis petroſis per calcem viuam aut battituram ferri igne ſuppreſſionis deſtillatus.

2) Vt vero tutior & ad medicum vſum aptior fiat, variis modis ſolet purificari; quo pertinent transpreſſio eius per corium atque ablutio per ſal commune & acetum, donec hæc non amplius vllis ſordibus infici videantur; item, qui modi præſtantiores ſunt, abſtractio a calce viua, vel reuificatio mercurii ex cinnabari aut mercurio ſublimato per ſal tartari aut limaturam martis.

3) Cum autem *ſicco fluore*, *admirabili pondere* & *inſigni ſubtilitate* conſpicuus ſit; tum abſtruſa & fugax eius indoles cunctos Chemicorum conatus huc vsque eluſit, vt plerique de intima eius cognitione deſperent. Plauſibilis tamen præ aliis opinio adparet *Beccheri*, ſtatuentis, mercurium ex ſubſtantia quadam metallica & ſuperabundante terra tertia fluida (vt vocat) ſummæ poſt aquam tenuitatis confluxiſſe. Vnde poteſtatem acquiſiuit valentiſſime penetrantem, reſoluentem & colliquantem, ſpeciatim vero non tam in maſſam ſanguinis promiſcue, quam in humores lymphales, ſpermaticos, glanduloſos & ſaliuales agere primum, admirando magis quam cognoſcendo effectu obſeruatur.

4) Perſpicimus inde, vſum eius certis cautionum terminis ſollicite definiendum eſſe, ne, ſi nimium aut intempeſtiue, aut in morbis minus congruentibus adhibeatur, periculoſa reſolutione alios ſimul quam dictos, labe quadam adfectos humores, ipſasque partes ſolidas horribiliter inuadat.

5) Cæterum mercurius viuus nequaquam venenum eſt, niſi

niſi igne in ſubtiliſſimum vaporem, pulmonibus & neruis inimiciſſimum, redigatur, vel largiore connubio certorum ſalium exacuatur. Proinde ſine vllo nocumenti metu, ſed rarius tamen optato cum euentu, in pertinaciſſimis alui obſtructionibus & malo iliaco ad hunc tamquam vltimam ſacram ancoram confugiunt; vbi notandum eſt, pluribus potius quam paucis vnciis dari oportere, vt eo certius penetret, ocyusque per inteſtinorum tractum perlabatur, coniuncto motu corporis.

6) Porro tritus cum ſaccharo pueris verminantibus feliciore ſucceſſu offertur, quamquam decoctum eius cum ſimplici aqua ad lumbricos necandos adhuc vſitatius ſit. Dubie vero mercurius viuus ad ſcrupulum vnum vel drachmam ſemis datus, ad partum laborioſum & difficilem laudatur.

7) Externe mercurius viuus in calamo, vel auellanæ nucis putamine cera occluſus & adpenſus, multis celebrantibus, vt ſingulare amuletum geſtantes a peſtilenti contagio tutari, mulieribus lac amiſſum reparare, quin & faſcinum amoliri perhibetur. Sed hæc perobſcura ſunt, atque, vti plerique hodie cenſent, ſuperſtitioni quam veritati propiora.

8) Poſtremo, præter vſum in lue venerea, amalgamatus cum plumbo & in vnguentum redactus illinitur ad ſcabiem ſimplicem & ferinam, herpetem, lepram, vlcera fœtida rebellia & ſerpentia curanda, denique emplaſtris reſoluentibus admiſcetur ad tumores præduros glanduloſos & tophos Gallicos discutiendos.

9) Infrequentioris & minime neceſſarii vſus ad ptyalismum, aut reſolutionem in dictis malis efficiendam ſunt *ſoleæ ex amalgamate mercurii* concinnatæ & pedum plantis ſuppoſitæ, quamuis, ſi pedes latere calido foueantur, mercurius ope caloris facile per poros in corpus penetrare & vim ſuam exercere dicatur. Neque *cingulum mercuriale*, quod ridicu-

lo *ſapientiæ* titulo ſuperbit, ſingularem vtilitatem promittit; ſed potius, quia tormina acriora aliaque ſuſpecta incommoda identidem machinatur, ad ſtolida quam ſapientia ſubſidia pertinet, propterea merito relegandum.

10) Quem ad modum autem infinitis tentaminibus ſubiectus eſt mercurius, ea ſpe, vt vi ſaliuandi exutus & ad inuictam igni conſtantiam perductus, meliorem & diaphoreticam tantum, grauibus aliis morbis propulſandis parem, qualitatem indueret; ſic plerumque antiquum obtinuit & ad fugitiuum genium rediit, omnes Chymicorum longos labores & operoſa molimina in hoc fere ludificatus. Quapropter omnibus ſic dictis *panacæis mercurialibus*, *mercuriis fixis* & *diaphoreticis* tantisper, quoad ſeuerius examen ſuſtinuerint, diffidendum eſt. *vid paſſim ſeqq.*

12. MERCVRIVS SVBLIMATVS.

1) Duplex habetur; eſt enim vel communis *albus corroſiuus* e mercurio viuo, vitriolo & ſale communi, addito interdum paullulo nitri, parari ſolitus; vel *ruber*, priori longe mitior cum *arcano corallino Crollii* conueniens, quem e vitriolo calcinato, mercurio viuo & nitro conficere docent. *Vid. Kunkel. laborat. experimentale.*

2) Communis albus eſt terribile & penetrantiſſimum venenum, arſenico par, vel, vt non nulli credunt, adhuc potentius, cuius letiferam vim, ſi forte vel intus, vel extus improuido vſu datus ſit, aliquantum mitigat lixiuium alcalinum ex templo adhibitum.

3) Qua propter nulli autores ſumus, vt eorum auſus imitetur, qui ipſum ad tollendas faciei maculas, ſerpiginem, lichenem, morphæam, carnem laxam & putridam, ſcabiem, vlcera exedentia & anthracem, vel, vt *Rulandus* laudat, ad podagram leniendam adplicare ſuſtinent. Rariſſime enim ſuperficiariis conſuetis corrigentibus ita domatur, vt innocentem ſe præbeat, & reuera nobis alia eius modi morbis æque vti-

lia

lia, ne dicam præſtantiora, ſuppetunt. Equidem non inficiamur, mira interdum fortuna in his aliisque tentandis animari Chirurgorum audaciam; attamen, ſi recte calculum ponamus, frequentius noxa vel exitium infertur, ſera pœnitentia luendum. Idem cenſendum eſt de ſolutione eius pediluuiis, ſaliuationem illaturis, deſtinata, nam & hic arroſione pedum aliorumque malorum impreſſione ſæuitiam ſuam teſtificatur.

4) Tutius ergo eſt, *mercurii ſublimati* vſum Chirurgicum prorſus abiicere, ac potius eum vlterioribus chymicis compoſitionibus, quæ tamen ante medicam adplicationem probe examinandæ ſunt, deſtinare. Ex his notiſſimus eſt *mercurius dulcis*, de quo paullo poſt; ambigua vero minusque probata ſunt *oleum Mercurii*, *Quinta eſſentia* ex mercurio ſublimato, ſpiritu ſalis & ſpiritu vini parata.

5) Neque *mercurius ſublimatus ruber* violentia atque omni veneni labe carere exiſtimandus eſt. Nam interne datus graues ſæpe vomitus aliaque dira ſymptomata infligit, quin extus etiam cautiſſime debet adplicari.

13. MERCVRIVS DVLCIS.

1) Conficitur ex mercurio ſublimato albo & æquali, vel tanta portione mercurii viui, quanta ſufficit ad ſublimatum plene ſaturandum & inſipidum reddendum; quod niſi iuſta cura ac debito ſublimationis labore perficiatur, damna eum dediſſe exempla teſtantur.

2) Rite autem paratus elegans atque efficax præbet catharcticum, ſeroſo lymphalem mucidam colluuiem optime colliquans, vermibus infeſtum & mortiferum, adeoque in obſtructionibus meſenterii, atrophia, lymphæ vitiis, cachexia, ſcabie ſimplici & venerea, fluore albo, gonorrhœa, omnibusque morbis eductionem talium impuritatum depoſcentibus, ne infantilibus quidem, niſi plane tenera ſubiecta ſint, exceptis, conueniens. Id modo proſpicien-

dum

dum eſt, ne ſolus detur, ſed cum alio laxante ſociatus, & ne vſus eius continenter per aliquot dies præſcribatur, nam ſic turbas dare & ſaliuationem ciere valet, denique ne ſicciores bilioſi eo frequentius vtantur. Non opus autem eſt, ipſum, quod aliqui præcipiunt, pluribus admixtum in pilulari forma ſemper offerre; nam & commodus eſt eius *puluis*, modo tenuiſſime comminutus, cum diagrydii aut radicis ialappæ adminiculo; neque facile timendum, ne ab acido primarum regionum humore ad vim ſepticam denuo exacuatur, id quod ſæpe fieri, nec a priori, nec a poſteriori demonſtrari poteſt; quamquam haud nocuerit in puluere ipſi perpetuum comitem abſorbentis cuiusdam adiungere.

3) Porro mercurius dulcis adhibetur ad ptyaliſmum mouendum; ſed tum in maiore, vt ſolent, doſi crebrius eundem ingerere, nec neceſſarium, nec vtile putamus; pauca enim illius grana, per aliquot dies continenter data, ſat validum edere effectum deprehenduntur.

4) Placet hic ad illuſtrationem dictorum & ad declarandum ſingularem huius mercurii vſum ſummatim attingere eam methodum, qua permultis miſeris, penitus derelictis ac depoſitis, certum & exſpectatione noſtra maius auxilium afferre licuit. Miſcentur duo & dimidium vel tria grana huius mercurii probe trita cum duplo abſorbentis cuiusdam oſtracodermatis; ac, præmiſſis ſic dictis vniuerſalibus, paruula hæc doſis quotidie per triginta dies ſine intermiſſione (niſi quidem interea ſaliuatio ſubſequatur) porrigitur, interiecto vſu eſſentiæ pimpinellæ albæ. Sic pro naturæ inclinatione, vel morbi neceſſitate, alibi lenem ptyaliſmum, alibi placidam, ſed efficacem reſolutionem & mundificationem, interdum laxantem, ſemel etiam obſtructarum hæmorrhoidum fluxum reuocantem effectum vidimus; ſæpius autem læti comperimus, hoc modo rudimenta incipientis cataractæ

ractæ auferri, tumores glandularum præduros ac refractarios discuti, præcipue vero vlcera horribiliter fœrida & exedentia non tantum venerea, ſed etiam ſimplicia & ab omni talis contagii ſuſpicione immunia, haud tamen vere cancroidea, pulcre detergi, mundari & ſuccrescente noua carne, celerius opinione conſanuiſſe. Ac ſi, quod ſubinde fit, intra dictum curationis tempus perfectæ ſanitati ægri non reddantur; tum protinus ad eandem methodum redire tutiſſimum fuit, plurimisque ſalutare.

5) Externe hic mercurius, præſertim cum decocto calcis viuæ, laudatur vulgo ad ſcabiem ferinam, ſerpiginem, vlcera inprimis venerea, vbi tamen ſegnior eſt, itemque cum aliis mixtus ad vſum cosmeticum. Sed, notantibus *Ettmüllero* aliisque, frequens mercurii adplicatio, vt primo cutim nitidiorem reddere videtur; ſic deinde dentium cariem, capillorum defluuium, ſcabritiem, rugas & maiorem cutis fœditatem accelerat.

6) Cæterum alii, repetitis vltra ſecundam vel tertiam ſublimationibus, mercurii dulcis vim laxantem minui & infringi obſeruant; alii eundem, ſi duos menſes aſſeruatus ſit, ante nouum vſum denuo ſublimari debere putant, vt ſic ab acrioribus ſalinis particulis, ex aëre hauſtis & noxam ei affricantibus, liberetur, quamquam in eo fruſtra ſint; non nulli denique decem & amplius iteratis ſublimationibus eum, ſi non figi, tamen diaphoreticam qualitatem induere ſcribunt. Sed hoc quoque adhuc incertum eſt; quippe *Panacæa* ſic dicta *mercurialis*, quam tali ratione e mercurio dulci parant, genium ſuum adeo nondum depoſuiſſe videtur, vt qui ea frequenter & largiuscule vtuntur, citius ptyalismum, quam alium effectum lenem & ſalutarem deprehendant.

7) Sane *mercurius diaphoreticus* magnum ſui deſiderium excitauit, poſtquam multi Chymici grandia quædam de eo elocuti ſunt; ſed idem latet adhuc in ob-

ſcuro, & quotcunque artificia ipſum conficiendi in lucem data, vel iactata ſunt, ea vix tam vtile medicamen, quam *mercurius dulcis* eſt, repræſentant. Et *Muſitani* quidem mercurius ex mercurio præcipitato & butyro antimonii paratus, magis propter reguli antimonii calcem, bezoardico minerali ſimilem, quam ob mercurium, diaphoreticus videtur. Quem vero *Barckhuſen* ex amalgamate iouis & aqua forti componere docet, eum nemo facile in morbis chronicis, ſcorbuticis, elephantiacis ſudoriferum optimum ac magnis laudibus dignum putabit, nedum animaduertet. Plura, vt *ſulphur mercurii*, ex mercurio ſublimato per acetum extractum, aliaque deprædicata vulgo arcana reticemus.

¶4. CINNABARIS.

1) Hanc vel natura nobis offert variis in locis, vbi optima cenſetur Hungarica; vel ars ex mercurio & ſulphure ſiue ſimplici, ſiue antimoniali perfecte imitatur.

2) Quemadmodum igitur concordibus ſuffragiis omnes fere Chymici recte ſtatuunt, eadem principia mercurium nempe & ſulphur vulgare cuicumque cinnabari ineſſe; ſic nihilo minus ingentem differentiam inter cinnabarin factitiam vulgarem pictorum & alteram in medicum vſum receptam intercedere plurimi arbitrantur. Sed ſi rationes chymico-phyſicas huius rei exquiramus, vel nullæ adparent, vel mancæ ac ficulneæ; nam neque in mercurio, qui factitiæ additur, ſingularis malignitas iure argui poteſt, neque in ſulphure vulgato plus arſenicalis veneni ineſſe credendum eſt, quam in eo, quod vel natiuæ accreſcit, vel ex antimonio ad cinnabarim componendam elicitur.

3) Dum modo ergo mercurius vulgari modo purificatus, & ſulphur commune iterata ſublimatione decenter coniungantur; pulcram cinnabarim acquirimus minus quidem pretioſam, ſed tamen reliquarum, quæ in officinis proſtant, principiis & virtutibus ſimillimam.

mam. Vnde non eſt, quod ab eius vſu vanus quorundam metus nos deterreat, quippe eosdem bonos effectus, quos a *natiua* vel *antimoniali* exſpectamus, ab huius modi factitia edi, iam millies & abunde compertum eſt.

4) Quam ob rem cara illa natiua cinnabari plane non indigere videmur, vtpote quæ ob ſolum nomen, aut forte adhærens aurum embryonale, nulli tamen adhuc ſatis clare oſtenſum aut probatum, præſtantior haberi nequit. Quin ea ſæpe inquinata & ſuſpecta eſt, vt lotione, vel ſublimatione ab heterogeneis & nociuis ſordibus repurgari debeat.

5) Neque in *cinnabari antimonii* quidquam euidenter agnosci poteſt, quod præ dictis ipſi prærogatiuam tribuendam eſſe perſuadeat. Etenim hanc præcellentiam, vt quidam volunt, vel a *ſulphure ſolari*, quod precario ſic vocitant, nam etſi rite paratum bonum præbeat remedium, tamen arſenicalis magis quam aureæ naturæ eſt; vel a ſalibus corroſiuis mercurii ſublimati heic antimonii ſulphur exaltantibus; vel a regulinis particulis accedentibus, quæ certe nullæ aut pauciſſimæ ſunt, proficiſci, facilius dicitur, quam ita explicatur, vt aſſenſum promereat. *Confer. Rockii diſſ. de ſuperſtitioſa chymiatria.*

6) Idem ab experientia docemur; quæ palmam cinnabari antimonii deberi in aſthmate, conuulſionibus, aut aliis morbis ſuperandis, neutiquam confirmat.

7) Adſcribuntur alias cinnabari vires reſoluentes, neruinæ, ſedantes & anodynæ, idque haud iniuria; ſi notemus tamen, has intra anguſtiores terminos, quam vulgo extenduntur, ſubſiſtere. Nam in epilepſia, cuius magnes a *Cratone* natiua cinnabaris ſalutatur, ſæpius hodie nos deſerit, niſi efficaciorum ſubſidio fulciatur; neque in vertigine, malo hyſterico, arthritide aut aſthmate dignum pollicitationibus lenimentum affert.

8) Cæterum vice cotis fungitur, quæ aliorum medicamentorum vires acuere poteſt & intendere; ideoque talibus optime adſociatur, ad motus congeſtorios & ſpaſticos mitigandos, indeque ortos dolores, vbi opio tutius eſt, cephalalgiam, coryzam acriorem, aſthma ſpaſticum, torminoſa infantum mala & imminentes conuulſiones.

9) A maiore doſi æſtus augmentum quidam metuunt, vnde quidem in feruidis humorum commotionibus & febribus parce adhibenda eſt; ſed notauimus, in cephalalgia, & inprimis hemicrania, pulueres antiſpasmodicos largius cinnabari, ad octo decem vel plura grana, imbutos, longe plus effeciſſe, quam illos, quorum doſis pauciora tantum grana continebat. *Confer. tab. med.*

10) Sicut autem nonnulli tradunt, cinnabarim in inteſtinis remanere & nunquam cum chylo in humores transgredi, ſed prout ingeſta eſt, rubicundo colore cum fecibus excerni; ita, vt hoc magna ex parte præcaueatur, valde neceſſarium eſt, eam in ſubtiliſſimum, quantum fieri poteſt, puluerem redigere. Sic enim nullam ſtomachi grauationem & meliorem vtique effectum ſpondere poſſumus.

11) Atque hæc de probato vſu cinnabaris. An vero vel natiua, vel antimonialis in corde roborando & febribus malignis illuſtres dotes obtineat, vt aliqui putant; magis dubitatur. Neque in lue venerea aut ſcabie parem aliis bonis mercurialibus virtutem oſtendit; multo minus cinnabaris natiua ſelectior, extus adpenſa, geſtantes ab epilepſia, vel peſtilentia & febribus malignis defendere poteſt.

12) Denique non comperimus etiam eas vires, quas multi variis e cinnabari vlterius confectis pharmacis adſignant. Neque a priori magna quædam adparet veriſimilitudo. Nam *panacæa Anhaltina* quidem, in qua cinnabaris ſpiritu vitrioli & vini crebrius imbui-

buitur & exſiccatur, ab his vltimis tantum nomen ſibi adrogare nequit; neque *Mærſii panacæa*, quæ fit per lotionem cinnabaris, exſiccationem & deſuper accenſionem ſpiritus vini, tantam præſtantiam tuetur; neque frequentes ſublimationes cinnabaris, quæ fiunt in parando mercurio diaphoretico *Tilingii*; neque longinqua digeſtio & circulatio, quam ſuadet *Clauderus*, ſpem adhuc dum impleuerunt. *Tincturæ* itidem *volatiles* & *balſama cinnabarina*, quæ per ſpiritum vini & olea deſtillata parantur, ſuperflua ſunt minimeque vtiliora vulgaribus ſulphureis, vel antimonialibus tincturis, aut balſamis, quibuscum concordant. *Confer. Ludouici* & *Ettmullerus*.

14. AETHIOPS MINERALIS.

1) A colore nomen accepit, & fit ex mercurio viuo & ſulphure ei incorporato, atque ex parte deflagrato, aut diutius contrito.

2) Non multum igitur differt a cinnabari, niſi quod principia eius, ob defectum ſublimationis, non ita arcte connexa ſint, ideoque ſingula facultatem ſuam paullo liberius exercere queant. Maior tamen ſulphuris copia etiam huic ineſt, inprimis ſi diuturniore flamma non abigatur.

3) Laudatur maxime ad lumbricos, vbi tamen, niſi probe trita, largior eius doſis oneroſa eſt; porro ad ſcabiem inueteratam, itemque ſcirrhos glanduloſos & parotidum, interno longiore vſu discutiendos; id quod circumſpectæ experientiæ commendamus.

4) Cæterum mirum eſt, plerosque Chymiatros hunc *æthiopem* non æque noxium aut venenatum, ac cinnabarin vulgarem pictorum pronunciaſſe; cum eadem vtriusque principia ſint, aliqua tantum, vt modo innuimus, intercedente mixtionis differentia; a qua ſingulare virus hic exiſtere poſſe nemo credet.

15. MERCVRIVS PRAECIPITATVS.

1) Plurifariam confici ſolet, & primo quidem *per ſe* in puluerem rubicundum conuerti dicitur, ſi in peculiari

liari vitro positus calore suppressorio, igne supra vitrum struendo, diu tractetur, vt monet *Ettmullerus;* quanquam alii id fieri posse negent, plurimi vero laborem eiusmodi periculosum, nec, si succedat, ad magnos effectus obtinendos idoneum esse fateantur.

2) Certius itaque per menstrua fit; vbi si mercurium viuum aqua forti soluamus atque hanc recentem sæpius inde cohobemus, acquiritur mercurius *præcipitatus ruber* & vulgaris officinarum specioso *arcani corallini* titulo a quibusdam insignitus. Hic autem adhuc sat acri vi septica pollet; quapropter, licet edulcoratione per spiritum vini, desuper sæpe deflagrantem, paullulum mitescat, intro sumtus feralia subinde mala infligit, nunquam ideo, quicquid etiam non nulli suadeant, porrigendus. Externe tutus & parciore dosi egregius est in vlceribus sordidis ac fungosis excrescentiis, venereis absumendis & coniunctis spasmis mitigandis. In faucium vero vlceribus cautissime illini, imo vbique sub iustis cautionibus & congruente formula, de quibus *in tab. chirurg.* exposuimus, adplicari debet. Cæterum ab eo cauendum est in cancro, adrosione narium & carie ossium, quæ ab hoc præcipitato perinde atque ab aliis mercurialibus exasperantur.

3) Lenior est *præcipitatus albus*, seu *cosmeticus*, quem ex solutione mercurii in aqua forti per muriam salinam ad fundum deiicere docent. Conuenit enim edulcoratus aliquantum cum mercurio dulci, & sublimatione in eandem pene formam redigitur. Destinatur autem, vnguentis admixtus, potissimum faciei maculis, lichenibus, pruritui, eo effectu, quem supra de tali vsu consignauimus.

4) Huic consonat, qui ex eadem solutione mercurii per vrinam præcipitatur coloris *incarnati;* dissimilior vero est *præcipitatus luteus Zwelfferi*, qui ex mercurio sublimato albo, in aqua soluto, per adfusionem li-

xiuii alcalini decidit, a non nullis ad icterum curandum laudatus.

5) Porro elaboratur *præcipitatus viridis*, ex mercurio & venere in aqua forti ſolutis, confuſis & abſtractis, quem mitem prædicant & vtiliſſimum in gonorrhœa virulenta. Sed præſto ſunt certiora, ita vt hoc minime egeamus.

6) Denique *Turpethum minerale*, quod ex mercurio viuo & oleo vitrioli itemque aliis viis paratur, ob vim purgantem & ſaliuantem commendatum proſtat ad luem Gallicam, gonorrhœam, hydropem. At vero hic quoque ſatius eſt cauere ſibi, quam temerario auſu quicquam periclitari.

7) Superſunt *præcipitati ſolares*, *oleum fragrans* ſeu *aſtrum mercurii*, plurimaque alia pro eximiis diaphoreticis venditata, quæ tamen, cum adhuc minus perquiſita ſint, conſultius prætermitti poſſe videntur.

16. SAPONARIA.

1) Nomen huic herbæ inditum eſt a detergendi facultate, qua ſaponis ritu in aqua ſpumeſcit & pannos eluit, vnde & herba fullonum audit; licet etiam potentem vim ſudoriferam habere iudicetur.

2) Rarius autem eam interne præſcribunt medici, & perpauci ſolum commendant, præcipue radicem in pituita lenta & vlceribus pulmonum, fluxu menſium imminuto, variolis. At in vltimis his potius excludenda erit.

3) Certiore effectu confert ad venereos morbos, vſumque mercurii in his aliisque malis adhibitum quodam modo ſuffulcit, ſi cum rad. pimpinell. alb. in decocto porrigatur.

4) Extus cum farina hordeacea, in vino decocta, præduros tumores diſcutere dicitur; frequentius vero in balneo vſurpatur ad mundandam cutem in ſcabie, ictero, ſcorbuto. Cæterum *ſemen* ſaponariæ epilepticis forte mederi, quia herba in aqua cocta bullas agit epi-

epilepticorum ſpumam ante os æmulantes, ad næ-nias apinis viliores pertinet.

TABVLA IX.
DE
EXPECTORATIONE.

I. *DEFINITIO.*

Expectoratio eſt euacuatorius naturæ actus, quo illa, ſiue ſola, ſiue congruis auxiliis ſuffulta & excitata, materiam quamdam mucidam, circa tracheam & veſiculoſam pulmonum ſubſtantiam hærentem, ope tuſſis per os eliminat. Vnde remedia, hunc actum promouentia, dicuntur *bechica* a βήττω vel βήσσω; tuſſio.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Expectoratio eſt
   1) vel *naturalis*, quæ quo magis placida eſt, eo magis ſolo ſcreatu, ſine notabili tuſſi, abſoluitur, & in nonnullis per totam vitam ſine periculo durare poteſt & ſolet. Quæ vero cum tuſſi fit, illa *ordinariis* actibus vitalibus minus reſpondet.
   2) Vel *artificialis*, quæ ſpecialibus remediis excitatur & anguſtiſſimis limitibus ac cautelis circumſcripta eſt.
2. Materia illa mucida, quæ in pulmonibus hæret, eſt
   1) vel *ſpiſſa, tenax, viſcida*, eaque plerumque *copioſa*.
   2) Vel *tenuis, acris, paucior*.
3. Conuenit quidem hæc euacuatio cum *ſaliuatione particulari* & *vniuerſali* ratione termini, vt dicunt, *per quem*, dum excretio vbique per os contingit; at ratione termini *a quo* multum ab iisdem differt. Quem ad modum enim ſaliuatio particularis interiorem oris regionem præciſe reſpicit, vniuerſalis autem per totum corpus

pus vires ſuas exſerit; ita expectoratio ad pulmonum tantum viſcus dirigi ſolet.

III. *INDICANTIA.*

1. Generatim expectorationem indicat vera præſentia eiusmodi materiæ, quam *ſub differentia* deſcripſimus, nempe quæ vel viſciditate, vel acredine ſua pulmones infeſtat.
2. Talis autem materia ſpeciatim offenditur
   1) in aſthmate humido & tuſſi acri catarrhali.
   2) In brancho & aliis catarrhalibus pulmonum infarctibus, a congeſtionibus ſimpliciter ſanguineis ſollicite diſtinguendis. Huc etiam ſpectant mucidæ pectoris oppletiones, infantibus familiares.
   3) In ſcirrhoſa & vlceroſa pulmonum conſtitutione, niſi quidem abſterſio & expectoratio naturalis ſufficiat.
   4) Quam circumſpecte in prægreſſa hæmoptyſi, vomica pulmonum & catarrho ſuffocatiuo expectoratio inſtitui debeat, infra dicetur.

IV. *INDICATA ſeu REMEDIA.*

1. *Incraſſando* præparant & partim *ſpecifice* expectorant

Rad. Althææ
Liquiritiæ
Maluæ
Flor. Violarum
Papaueris erratici
Sem. Althææ
Auenæ
Fœnu græci
Frigida quatuor maiora
Hordei
Hyoſcyami
Papaueris
Lini
Maluæ

Fruct. Amygdalarum dulcium
Ficuum
Iuiubarum
Paſſularum maiorum & minorum
Pini
Piſtaciæ
Sebeſten, ſeu mixæ
Siliquarum dulcium
Gumm. Arabicum
Ceraſi
Tragacanthæ.
Lac
Mel

Sperma ceti
Nitroſa
Abſorbentia
Emulſiones
Gelatinæ

Olea, emollientia interne & externe
Pinguedines, interne & externe.

2. Reſoluendo & discutiendo præparant

Rad. Angelicæ
Apii
Ari
Bardanæ
Fœniculi
Helenii
Imperatoriæ
Iridis Florentinæ
Leuiſtici
Petaſitidis
Petroſelini
Pimpinellæ albæ
Sarſaparillæ
Squillæ
Trifolii fibrini
Vincetoxici
Vrticæ
Herb. Bellidis
Chærefolii
Capilli veneris
Eryſimi
Fœniculi
Hederæ terreſtris
Hyſſopi
Marrubii albi
Piloſellæ

Pulmonariæ maculoſæ
Rorellæ
Scordii
Tuſſilaginis
Flor. Croci
Sambuci
Scabioſæ
Spicæ
Stœchadis Arabicæ
Bacc. Iuniperi
Lauri
Sem, Aniſi
Cardui benedicti
- Mariæ
Fœniculi
Cort. Caſcarillæ
Lign. Iuniperi
Sanctum
Saſſafras
Gumm. Ammoniacum
Bdellii
Benzoës
Myrrhæ
Sagapeni
Succini
Flores Sulphuris.

3. *Tuſſim excitantia* ſunt ſpiritus acidi e. g. ſulphuris, ſalis communis, vitrioli.

V. *MODVS PROPINANDI.*

1. Cum in omni omnino ætate ſpontanea expectoratio obſeruetur, & contra in multis neque tuſſis, neque materiæ euacuatio ſequatur, licet pulmones vel mucidis, vel acribus humoribus obſeſſi ſint: optimo hinc iure concludimus, expectorationis actum non adſcribendum eſſe nudæ materiæ, quæ modo vellicando, modo ratione molis ſuæ diſtendendo talem excretionem præſtet, ſed potius rationali cuidam principio interno, eiusdemque conſultæ promotioni.

2. Sociam autem & exhortantem porrrigunt manum remedia prædicta.

1) *Interne* enim oblata

a) alia pro particularum ſuarum vel tenuitate, vel lubricitate craſſiorem mucum, ibi incidendo, hic emolliendo ac lubricando reſoluunt & ad euacuationem aptum reddunt.

b) Alia principiis ſuis vel mucilaginoſis, vel qualibuscumque aliis, ad edulcorandum aptis, ſerum tenue & acre iam incraſſant, inuoluunt, & ad debitam conſiſtentiam redigunt, iam obtundunt & demulcent.

c) Alia acredine & auſteritate ſua tuſſim excitant, qua natura tam medicamentum aduerſum, quam materiam noxiam præparatam eliminare intendit.

d) Alia qualitate ſua tonica & discutiente adfluxum copioſiorem impediunt.

e) Alia ſpecifico quodam effectu expectorationem promouent, & materiam directe ad pectus, præcipue ſi hoc iam labe quadam adfectum ſit, quaſi conuehunt, e. g. iuiubæ, ſebeſten, violæ, ficus.

2) *Externe* vero adplicata pinguibus ſuis & oleoſis particulis poros cutis obſtruunt, atque hac ratione naturæ anſam præbent, vt ſerum, quod alias per diapnoën excernitur, ad ipſos pulmones reducat, per illud mucum tenaciorem in illis hærentem diluat, eoque ipſo ipſius excretionem promoueat.

VI. *MODVS PROPIÑANDI.*

1. Ante omnia blandum quoddam catharticum exhibeatur, atque hoc ſub ipſa curatione, ſi viſum fuerit, repetatur. Hac enim ratione non tantum primæ viæ a ſordibus ſuis expurgantur, ſed & reuulſio humorum a pectore ad inferiores partes obtinetur.
2. Deinde tam plethoræ, quam congeſtioni ſanguinis verſus ſuperiora & thoracem proſpiciatur per venæ ſectionem in pede, vel in adſuetis per ſcarificationem in partibus inferioribus inſtitutam.
3. Poſtea ad ipſum expectorationis actum debita cum circumſpectione pergere, & remedia, quorum diuerſitatem ſuperius indicauimus, pro ſubiecti & materiæ conditione exhibere licebit.
4. His, ad humorum vberiorem adfluxum auertendum, discutientia interponantur, & ad blandam diaphoreſin obtinendam potus calidus e. g. thée, coffée, coniungatur.
5. Præparata hac ratione materia eliminatur per tuſſim, quæ vel ſponte natura, vel, ſi deficiat, parca doſi acidi cuiusdam remedii excitatur.
6. Denique ſi vel expectoratio, vel tuſſiculoſa commotio, iuſtum modum excederet, ſedanda eſt vtraque per temperantia & probata anodyna; in quem finem præcipue commendamus corticem caſcarillæ cum MP. de cynogloſſa.

VII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Expectorantia cum non tantum mucum in pulmonibus præſentem euacuent, ſed etiam, ſi diutius continuentur, tracheæ & pulmonum ſubſtantiam relaxando, perpetuo eius modi materiæ adfluxui viam ſternant, atque hac ratione naturam huic euacuationis generi adſuefaciant, non poſſumus non abuſui, qui hac in re familiariſſime committitur, periculi notam inurere. Cum enim diuturnior horum remediorum vſus efficiat, vt non tantum *e pectore*, ſed etiam *per pectus* noxiæ materiæ expurgentur, hæc via vtique periculoſa videri

ri debet prudentibus, qui partium harum teneritudinem & exquiſitum ſenſum, irritabilem facile & grauioris noxæ inferendæ compotem, expendunt, præſertim cum ordinarie naturam, niſi vehementer inuitatam, non huc, ſed aliorſum materiam mucidam ſibi oneroſam amandare & e corpore proſcribere cernamus.

2. Vnde non conuenit expectorantia ſtricte dicta e. g. iuiubas, ſebeſten, vltra duos vel tres dies continuare, ſed tum ad discutientia & tonica pectoralia tranſitum facere.

3. Quoniam autem in ipſis adeo *indicantibus* facile hic errorem committimus, hinc *contra indicantia*, quæ ſequuntur, tanto exactius notanda & euitanda ſunt.

1) Grauiter impingunt illi, qui expectorationis actum in illis inſtituere adlaborant, qui nulla muciditate in pulmonibus obſeſſi, ſed congeſtionibus *ſimpliciter ſanguineis* occupati ſunt. Hoc enim modo congeſtiones augentur & variæ noxiæ materiæ, violenta quaſi manu, verſus pectus ducuntur.

2) Speciatim ingens error committitur, quando in tuſſi ſicca & aſthmatica, præcipue feminis, ataxia menſium laborantibus, expectorantia, eaque inſuper ſine præmiſſa venæ ſectione, propinantur. Hoc enim modo ſaburram, pro ſtaſi in flammatoria atque vlcerascente, ad pulmones, peſſimo plerumque euentu, coaceruamus. *Legatur notabilis hac de re caſus in Stahlii theoria pag. 1007. ſeq.*

3) Huc etiam pertinent cardialgicæ illæ pectoris anguſtiæ, quæ hypochondriacis & hyſtericis familiares ſunt.

4) In *peripneumonia* expectorantia inutilia ſunt, niſi quidem ſputum cruentum die tertio vel quarto, impedite ſuccedens, pectoralis cuiusdam potionis modicum vſum indicaret. Quando autem in *pleuritide* expectorantia & quidem largiter adhibemus, tum facile peripneumoniam ſimul inuitamus.

5) In ipſa *hæmoptyſi* nemo facile tam rudis erit, vt expectorantia commendet. At in ſpaſticis illis & tuſſiculoſis motibus, qui hæmoptyſin vel præcedunt, vel excipiunt, ſæpe ſæpius magno ægrotantium damno in hoc euacuationis genere ſolamen quæritur. Hinc adfectus pectoris ſanguineos a ſimpliciter mucidis & catarrhalibus ſollicite diſtinguere debemus, ne in eamdem periculoſam viam deducamur. Et licet in prægreſſa hæmoptyſi reſtitantes ſanguinis grumi euacuandi ſint, non tamen *ſola* expectorantia, ſed cum reſoluentibus & discutientibus iuncta, ſunt adhibenda.

6) Qui *tuſſim ſtomachalem humidam* cum *pectorali humida* confundunt, atque in hoc errore expectorantia propinant, non quidem præſentia damna, turbas autem in primis viis producunt. Hac enim ratione alui contumax obſtipatio ſequitur, & mucus, qui per tractum inteſtinorum euacuandus eſſet, non ſine noxa ad thoracem dirigitur.

7) Idem obſeruare conuenit, quando *vomicæ ruptæ* apoſtema mundificare per expectorantia intendimus.

4. Si dicendum, quod res eſt, expectoratione artificiali rariſſime indigemus, & licet non nulli adfectus pectorales, quos ſuperius nominauimus, eamdem ſubinde indicent & tolerent, commodius tamen & tutius per laxantia, diuretica & diaphoretica ſuccurrimus, atque ſoli naturæ expectorationis actum relinquimus.

5. *Vnguentis* & *oleis*, externe adhibitis, expectoratio quidem promouetur; aſt quia pectoris regio hac ratione nimis laxa redditur, & maior humorum congeſtio ad eamdem inuitatur, rariſſime omnium ad hæc ſubſidia confugiendum eſſe cenſemus.

6. Rarior hic expectorantium vſus diſſuaſit, vt per plura illa compoſita, quæ in officinis venalia proſtant, e. g. *pectorales puluere*s, *ſpecies*, *ſirupos*, *conſeruas*, *trochiſcos* indicaremus, cum primis quia plurima ita comparata

ſunt,

ſunt, vt vſus eorum plus detrimenti, quam vtilitatis adferat. De ſimplicibus autem ſequentes notas ideo ſubnectere debuimus, vt materia medica completior redderetur.

7. RADIX ALTHÆÆ.

1) In hac reſidet copioſa & paucis tantum nitroſis ac rarioribus ſulphureis particulis interfuſa mucilago, quæ protinus extrahitur & in conſpectum ſe dat, ſi aquæ calidæ imponatur. Vnde fere primaria eſt inter ea, quæ emolliunt, lubricant, demulcent, incraſſant & iuuandæ ſuppurationi ancillantur.

2) Multiplici itaque vſu ſe commendat in lenienda inteſtinorum acrimonia bilioſa, &, vt multi volunt, dyſenterica, ſtranguria, ardore vrinæ & doloribus ſpaſticis, impacto viis calculo accedentibus, itemque muco tuſſientium tenaciore, quem volubilem & egeſtioni aptum reddit.

3) Dubiæ autem virtutis eſt in pleuritide, hæmorrhoidum doloribus & aſthmate; neque calculi concretionem anteuertere, aut eum expellere, niſi generali quadam relaxandi & leniendi efficacia, poteſt, neque extus ſpasmos, podagram, dentium dolores adeo mitigat.

4) Vtilior exſiſtit ad emolliendos tumores & inflammationes maturandas, itemque, vt quidam tradunt, ad fiſſuras cutis & papillarum, dentium dealbationem.

5) Ad vſum proſtant *ſyrupus de althæa Fernelii* & *vnguentum althææ*. Poſſunt etiam exinde mucilago, cataplasmata, decocta, clyſteres adhiberi.

8. RADIX LIQVIRITIÆ.

1) Hæc pariter largam habet mucilaginem, intercedente parciore ſalinarum, temperate acidiuſcularum, molecularum portione, atque adeo læto & vbere prouentu creſcit circa Bambergam, vt peregrina non indigeamus.

2) Quem ad modum ergo emolliendi, acrimoniam quodam modo leniendi, vias lubricandi & abſtergendi, denique etiam incraſſandi virtutibus potita eſt; ſic

fin-

ſingulariter ad mobilitatem tenaci muco, præcipue in thorace hærenti, conciliandam, adeoque ad expectorandum, ſi opus ſit, conducit.

3) Proinde adhibetur in aſperitate faucium, tuſſi humida viſcida, rheumate acriore, bilioſis morbis, ſoda, renum viriis (nam diureſin quoque aliquantulum adiuuat) ardore vrinæ, exulceratione, iſchuria, calculo, tandem etiam decoctis antiuenereis cum fructu additur.

4) Neutiquam autem ad eam dignitatem euehenda eſt, vt tamquam panacea calculi vel tuſſis ſiccæ, hæmoptyſeos, tabis, pleuritidis, aſthmatis medela ſuſpiciatur. Nam tantum abeſt, vt hic ſatisfaciat, vt potius eius modi pectoris malis magna circumſpectione, non ſecus ac alia expectorantia, conſecrari debeat.

5) Sunt porro, qui illam inter traumatica numerant, & alii, qui ipſam ad faciliorem dentitionem infantibus præbendam eſſe præcipiunt.

6) Extus commendatur ad inflammationes, eryſipelas, anginam, dolores podagricos, aliis nempe discutientibus admixta; item ad ſcirrhos emolliendos.

7) Vſus eius eſt in *decocto*, *ſucco inſpiſſato*, *ſyrupo*, *eſſentia*, quæ per alcalinum ſal paratur. Cæterum *Ioannes Raius* confirmat, ex hac radice cum pauxillo cinnamomi potum fieri, cereuiſiæ virtutibus haud inferiorem.

9. RADIX MALVÆ.

1) A radice althææ parum discrepat, eumdem propterea locum inter ſic dictas emollientes adepta, & ad eosdem morbos, ſed præcipue tamen herba, deſtinari conſueta.

2) Videas etiam hanc radicem ad hæmorrhagiam narium, item ad roborandum & conſeruandum fœtum, itemque ad ophthalmiam, vt amuletum commendari: ſed deſunt probati effectus.

3) Fre-

3) Frequentioris vſus herba eſt, qua veteres ad molliendam aluum ſæpe vtebantur; licet de cætero non impleat laudes, quas ei in difficultate partus, menſium & ſecundinarum retentione, phthiſi, apium veſparumque ictibus curandis, adſignatas legimus.

4) Habetur quoque *malua hortenſis*, quam & *roſeam*, *fruticoſam*, ſeu *arboream* dicimus, cuius flores rubicundi & varii coloris ex ſubadſtringente qualitate ad vulnera & faucium morbos; porro, ſed magis dubie, ad menſium obſtructionem & phthiſin valere laudantur.

5) *Semen* maluæ pariter atque althææ parem herbæ facultatem obtinet.

10. FLORES PAPAVERIS ERRHATICI.

1) Virtutem habent temperantem, lenientem & parumper anodynam, ex particulis eorum acidulis & mucilaginoſis, quibus ſulphureæ ſubtiliter latiſſimeque expanſæ iunguntur, deriuandam.

2) Conueniunt igitur nonnihil ad acres catarrhos, aſperitatem faucium, congeſtiones anginodes, orgaſmum humorum, dolores ſpaſticos motusque inflammatorios demulcendos: ſed neque tanta vi, quanta alioquin adlegatur, neque ſpecifica efficacia in puncturis pleuriticis, quamuis hi flores rubore ac teneritudine pleuram aliqua ſub ſpecie referant, pollere deprehenduntur.

3) Incertius adhuc illorum præſtantia celebratur in febribus acutis, tuſſi phthiſica, hæmorrhagiis, dyſenteria, ſanguine coagulato.

4) *Externe* flores recentes fronti & temporibus adplicatos ad mitigandam cephalalgiam laudat *Eitmüllerus*, cæterum etiam ipſos ad quoscumque ardores, eryſipelas, oculorum inflammationem, peruigilium, vulnera, at dubie, commendatos legimus.

5) Optime vſurpantur in *decocto*, vel *ſyrupo*; licet & *aqua deſtillata* proſt & *conſerua* & *tinctura*, quæ vltima minime laudibus ſatisfacit.

II. AVENA.

1) Hæc tum alba tum nigra occurrit. Prima ad vſum ſeligitur, & quoniam e larga mucilagine, mitioribus pinguibus & pauciſſimis ſulphureo vaporoſis particulis contexta eſt, temperat, acrioresque humores inuoluendo lenit & aliquantum abſtergit.

2) Salubriter ergo *decoctum* eius præbetur in vitiis bilioſis, rheumaticis, tuſſi acriore, raucedine, faucium inflammatione, vlcerationibus internis præcipue renum, ſcabie, ſcorbuto; neque iis inutile eſt, qui ſpasmis, febribus, inprimis acutis & exanthematicis, purpura, variolis, morbillis adfliguntur.

3) In talem vſum auena excorticata decoctione extrahitur, vulgo Haber-Grütz-Brühe. Cæterum etiam ſimplicis auenæ decoctum, adiectis radice cichorii paullulo nitri antimoniati & ſacchari, conſtituit *celebre illud potulentum* remedii genus, den Haber-Tranck, quod non modo dictis plerisque morbis adhuc conuenientius eſſe, verum etiam arthriticis & podagricis inſigne leuamen adferre per totam fere Europam celebratur. Quam famam vt egregiis effectibus porro tueatur, opportunus præcipue vſus efficiet.

4) A larga autem auenæ ingeſtione, ne aut flatulentia exoriatur, aut caput tentetur, quidam metuunt; quamquam his incommodis facile occurri queat, & potius diligenter cauendum ſit, ne ſylueſtris illa & capiti noxia auena, quam *ſterilem Virgilius* adpellat, eduli noſtræ forte intermiſta exſiſtat.

5) *Externe* decoctum ad clyſteres, item farina eius ad tumores duros ardentes & dolentes leniendos vſurpatur.

12. SEMEN FOENICVLI.

1) Eamdem claſſem, paremque facultatem tenet, quam ſemen aniſi, niſi quod lenius temperamentum habeat, ac propterea variis morbis, quos aniſum mitigat

aut

aut deuincit, paullo maiore proportione deſtinari poſſit.

2) Itaque ſuperflua dictorum effectuum repetitione nemini moleſtiam faceſſemus, ſed notabimus duntaxat, *radicem* æque ac *ſemen* fœniculi in vſum recepta eſſe, & ſigillatim ad oculorum morbos (vbi, vel *vapor* decoctionis ſeminis, vel *ſuccus* herbæ, vel *aqua deſtillata* adplicantur) lactis defectum itemque, tum ad alias contuſiones, tum mammarum tumores commendari.

3) Cæterum etiam in obſtructionibus viſcerum, abortus periculo, difficultate pariendi, hæmorrhagia narium, febribus, lue venerea, venenis, præcipue mercurio eiusque admiſſo fumo & inunctione, multum adiumenti adferre perhibentur; quibus laudibus vt hodierna experientia calculum adiiciat, merito omnium Practicorum vota ſunt.

4) Eadem præparata & formulæ ex fœniculi ſemine & radice, vti ex aniſo, præſcribuntur.

13. SEMEN FOENVGRÆCI.

1) Abundat mucilagine, lenientem, emollientem ac temperantem ei qualitatem impertiente; vnde ad althææ ſeminis indolem propius accedit.

2) Itaque ſimiliter eo vtuntur Medici in pectoralibus malis, ſub debita tamen cautione, in renum vitiis & ſpasmodico calculi dolore.

3) *Externe* adhibetur ad clyſteres paregoricos, teneſmum, tumores emolliendos, acrem oculorum inflammationem permulcendam, alendos capillos prolixiores. Cæterum non pollet ea virtute, vt ſpaſmos podagricos & iſchiadicos ſingulari vi miteſcere compellat.

4) Parantur ex illo & in vſu ſunt *decoctum*, *cataplaſma*, *mucilago*, *ſyrupus*.

14. SEMINA FRIGIDA *quatuor* MAIORA.

1) In horum cenſum a veteribus relata ſunt ſemina *citrulli*, *cucurbitæ*, *cucumeris* & *melonum*, quæ quidem ma-

gnis laudibus, in febre quacumque, nimio æſtu & ſiti, inflammatione, inprimis pleuritide & nephritide, immo & phthiſi, hæmorrhagiis, vitiis cholericis adfecerunt.

2) Hodie vero mira ſperatorum eius modi effectuum inconſtantia deprehenditur, quapropter, maxima dignitatis parte amiſſa, merito rarius ſub emulſionum forma præſcribuntur. Profecto enim, licet larga mucilagine ſua tenuitatem humorum non nihil incraſſare & acrimoniam inuoluere poſſint; tamen vt extractiones eorum promte mucidæ, vapidæ, rancidæ fiunt; ſic facile nauſeam creant & flatulentiam, præcipueque in hectica & bilioſis malis anxietatem cardialgicam, ſpasmos ſæpius tum inducunt, tum minantur.

3) Conſultius ergo erit, hæc ſemina ægrotis non ingerere, præſertim cum nobis hodie meliora ſuppetant, a quibus non incommoda dicta, ſed pulcriorem ſucceſſum exſpectare poſſimus.

4) Eamdem fere cenſuram merentur *ſemina quatuor frigida minora*, ad quæ pertinent ſemina *cichorii, endiuiæ, lactucæ, portulacæ*. Priora ex his præter temperantem etiam diſcuſſoriam qualitatem habere, inflammationibus morbisque hepatis congruentem; poſteriora vero magis mucida terreſtria, incraſſantia videntur. Cæterum nulli ſingularium virtutum laudes, vti paſſim decantantur, competunt.

15. HORDEVM.

1) Seminis huius principia & virtutes non diſpares ſunt illis, quæ de auenaceo ſupra notauimus, eiusdemque vſus adhuc frequentior eſt.

2) Etenim quotidie illud ad crepaturam vsque decoctum præſcribunt Medici in morbis cholericis, rheumaticis, catarrhalibus, renalibus & vlceroſis, quin & in qualibet humorum acrimonia & feruentiore orgaſmo. Quapropter etiam febricitantibus ſaluberrimum iudicatur, præſertim additamento cornu cerui, radi-

radicis ſcorzoneræ & ſucci citrei paullo melius iucundiusque redditum.

3) Veteres inprimis *ptiſanam* ſeu hordeum excorticatum decoctum, eiusque colaturam ſeu cremorem hordei tanti fecerunt, vt in acutis morbis nihil fere præſtantius duxerint. Neque ea hodie fruſtra rheumaticis, acriter tuſſientibus, immo ipſis phthiſicis & hecticis ſorbillanda propinantur, quippe tum leniente, tum nutriente effectu tabidis aliquantum profutura.

4) Vilis habetur *panis hordeaceus*, qui an podagricis præ ſecalino vtilis ſit, ambigitur, æſtimabilis autem eſt *potus* ex hoc ſemine primum ab Aegyptiis, tum Germanis, præcipue diu ante *Taciti* tempora iam confectus. Sed non eſt huius loci, de hoc *Cereris vino*, ſeu *cereuiſia* plura ſubiicere.

5) *Externe* farina hordei adplicatur tumoribus molliendis & maturandis, item eryſipelati, membris laxatis & podagrico dolore preſſis, ſed his vltimis nullo fere cum ſucceſſu.

16. SEMEN HYOSCYAMI.

1) Datur & nigrum & album. Hoc poſtremum, quod apud nos magis in hortis colitur, quam in ſyluis creſcit, vſitatius eſt: atque vti pingues ſulphureas vaporoſas valde particulas fouet; ſic narcoticam, ſoporiferam, denique cum aliqua verborum altercatione, vt *Scribonius Largus* iam notat, inſatuantem qualitatem inde conſequitur.

2) Qua de cauſſa, licet a quibusdam in variis congeſtionibus & doloribus, tuſſi, epilepſia, hæmorrhagiis, menſibus nimiis, vomitu cruento, præcipue vero hæmoptyſi, tamquam ſingulare experimentum, commendetur; tamen vbiuis circumſpecte & parciſſime præbendum eſt. Periculum enim multasque noxas inde exſiſtere, tum alii auctores obſeruarunt, tum ipſi nouimus ſemen hoc aliquando largius datum iſchiadico cuidam ridiculam primo inſaniam induxiſſe, ac dolores quidem pauliſper ſopiiſſe, ſed ita,

vt poſt modum maiore contumacia eruperint, inſequente eius cruris atrophia & letali poſt annum cataſtrophe.

3) Itaque vt cautio neceſſaria eſt; ſic eadem non ſolum in interno, ſed etiam externo vſu adhibenda. Varia enim narrantur experimenta, quibus *ſuffitum ex ſemine* ad odontalgiam ac vermiculos dentium & aurium necandos; *ſemen* cum vino contuſum ad cephalalgiam; *folia* herbæ ad tumores duros, carbunculos, arthritidem, podagram, dolores hæmorrhoidum, *radicem* ad colicam, aliosque cruciatus aliquando profuiſſe legimus. Sed omnia hæc partim minus adhuc probata, partim adeo ambigua & intuta ſunt, vt ab imitatione merito quiuis non temerarius abhorreat.

4) Proſtat ad vſum *oleum hyoſcyami*, vel expreſſum e ſemine, vel ex tota herba per decoctionem paratum, quod quidam ad inflammationes genitalium & pollutiones nocturnas laudant; porro *emplaſtrum* de hyoſcyamo.

27. SEMEN LINI.

1) Turget oleo & mucilagine, indeque in leniendo, emolliendo, lubricando & abſtergendo ſuum præſtat officium, idque non Chirurgis modo, qui illud frequentiſſime adplicant, ſed etiam Mediçis.

2) Referuntur enim plurima exempla, e quibus idem pectoris morbis variis, vrinæ ſuppreſſioni, acribus doloribus, partui difficili & fœtui mortuo pellendo, itemque noxæ a cantharidibus ſumtis opem quamdam attuliſſe diluceſcit.

3) Inprimis vero *oleum lini expreſſum* non mediocres vires habere cenſetur in tuſſi, aſthmate, catarrho ſuffocatiuo, hæmoptyſi, apoſtemate pectoris, maximeque in pleuritide. P æterea laudatur in dyſenteria, colica, obſtructione alui, malo iliaco, doloribus calculoſis, hæmorrhoidibus cœcis, ficubus ani & fiſſuris. Quibus elogiis fidem equidem non plane deroga-

rogamus, ſed tamen plerarumque harum virtutum perpetuitatem hodie pauciſſimi experiuntur. Vnde ſolerti & circumſpectæ vlteriori indagationi hæc relinquimus.

4) Cæterum meliorem fructum pollicetur, ſi idem recens ac purum, nam vetuſtum acrius eſt & graueolens, ſemper ad vſum deligamus.

5) *Externe* leues ambuſtiones, non æque valenter ſpaſticos, ne dicam podagricos, dolores permulcet; adhibetur autem ſemen in *balneis*, *cataplaſmate*, *vnguento*, *oleo*.

18. SEMEN PAPAVERIS.

1) Eſt pariter ſomniferum, vti ſemen hyoſcyami, ſed quoniam longe pauciores ſulphureo-vaporoſas particulas, easdemque largæ mucilagini immerſas, habet; multo minorem quoque narcoſin exſerit, ideoque tutius, præcipue *album*, poteſt vſurpari.

2) Nam præterquam quod ſopiat, temperantem etiam & lenientem vim tenere creditur, atque ea propter raucedini, tuſſi acri, phthiſi, calori febrili, ſed male, vigiliis, diarrhœæ, hæmorrhagiis, a quibusdam deſtinatur.

3) Notandum vero eſt, hoc ſemen raro meliorem vſum, quam alia ſoporifera, de quibus infra, adferre & parcius, præſertim ea, quæ inde parata ſunt, *ſyrupum*, *diacodium*, *oleum papaueris*, eſſe adhibenda. Ac decet vtique meminiſſe damni, quod a mulierculis paritur, quæ, cum infantibus inquietis & eiulantibus ſemine aut ſyrupo papaueris ingeſto ſomnum ſæpe conciliare geſtiunt, tum miſellos in catarrhum ſuffocatiuum, epilepſiam, imo dementiam, vt a Medicis animaduerſum eſt, interdum præcipitant.

19. AMYGDALÆ DVLCES.

1) Hæ præcipue molliendi, demulcendi, temperandi & probe alendi facultatem oſtendunt, e leuibus oleoſis & mucilaginoſis ac paucis terreis, e quibus concreuerunt, partibus prodeuntem.

2) Ita-

2) Itaque non iners, nec ſpernenda eorum virtus quotidianis experimentis adparet in thoracis morbis, vbi & ſuauiter leniunt & expectorationem leuant, raucedine, tuſſi, aſthmate, pleuritide, ipſaque phthiſi, quibus mitigandis, tum emulſio, tum oleum amygdalinum præſcribitur.

3) Idem *oleum* valet in colica ſpasmodica, aluo ſicca, torminoſo ventris fluxu, atrocibus ſpasmis, calculum ſubinde ſtipantibus, ardore vrinæ, doloribus poſt partum; denique etiam mature datum veneni vim, ſi quis id improuide hauſerit, oblinendo ventriculum & acrimoniam inuoluendo, infringit.

4) Non minus creber eſt *emulſionum* vſus, præſertim in febribus, vbi, dummodo ſatis dilutæ aliisque congruentibus & ſaccharo permiſtæ exhibeantur, egregium ſæpe effectum edunt temperantem nimiasque vigilias minuentem.

5) Præterea ſex vel octo amygdalas decorticatas, ſi comedantur, præſentiſſimo ſæpe auxilio fuiſſe in *ſoda* meminimus. Et licet id in omnibus ſubiectis non tam efficax reperiatur, præ aliis tamen hoc ſimplex remedium commendandum videtur, quod *cito*, *tuto* & *iucunde* auxilium ſuppeditet.

6) *Externe* oleum quoque vtile ducitur in tumoribus duris, doloribus maxime nephriticis, cute ſcabra, partu difficili, immo conuulſionibus, ſi *Platero* credimus. Cæterum tenendum eſt illud, inprimis ſi intro ſumatur, recens & e recentibus non rancidis amygdalis expreſſum ac pellucidum eſſe debere. Nonnulli id quoque ſine vlla amygdalarum toſtione parcius extorquent, quale in Magnatum menſis ad acetaria præcipue expetitur.

20. FICVS.

1) Recentibus multum aquei humoris ineſt, reliquis partibus ſalinis acidulis & mucilagini adhærentis; quare, etſi parcius ſumtæ acrimoniam bilis æſtumque ſanguinis aliquantum temperare poſſint; tamen prom-

promte fermenteſcunt, & largiore vſu varias primis regionibua turbas, ac denique corruptelas minantur; quem ad modum inde flatus, colicam, diarrhœam, exulcerationem inteſtinorum, ſcabiem quibusdam accidiſſe auctores litteris mandarunt.

2) *Exſiccatæ* vero, quas *caricas* dicimus, longe meliores ſunt, & ob qualitatem emollientem, demulcentem & expectorantem multis commendabiles.

3) Sicut ergo acrimoniam in pectore & alibi leniunt, aut ſpiſſos heic inſidentes humores ad mobilitatem, exſpuitioni aptam, perducunt; ita & renes quoque ac interna vlcera & fauces ſordidas paullum repurgare, porro vrinæ iuxta ac bilis vitiis & orgasmo ſanguinis ſubuenire celebrantur.

4) Non comperimus autem, ipſas tam vehementer ad exteriorem ſuperficiem propellere exanthemata e. g. variolas; neque etiam ſanguini congrumato reſoluendo, neque malignitati & venenis perdomandis ſufficiunt, quamuis Mithridatem ex iis paucisque aliis ſingulare antidotum conſarnicaſſe legamus.

5) Pariter incerte ſecundinarum accretionem impedire & partum faciliorem reddere dicuntur.

6) Euidentior earum externa efficacia eſt ad tumores emolliendos, pus mouendum & euocandum; itemque, vt quidam volunt, ad peſtilentes bubones & carbunculos, ficus ani dolentes & odontalgiam. Sed in his quidem peculiarem earum vim raro vel numquam experimur.

21. IVIVBAE.

1) Arbor horum fructuum, ſeu pruneolorum ferax, pariter ac ficus, colitur præcipue in Hiſpania, Italia & Gallia Narbonenſi. Subdulces autem ſunt, & principiis ac qualitate non abſimiles caricis.

2) Vnde ad eadem pectoris & renum mala conueniunt, illa tamen circumſpectione, ne vſui earum expectoranti diutius inſiſtamus.

3) Dantur etiam ſtranguria & ardore vrinæ laborantibus & hæmoptyicis, quos tamen vt a ficuum eſu noxam ſibi contrahere non nulli obſeruarunt, ſic his quoque fructibus parcius vti decebit.

4) *Externus* vſus nullus eſt. De reliquo *ſyrupus*, &, quod præſtantius eſt, *decoctum iuiubarum* exhibetur.

22. PASSVLAE ſeu VVAE PASSAE.

1) Sunt vel *maiores* vel *minores Corinthiacæ* dictæ. Primæ ſunt baccæ grandiorum vuarum paulatim calore ſolis exſiccatæ ex Turcia, Hispania, Italia & Gallia ad nos exportari ſolitæ, quæ vt bonitatis gradu ſic & nominibus differunt; nam & vulgares vna cum petiolis corbibus vimineis incluſæ gemeine oder Korb-Roſinen) & *zibebæ* longiores item *Damaſcenæ*, *Belleuedere*, *Maſſilioticæ*, admodum ſapidæ (blaue Zibeben) habentur. Alteræ *minores* hodie non tam Corintho, quam ex Zazyntho, Cephalonia, Patris &c. aduehuntur, apyrenæ ſeu nucleis deſtitutæ, cæterum viti, quæ paullo maiora aliis folia oſtendit, innatæ, poſt maturitatem decerptæ, ſiccatæ & doliis commiſſæ. *Vid. Langius.*

2) Vtræque propter acidum vinoſum, cum mucilagine & ſulphureis partibus copulatum, temperant, leniunt, vias lubricant, denique nonnihil incraſſant & abſtergunt, adeoque proficuas multis ægrotantibus dotes conſecutæ ſunt.

3) Quamquam enim grauiorum malorum, vt hecticæ, phthiſeos, hepaticæ obſtructionis, curatio ab illis fruſtra exſpectetur; tamen & his & aliis morbis cholericis, hæmorrhagicis, & vehementiore orgaſmo comitatis, ſolatium quoddam paſſularum ſubſidio obtingit.

4) Inprimis pectori dicantur, & raucos, tuſſientes, aſthmaticos, itemque renum vitiis obſeſſos adleuare deprehenduntur.

5) Et quoniam ſimul aluum promouent, neque facile faſtidi-

ſtidiuntur, commodum præbent remedium grauidis & infantibus, quibus a tardiore aluo ſæpius moleſtiæ creantur. Sunt autem heic eo vtiliores, quod vna bilis acrimoniam hebetare & ſpasmis demulcendis aliquantum inſeruire poſſint.

6) Multi quoque paſſulas aduerſus ſitim commendant, & ſuauiter ſimul nutrientem, alii etiam anthelminticam vim ipſis tribuunt. *Acini* vero, qui maioribus inſunt, adſtrictoria pollent qualitate, ideoque, vt paſſularum effectus melior ſit, eximendi ſunt.

7) Cæterum conſtituunt muſtum concentratum, ex quo, adfuſo fermentationis inſtrumento, ſub debita enchireſi & patientia vinum fit generoſum & ſalubre, vt iam innuit *Ettmüllerus*.

8) Proſtant *paſſulæ laxatiuæ* & *pulpa paſſularum*. Alioquin immiſcentur etiam infuſis, decoctis & interdum vinis medicatis laxantibus.

23. PINEAE.

1) Sunt nuclei oblongi albicantes, qui ſub tunica rutila craſſa latitant intra ſquamas ſtrobilorum, ſeu conorum pini ſatiuæ, prope Rauennam copioſe creſcentis, vnde ſic enucleatæ ad nos transuehuntur.

2) Ab arbore reſinoſum quiddam ſapere videntur; cæterum principiis & viribus non abludunt ab amygdalis, quarum effectus cum paullo ante expoſuimus, non placet hic eadem chorda oberrare.

3) Speciatim autem *nucis pineæ decoctum* cum *viſci querni* portione ad fluorem muliebrem, *oleum expreſſum* ad arthritidem, ſurditatem, paralyſin, ſed dubie, commendatur.

24. PISTACIAE.

1) Arbor quædam Syriæ has nuces largius profert, quæ vt ſub tenui rugoſo putamine nucleum recondunt viridantem; ſic de reliquo oleoſis partibus & mucilagine, qua ſcatent, amygdalarum & pinearum naturam æmulantur.

2) Vnde & iisdem viribus imbutæ ſunt, indignæ autem illis laudibus, quibus aliqui ad excitandam cibi adpetentiam, nauſeam & vomitum ſedandum itemque hepar aperiendum ſpeciatim has nuces condecorarunt.

3) Neque in alendo & roborando adeo præcellentiores ſunt amygdalis, quas proinde, quia propius noſtris regionibus creſcunt & parabiliores exſiſtunt, commode ſubſtituere poſſumus.

4) Cæterum in diuirum menſis frequentius adponi, quam ex officinis præſcribi ſolent.

25. SEBESTEN ſeu MYXAE.

1) Hi fructus ſub pulpa carnea dulci officulum cauernoſum continent, ac proprie pruna ſunt domeſticis ſimilia & nigricantia, quæ ex arbore quadam Aegypti & Aſiæ colliguntur, atque inde Venetias transfretantur.

2) Principia ſalina acida, &, quæ hæc ſibi implicuit, ſpiſſa mucilago, eam ipſis indolem dederunt, vt leniendo, incraſſando & expectorando ſatisfacere medentibus poſſint.

3) Nam & in acriori catarrho, indeque ortis raucedine, tuſſi, & in lento pulmonum muco, quem liquant & ad exitum præparant, vtiles habentur, præſertim ſi opportune, neque nimis diu eos propines.

4) Parem demulcendi efficaciam præſtant in ardore vrinæ, vitiis bilioſis, renalibus, vlceroſis, internis, ſimplicibus & venereis, gonorrhœa, etſi de cetero heic non multum profuturi videantur.

5) Cum autem aliquot auctores confirment, lumbricos myxis ſummopere delectari; tum *Solenander* decoctum ſebeſten pro clyſtere laudat ad hæc animalia adliciendâ & euocanda.

6) Ad vſum ſæpe præſcribuntur cum iuiubis, quibuscum admodum conueniunt, & vel *decoctum*, vel *electuarium diaſebeſten* vſurpatur.

26. Si-

26. SILIQVAE.

1) Eſt fructus arboris in Palæſtina & Italia quoque crescentis, oblongus & ſiliquoſus, qui pulpam dulcem & rufam continet, multis nucleis ei internitentibus.

2) Quod ſi qualitatem eius ſpectes, cum præcedente comparari & peræque ad demulcendum, incraſſandum & expectorandum adhiberi poteſt; quapropter plures ibi modo adlegatos adfectus hic non repetemus.

3) Exiſtit autem paullo magis terreſtris, ideoque ſi in ſubſtantia large detur, aluum potius ſegnem efficit quam molliorem. Cæterum ad ſodam, ardorem vrinæ & ſtranguriam præcipue commendatur.

27. GVMMI ARABICVM.

1) Sincerum hoc, quod rarius ad nos peruenire ſcribit *Ettmullerus*, pellucet candidum limpidumque, & cito in aqua ſolubile eſt. Funditur autem ab arbore acaciæ veræ ſeu ſpinæ Aegyptiacæ; atque vt parcissimas ſulphureas particulas, tanto vero adfluentiorem mucilaginem & terram in ſe recepit; ſic mixtione gaudet ad inuoluendum, incraſſandum & glutinandum aptiſſima.

2) Proinde ad tuſſim acrem, hæmoptyſin, mictum cruentum & dyſenteriam, vbi rite datum præſentiſſime mitigat, crebro adhibetur. Quod vero etiam fluorem album, gonorrhœam benignam & virulentam, pleuritidem curare dicatur, id minus opinabile & expertum eſt.

3) Extus liquido effectum ſuum teſtatur in conglutinandis vulneribus & vlceribus, cruentatione gingiuarum & hæmorrhagiis partium ſpongioſarum.

4) Eiusdem virtutis, ſed inertioris tamen eſt *gummi cerasorum*, quo Arabicum ſæpe adulteratur.

28. GVMMI TRAGACANTHAE.

1) In Sicilia & Prouincia Gallica fluit e vulneratis radicibus arboris ſpinoſæ, quæ tragacantha dicitur. Hoc deinde ſolutum aqua & percolatum vermicularem,

qua conſpicitur, figuram induit; atque id quidem, quod primo colum tranſit, ſplendeſcit candidius & purius, ideoque electa adpellatur; quod vero vltimo transmittitur, magis fæculentum eſt, aliterque coloratum; qualis eſt tragacantha communis.

2) Tota vera & ſincera exiſtit mucilago, ſulphurearum partium inanis, ex qua proinde manant perſpicuæ eius incraſſandi, inuoluendi & temperandi facultates.

3) Vbi ergo ſeri ſubtilis acrimoniam, vel rodentem tenuis bilis cauſin obtundere nos decet, ibi ſalubriter hoc gummi in ſubſidium vocamus; itemque in tenuibus aſperioribus catarrhis, raucedine, tuſſi acri, in ardore vrinæ, exulcerationibus internis, diarrhœa ac dyſenteria non ſine fructu propinamus.

4) Neque contemnendum plane vſum præſtat in hæmoptyſi, mictu ſanguinis, diabete, gingiuarum cruentatione; licet æquum vbiuis moderamen ſeruari neceſſe ſit.

5) *Externe* nonnihil ſubinde ſolatur ardorem linguæ & faucium, acrem ophthalmiam & dolentes papillarum fiſſuras. Vbique vero vel mucilagine tragacanthæ per aquas deſtillatas extracta vtimur, vel *diatragacantho frigido*, ſeu *ſpeciebus de tragacantha* officinalibus.

29. Lac.

1) Eſt chylus animalium nonnihil purificatus, qui, vt ex oleoſa pingui, mucida terreſtri & ſalina acidiuſcula diluta ſubſtantia compoſitus eſt, adeoque nonnulla vegetabilis mixtionis indicia adhuc oſtendit; ſic leniendi, relaxandi, alendi, lubricandi virtutibus fœcundus habetur.

2) Pro animalium varietate paulo diuerſam craſin adſumit, cuius intimam ſubtiliorem differentiam non adſequimur; generatim vero notamus, quod aliud alio temerius, temperatius & ad vſum medicum internum ſalutarius ſit. Præſtantiſſimum cenſetur aſininum, deinde caprillum, tum vaccinum, quibus omni-

mnibus tamen nonnulli, præcipue in tabe, præferunt humanum.

3) Commendatur ergo ad temperandam quamuis acrimoniam, ad ſcorbutum, tuſſim acrem, ardorem vrinæ & ſtranguriam, mictum cruentum, dyſenteriam, in qua, vt & alibi aqua ſatis dilutum porrigi debet, morbos ſpaſticos, vlcerationes internas, phthiſin, hecticam, venenorum mineralium & emeticorum fortium, item cantharidum vim cauſticam & internecinam, vbi quidem mature & copioſius hauriendum eſt.

4) At licet prudens eius & moderatus vſus leuamen aliquod adferre poſſit, tamen grauioribus malis exſtirpandis non ſufficere animaduertitur. Neque enim cura, vt vocant, lactea, quæ multorum oculos in ſe conuertit, veram tabem cum vlcere interno coniunctam, neque arthritidem, aut podagram, neque acriorem labem ſcorbuticam, niſi per accidens forte, præ aliis leuare, ne dicam perſanare poteſt; quin & nocebit, niſi debitis cautionibus & regimine definiatur. Multis enim infirmis angores & flatulentiam infert, etiamſi circumſpecte agamus. Cæterum lac quotidie largius bibitum magnam ſanguinis vbertatem, & niſi hæc laboribus conſumatur, inde variorum morborum fomentum ſuggerit.

5) *Externe* lac vſum habet in balneis & clyſteribus lenientibus & paregoricis, item in cataplaſmate ad emolliendos tumores, ſpasmos nephriticos parumper demulcendos.

6) De reliquo alii lac fermentationem ſubire cogunt vario artificio; alii ſaccharum lactis parant, & magnam inde ſpem medicorum effectuum proponunt, quæ an feliciore euentu ſecundetur, latet, aut ſaltem minus digne exploratum eſt.

7) Certiores ſunt earum partium vires, quæ ſimplici via iam antiquitus plebs & ruſtici a lacte ſegregant. Atque inter hæc *butyrum* præter lubricantem, paregoricam aliasque dotes, lacti proprias, etiam diureticas

&

& aluinas excretiones ipſamque expectorationem promouet, & externe ad maturandum inſeruit.

8) Præſtabilius aliis eſt *butyrum maiale*, quod *Helmontius herbarum magiſterium* nuncupat, idque variis vnguentis nerunis, emollientibus, discutientibus ophthalmicis, dum efficaciora huius generis remedia ei immiſcentur, baſin ſubminiſtrat.

9) Proſtant & ad internum vſum, *butyrum rubrum* & *viride potabile* vulgo magni æſtimata in læſionibus internis, caſu ab alto. Eidem ſcopo, vti & phthiſi ac renum vicerationibus, conſecrant butyrum cum cancris fluuiatilibus contuſis liquatum coctumque, quod quidem, vt vota impleret, vehementer optandum eſſet.

10) Longe alius indolis eſt *ſerum lactis*, quod ob virtutem temperandi, abſtergendi & aluum paululum laxandi, iam vetuſti artis noſtræ principes celebrarunt, & in variis morbis frequenter ſorbillandum præceperunt.

11) Fit autem, vel per ſe e lacte ſenſim aceſcente, vel citius, ſi ſucco quodam acido v. g. citreo in lac calore bulliens iniecto, pingues & caſeoſæ partes præcipitentur. Cæterum rarius hodie adhibetur, quanquam a multis in febre biliosa, acuta quacunque, orgasmo ſanguinis, malo hypochondriaco, ſcorbutico, incipiente hectica prædicatum legatur.

12) Male audit *caſeus*, vtpote cuius nequitiam plurimi accuſarunt, quidam etiam vſum diæteticum plane abrogandum & prohibendum eſſe cenſuerunt; ſed, vt alii rectius exiſtimant, iniuria. Nam a famelico laborioſorum opificum & ruſticorum ventriculo probe concoquitur, iisque ſat bonum validumque præbet nutrimentum, neutiquam vero eas calamitates arthriticas, podagricas, calculoſas machinatur, aut infligit, quæ vulgo inde per ſe exiſtere fingunturtur.

13) Vti-

13) Vtique tamen discrimen habendum eſt inter macriorem durum, e meris terreis & mucidis partibus conſtantem, & alterum ſuauiorem ac pinguiorem, in quo cremor lactis cum dictis partibus permiſtus & coagulatus reſidet. Hic enim vt melius alit, ſic etiam facilius a ſtomacho non plane languido ſubigitur.; contra primus vrbanos, teneros, otioſos, inſuetos facile offendit, agricolis propterea aliisque operariis relinquendus.

14) *Externe* vis leniens & ſpasmos demulcens caſeo præſertim vetuſto adſcribitur. Neque ea plane irrita eſt aut commentitia; quippe podagricos & arthriticos dolores non nimium exaſperatos, ſed paullulum remittentes interdum leuat; non æque vero inflammationibus aut hyſtericis pathematibus opitulatur.

30. MEL.

1) Eſt vel *vulgare* e fauis eliquatum, diuerſæ bonitatis, vel *virgineum* priore ſincerius ſola exſtillatione paratum vel arte *deſpumatum*. De elaborationis modo & artificio discrepant adhuc autores; de principiis autem eius & facultatibus certius adfirmatur, quod cum præcipue e floribus optimis exſuctum & in alueariacongeſtum fit, partibus ſulphureo-oleoſo-ſalinis, larga mucilagine temperatis, exuberet, ideoque abſtergendo, expectorando, temperando, emolliendo, maturando non inutile exſiſtat.

2) Quod ſi ergo primæ viæ ſaburra mucida oneratæ, aut acrimonia humorum & vlcera interna præſto ſint; huius concreti vſus conueniens putatur. Inprimis autem pulmonum & renum vitiis corrigendis addicitur, vbi potiones mellitas cum herbis pectoralibus frequenter præſcribunt Practici, idque eo feliciore ſucceſſu, ſi iuſtum moderamen & opportunitatem attendant; alioquin largiorem inde expectorationem non leuamen, ſed maior debilitatio inſequitur.

3) Eas quoque præceptiones nonnulli addunt, vt, quando ob fermenteſcentem vim mel facile turbas dat,

bilioſi, melancholici & pueri illo abſtineant aut parciſſime vtantur. Pituitoſis autem & maxime ſenibus adeo fructuoſum prædicatur, vt eorum nutritionem, robur ac vigorem deficientem reſtaurare valeat; vnde & veteres philoſophi intus melle, extus oleo vitam ſibi incolumem ac longam præſtare conabantur. Profecto, ſi *Helmontium* audiamus, mel erit gloria roris, in quo collecta ſit plantarum quinta eſſentia, itemque, vt alii volunt, vel cibus cœleſtis, vel balſamus florum, ſpiritus mundi aut ſalis vniuerſalis conſeruantis connubio tinctus; ſed tamen quomodocunque honeſtetur, eximias præ aliis & cœleſtiſſimas eius vires medicas nondum expertas habemus.

4) *Externe* amplior eius vſus eſt in emolliendis tumoribus, iisque ad maturationem & puris eruptionem perducendis, nec non in vulneribus & vlceribus emundandis, vbi frequentiſſime vnguentis digeſtiuis immiſcetur; quanquam cauendum ſit, ne pro vulgari abuſu nimis diu aut immoderate adplicetur, vel læſarum partium debita diſcretio negligatur, quippe in partibus magis exſanguibus ligamentoſis, tendinoſis, mel fermenteſcente ſua acrimonia facile ſenſum exacerbat, maioremque adfluxum laceſſit penitiori arroſione, ſynouia, vlcere denique putrido & rebelli ſubſequentibus. Præterea mel, præcipue mercurialis, enematibus inditur, ad mucum craſſiorem detergendum, vti & ſpeciatim mel anthoſatum ad colicos dolores & pareſin e colica; at vero, vbi inflammationes internæ, aut bilioſa cauſis adſunt, omittendum eſt. *Mel roſatum* ordinarium Chirurgorum remedium eſt, ad faucium & oris exulcerationes. Cæterum, vt hodie varia adhuc vegetabilia hoc ſucco condiuntur; ita conſtat etiam, veteres cadauera melle oblita conſeruaſſe.

5) Inter præparata mellis eniteſcit *mulſum*, liquor nempe fermentatione mellis ad eam generoſitatem euectus,

vt

vt vino, aut fortiori cereuiſiæ vi inebriandi nihil concedat, quo præcipue Lithuania & Ruſſia, mellis nemorenſis ſuauiſſimi copia adfluentes, delectantur. Ex eodem paratur forte acetum. Medicatum autem fieri docetur mulſum, additis ſub fermentatione herbis pectoralibus.

6) Exſiſtunt hinc *hydromel* & *melicrata*. Quicquid autem deſtillatione e melle prodit, vix tantam, quanta creditur, vtilitatem habiturum videtur. Sic *aqua* mellis alba & flaua acrior commendata proſtant, in morbis oculorum, delendis maculis & cicatricibus; *ſpiritus acidus*, quo cum aliqui corallia ſoluunt & tincturam inde conficere volunt, vt diureticus in calculo, item in capillorum defluuio; *oleum* mellis, quod inſtar aquæ vitæ ardet, cum ſpiritu vini iunctum in internis & externis vlceribus. *Confer. Ettmüller.*

7) *Hartmannus* quoque *oleum mellis compoſitum* concinnare docet ad leniendos dolores podagricos, ſed incerto effectu. Num autem ſpiritus mellis, fermentatione recluſi, in pectoris malis ſingularem laudem promereat, experientiæ relinquitur.

8) Tandem & de *cera*, quam pariter admirabili ſolertia apes legunt & confingunt, quædam hoc loco ſubnectenda ſunt. Cohæret autem e reſinoſo-oleoſis & mucilaginoſis particulis tenaciter coniugatis, indeque ad leniendum, abſtergendum, & conſolidandum habile exiſtimatur.

9) Intro id ſumere nemo fere ſuadet; extus autem crebro adhibetur in clauis pedum, tumoribus ſymptomaticis, ac modo dictum in vſum variis vnguentis, linimentis, emplaſtris illiquatur.

10) Celebrius eſt *oleum ceræ*, quod interne, vt diureticum in nephritide, calculo, ſed caute, item in dyſenteria, ſed magis in clyſteribus, conducere perhibent. Extus conuenit in vlceribus, ſordibus cutis ſerpiginoſis, fiſſuris papillarum, quas demulcet & mundat, & cicatrice obducit; porro, vt multi laudant, in pro-

lapſu ani, ambuſtionibus, nephritide, dyſuria, punctura neruorum. Et *Mindererus* oleum inde cum terebinth. gummi Elemi, hyperic. compoſitum tumoribus, nodis podagricis & gummatibus venereis reſoluendis deſtinat.

II) *Cera alba*, quæ vel inſolationis, vel ſpiritus vini colorem extrahentis beneficio fit, interdum baſin aut corpus balſamorum conſtituit. Propolis ſeu *cera virginea*, quam præ foribus aluei apes ædificant, magis flaueſcens, aut nigricans, viscoſius gluten habet odoremque ſuauem ſtyracis æmulum. Hæc accenſa veterem tuſſim mitigare dicitur; cæterum ſingularis eius vſus præ vulgari nondum inclaruit.

31. SPERMA CETI.

1) Non eſt ſemen balænæ, vt diu ea viguit opinio, ſed a recentioribus naturalium rerum conſultis e capite cuiusdam belluæ marinæ borealis prouenire, ac vel cerebrum eſſe, vel ſaltem intra cerebrum talis ceti recondi traditur. Hoc autem deinde excoqui ſolet & adiectione lixiuii alcalini in eiusmodi ſaponiforme concretum, quale vulgo venditur, redigi.

2) Sicut igitur potiſſimum ex oleoſa pinguedine piſcoſa conflatum eſt; ita qualitatem lenientem, inuoluentem, expectorantem, atque etiam, vt nonnulli volunt, propter ſalis acceſſum, reſoluentem hinc adſumit.

3) Quapropter ſpeciatim illo Medici vtuntur in acrioribus pectoris catarrhis, tuſſi, aſthmate, porro in ardore vrinæ, nephritide calculoſa & ſuperuenientibus huic ſpaſmis demulcendis. Neque infructuoſum plane eſt, ſi in pleuritide & peripneumonia opportune & moderate adhibeatur.

4) Neque deſunt, qui idem aduerſus puerulorum tormina acria bilioſa & catarrhum ſuffocatiuum, quin etiam contra omnem colicam, malum hyſtericum, ſanguinem grumoſum & in ſtaſin delapſum atque lac coagulatum valere perhibent; ſed dubium, maiore fiducia,

ducia, an certis & crebriore vſu ſpectatis tentaminibus nitantur.

5) Cum autem cito, propter abundantiorem pinguedinem, in fœtorem rancidum transeat, plurimisque nauſeoſum ſit; tum recens ſemper eligendum, idemque aliis congruentibus temperandum & gratius efficiendum eſt. Atque ita ſæpe præſcribitur cum oleo amygdalar. dulcium.

6) Externe laudatur ad inflammationes, ſed caute & aliis admixtum, ruborem faciei, perniones, cicatrices variolarum & vſum coſmeticum. Frequentius *emplaſtrum de ſpermate ceti* mammarum duritiei præcauendæ, aut emolliendæ & reſoluendæ famulatur.

32. GELATINÆ.

1) Diuturna coctione ex omnibus oſſibus mollioribus, præcipue vitulinis, agninis, C. C. ebore aliisque partibus animalium parantur; & propter teneram mucilaginem, cum pinguedine aliqua deuinctam, leniunt, temperant, inuoluunt ac deficientem alimenti materiam reſtaurant.

2) Commendabiles ergo & efficaces habentur in quauis acrimonia, graui humorum commotione & orgasmo, tuſſi acri phthiſica, vlceribus internis, febribus præſertim acutis, vbi tamen cauendum eſt, ne nimium nutrimenti ſuppeditetur.

3) Fruſtra autem veram malignitatem febrilem, ſpeciatim a gelatina C. C. ſuperatum iri ſperamus, quod nunquam per ſe futurum eſt, etiamſi quoque *eſſentia* per ſpiritum ſambuci, vel iuniperi, addito ſale volatili, inde confecta, quam *Ettmüllerus* laudat, porrigatur. *Vid. ſupra ſub C. C.*

4) Conſtantius gelatinæ viribus exhauſtos, aut largis hæmorrhagiis aliisque euacuationibus nimiis eneruatos reficiunt, adeoque tum in huiusmodi caſibus, tum in diabete, dyſenteria, hectica, magnum ſæpe ſolatium præbent; vbi pro circumſtantiarum ratione illas vel ſucco citri temperatiores reddere, vel variis aroma-

ticis ſuauioribus, aut aliis præſenti morbo conuenientibus remediis imbuere expediet.

33. HERBA ERYSIMI.

1) Vocatur etiam *ſinapi ſylueſtre*, nec immerito, quippe cum hortenſi qualitate & viribus conueniens; de quo cum ſupra latius egimus, hic tanto breuiores eſſe licebit.

2) Satis autem incidendo humorum tenacitatem corrigit & expectorat, ideoque prodeſſe celebratur in tuſſi inueterata, aſthmate & præcipue in raucedine ac voce amiſſa.

3) *Extus* pro ſecreto habetur ad ſcirrhum mammarum, ſi folia eius cum hydromelle cocta adplicentur.

4) Eiusdem facultatis ſemen eius acre eſt, quod, vt diureticum, ad calculum & menſes pellendos, itemque ad gonorrhœam, ſed ambigue, valere quidam perhibent. Cæterum *ſyrupus de eryſimo Lobelii* ſupra dictis morbis internis congruit.

34. HYSSOPVS.

1) Diuerſis floribus, cœruleo, purpureo & albo inſignis conſpicitur, & principiis ſcatet paululum amaris, acriusculis, ſemiaromaticis, munerantibus ei virtutem maxime attenuandi, reſoluendi, discutiendi, paullulum roborandi & diureſin adiuuandi.

2) Singulari autem proprietate pectoris morbos leuare traditur, ideoque gloriam habet in tuſſi humida, viscida & aſthmate chronico, laterum doloribus longinquis & empyemate; quamquam etiam alibi, præcipue in inteſtinis, tenacem mucum incidat ac detergat & inde cardialgiæ flatulentæ commode opponatur.

3) Permulti quoque vſum illius profecturum narrant in menſibus & ſecundinis promouendis, obſtructione viſcerum, hydrope, ictero, vermibus, calculo, viſus obſcuritate; quæ quidem vberiori indagationi relinquimus, cæterum in epilepſia nullam eius peculiarem vtilitatem experimur.

4) Præ-

4) Præſentius *externe* vino decoctus ſugillationes discutit, & ſuffuſos ſanguine oculos ſolatur, licet non ea hyperbolica vi, quam vulgaris grandiloquentia deprædicat. Faucium quoque inflammationibus & vlceribus aliquantum ſubuenit, ac dentium doloribus catarrhalibus auriumque ſuſurro deſtinatur.

5) Vtimur præcipue eius *decocto*, *infuſo*, *aqua deſtillata*, *ſyrupo*, qui ſatis euidenter expectorat, & *oleo deſtillato*.

35. MARRVBIVM ALBVM.

1) Huic ſubamaræ, nec inſuaueolenti herbæ tribuitur excellens incidendi, reſoluendi, aperiendi & vrinam mouendi poteſtas.

2) Vnde quidem magno conſenſu Medici ipſam dilaudant ad viſcidam, vbicumque reſideat, pituitam attenuandam, oppilationes viſcerum, menſium retentionem, chloroſin, morbosque vterinos.

3) Inprimis vero, vt tuſſim & aſthma inueteratum leuat; ſic hepaticum peculiare & ſpecificum expertum in iecoris obſtructione, ictero & quadantenus hydrope cenſetur.

4) Quamuis autem, præter hæc, nonnulli magnum in eo præſidium quærant aduerſus nephritidem & calculum; tamen potius auſcultandus eſſe videtur *Foreſtus*, qui vſum eius renum vitiis magis infeſtum, quam amicum eſſe ex ipſa praxi animaduertit. Quapropter in talium malorum præſentia ab hac herba cauendum eſt, neque de reliquo temere fidendum laudibus, quibus ad phthiſin, podagram & morſum canis rabidi conducere perhibetur.

5) *Extus* laudatur ad vlcera ſordida & aurium morbos. Cæterum proficua ad vſum ſunt eius *decoctum*, *extractum*, *aqua deſtillata* & *ſyrupus*, ſub nomine *de praſio* haud ignotus.

36. PILOSELLA.

1) Vocatur etiam *auricula muris*, atque vti in *maiorem*, dictam *pulmonariam Gallicam* ſeu *phthiſicam*, & *minorem*

norem vulgarem diuiditur; ſic prior maxime reſoluens & ſubadſtringens pectoralis, altera validioris ſtringendi qualitatis particeps eſſe iudicatur.

2) *Maiorem* ergo tabidis, hæmoptyicis, & interno vel externo vlcere laborantibus, opem ferre tradunt; quamquam pauciora felicis ſucceſſus conſtent documenta, & verendum ſit, ne ſingularem præ aliis traumaticis fructum non adferat.

3) *Minor* vulneraria eſt, & læſionibus continui quidem orisque vlceribus ſatis accommoda; ſed in diarrhœa, dyſenteria, hæmorrhagiis internis, phthiſi, ictero, calculo, ramicibus, ad quæ vulgo eam conducere aiunt, cautiſſime vſurpanda; vtpote cum nimia vi adſtrictoria facilius noxam, quam ſolidum adiumentum importatura videatur.

4) Æque incertum præſidium eſt aduerſus lienis tumorem & ſcabiem ferinam, quibus curandis aptiora habemus remedia.

37. PVLMONARIA MACVLOSA.

1) Huic æqualem fere præcedentibus indolem, præcipue vero egregiam virtutem omnibus pulmonum morbis ipſique phthiſi, ſi dextre exhibeatur, ſuccurrendi ingenitam eſſe, quidam teſtantur.

2) At vero, cum vulneraria ſit, prouide quoque danda; cæterum in earum herbarum, quæ adhuc inexpertæ vel minus probatæ exiſtunt, claſſem referenda eſt, vnde plura addere ſuperſedemus.

38. ROBELLA.

1) Plantula hæc, quæ & *ros ſolis* dicitur, fœcunda eſt ſalinarum, acrium & ſulphurearum particularum, cum paucioribus terreis acidiusculis mixtarum, vnde attenuantem, reſoluentem & ſecundum alios roborantem, atque, vt quidam notant, etiam cauſticam qualitatem ſuſcepit.

2) Mira enim eſt auctorum discordia & hæſitantia in definiendis huius herbulæ viribus; quandoquidem nonnulli efficaciam eius certo reſtaurantem & vitæ lon-

ius

gius producendæ parem, de reliquo insignem in pectoris morbis, phthisi, asthmate, hydrope, epilepsia, apoplexia, calculo, febribus malignis iactant & venerantur; contra alii vsu illius interno omnibus prorsus interdicunt, ob vim nimis acrem & vrentem, qua & cuti imposita vesicas interdum euocat, & in ouibus, obseruante *Borrichio*, tussim excitat letiferam.

3) Exspectandum itaque est, dum fida & vberior experientia litem omnem ac dubitationem sustulerit. Eo vsque ab hac herba cauere consultius erit.

4) *Externe* laudatur ad promouendum partum, profligandos dolores dentium, epilepsiam, maniam, fascinum; præterea humor, qui vel ipso meridiano sole ardente folia eius perpetuo irrigat, oculorum inflammationibus, cephalalgiæ, quin & cancro, venenatis ictibus & morsui auxiliari dicitur. Sed hæc omnia perinde adhuc ambigua sunt, & partim superstitiosa. Certius hæc herbula pulchram spiritibus destillatis, aquis vitæ &c. tincturam largitur.

39. TVSSILAGO.

1) *Herba* & *flores* magis in vsum recepta sunt, quam *radix*, atque e mucilagine, salinis alcalinis moleculis intermista, qualitatem lenientem, abstergentem & expectorantem hauriunt.

2) Quapropter commendata prostant ad morbos thoracis, tussim quamcumque, asthma, tabem, empyema, vomicam pulmonum, quamuis adscriptis encomiis rarius respondeant, multo minus veram phthisin exstirpare possint.

3) Conferunt alioquin ad raucedinem, acrimoniam in pectore & renibus mitigandam & stranguriam.

4) *Externe* folia recentia tumoribus inflammatis imponuntur. Sed puluerem eorum, in vino sumtum, dolentibus hæmorrhoidibus subuenire, aut aquam destillatam in epilepsia, vel extus in cephalalgia acuta-

rum febrium, vlceribus & puſtulis feruidis, ficubus ani vrentibus, ſingulare leuamen adferre, nondum eſt compertum.

5) *Syrupus de farfara* ſatis, a veteribus maxime, celebratur ad ſupra dictos internos adfectus. Cæterum & *decoctum* & *conſerua* porriguntur. Anglis autem præcipue lubet fumum, ex herba & radice ſiccatis, tabaci inſtar, ad catarrhos & tuſſim abigendos haurire.

40. FLORES CROCI.

1) Crocum verum & ſatiuum, impenſiore cura in Auſtria, Anglia, multisque aliis regionibus coli ſolitum, conſtituunt ſtamina florum tenuia, quæ plerumque terna, interdum plura in medio ipſorum reperiuntur, coloris fului, ſaporis acriusculi & ſubamari, odoris penetrantis ſpecifici. Hæc cum ſæpe vel lithargyrio, vel carnis bubulæ ſalitæ & infumatæ fibrillis, vel onici floribus adulterentur, bonitatis notas tanto magis perſpectas habere conueniet, de quibus *Langius* aliique conſulantur.

2) Quemadmodum autem crocus principiis ſalinis, ſubacribus & ſulphureis vaporoſis, aromaticis exuberat; ſic præcipue hinc petiiſſe autumatur facultatem reſoluendi, excalefaciendi, roborandi ac ſopiendi.

3) Exinde principatum inter flores tenere & magnifico regis vegetabilium, immo aromatis philoſophorum nomine cohoneſtandus eſſe multis videtur; quippe cum ipſum præſtantiſſimum eſſe prædicent in compluribus morbis vel ſuperandis, vel ſaltem grata vi deliniendis; vt: in pectoris quacumque ægritudine, tuſſi, aſthmate, pleureſi, catarrho ſuffocatiuo, raucedine, tabe; deinde in motuum vitalium languore, vel defectu, lipothymia, tremore, apoplexia, palpitatione cordis, triſtitia & mœrore animi; porro in doloribus colicis, dyſenteria, ſanguine ſpiſſo coagulato, obſtructionibus viſcerum, ictero, quartana, calculo, nam & vrinam ciet, menſium retentione, partu

partu difficili, tandem in venenis, febribusque acutis malignis & peſtilentibus.

4) At ſi hæc omnia ad hodiernæ experientiæ amuſſim accuratius exigantur, vſum croci vulgatis laudibus multo inferiorem, magisque anguſtis cancellis circumdatum eſſe reperimus.

5) Notandum enim eſt, eum, vt omnes præcipiunt, parce dari oportere; alias grauior humorum commotio, cephalalgia, temulentia, delirium denique ridiculum, quin & ſi eo tempore detur, quo æſtus & febris morbum comitatur, varia turbulenta & ominoſa ſymptomata identidem ſuccedunt. Quapropter etiam ad febres malignas ambigue valiturus, nec niſi minuta doſi ad menſium ac lochiorum promotionem indulgendus eſt.

6) Cæterum etſi languentes motus nonnihil exſuscitare, atque etiam in reſpirandi difficultate tuſſique contumaciore cum aliquo fructu præberi queat; tamen nec ſtaſes humorum, aut obturationes viſcerum inſigniter diſſipat, nec tantum efficit, vt titulum *pulmonum animæ* promereat, nedum pleuriticis & phthiſicis vitam protrahat, aut vere medeatur.

7) Firmioribus & magis euidentibus experimentis vſus croci *externus* nititur, vtpote ad eryſipelas & quoscumque tumores inflammatos, inprimis ad ſeroſam in iis ſubſiſtentem portionem dispellendam, doloresque coniunctos ſopiendos idoneus. Quocirca crebro admiſcetur epithematibus, ſacculis, cataplasmatibus & emplaſtris discutientibus, aut maturantibus, nec inutiliter cum lacte oculis adplicatur, ad eos ab acri inflammatione liberandos, aut in variolis defendendos. Præter ea laudatur ad cruciatus hæmorrhoidum cœcarum, item, ſed dubie, e regione ventriculi cum camphora ſuſpenſus aduerſus melancholiam; ſacculo incluſus & ventriculo impoſitus contra vomitum & morbum nauigantium; inſuper

ad pediculos necandos, icterum, denique ad cephalalgiam & vigilias, si puluinari supponatur, quamquam hoc vltimum periculosum & non imitandum esse moneat *Ettmüllerus*.

8) Adhibemus crocum potissimum in *substantia*, vel *essentia*. Alias quoque *extractum*, *trochisci de croco*, variæque plures prostant compositiones.

41. SEMEN ANISI.

1) Copiose colitur in Thuringorum & Bambergensium tractu, atque vt locuples exsistit sulphureis, oleosis acrioribus & aromaticis particulis, sic inde qualitas eius resoluens, excalefactoria, roborans & carminatiua proficiscitur.

2) Veteres ipsum inter quatuor semina calida maiora collocarunt, indubie ob virium, quibus dotatum est, conuenientiam; nam & in lenta pituita, mucoso-vappido-seroso humorum statu, adeoque in apepsia, flatulentia & torminibus, a dicta caussa exsurgentibus; porro in catarrhis frigidis, tussi & asthmate humido, mucidis renum vitiis, cachexia, chlorosi suauitate sua pariter ac vsu salubri se commendat.

3) Non minus halitum iucundiorem facit, quamuis varias fœtentis oris caussas minime auferat; prouentui etiam lactis augendo aptum censetur.

4) Ad vertiginem autem, cephalalgiam, oculorum caliginem, morbum comitialem, raucedinem, calculum & fluorem album tollendum cum generali quadam vi nonnihil conferre possit; tamen specificas dotes in eo non inuenimus.

5) Et cauendum vtique est, ne ab auctoritate laudantium impellamur ad vsum eius indifferentem in pectoralibus, tussi sicca, phthisi aliisque malis paullo feruidioribus, aut acriore sanguinis motu stipatis. Hæc enim facile calore suo exacerbare potest, ideoque promiscue vel *intestinorum solamen*, vt *Helmontius* vult, vel *pulmonum anima* salutari non meretur.

6) *Ex-*

6) *Externe* conducit ad tumores frigidos, debilitatem paralyticam, laxitatem viſcerum, flatulentam colicam & cardialgiam ſanandam. *Foreſtus* inprimis *oleum* eius *deſtillatum* extollit ad ſugillationes & vibices.

7) Adhiberi poſſunt huius ſeminis *puluis*, *decoctum*, etiam in *clyſteribus* carminatiuis, *aqua deſtillata*, *ſpiritus*, *oleum deſtillatum*. Hoc vltimum vero quam frequenter præſcribitur, tam parce intro ſumendum eſt, externe tutius & vtilius futurum.

8) Proſtat quoque hodie *aniſum ſtellatum* ex Indiis & Moſcouia ad nos deferri ſolitum, quod ob gratum odorem nonnullis ſub forma infuſi théе expetitur, cæterum quod peculiares præ vulgari aniſo virtutes edat, nondum ſatis perueſtigatum eſt.

42. CORTEX CASCARILLÆ.

1) A quibusdam *Schacarilla*, ab aliis *cortex Peruuianus gryſeus*, ab Hiſpanis autem *Cascarilla de la oia*, id eſt, cortex antifebrilis, vocatur, atque ex arbore Indiæ occidentalis, botanicis *Canella laurifolia Magellanica cortice acri* dicta, decerpi traditur.

2) Inuentio eius, vt nonnulli volunt, *Wilhelmo Wintero*, equiti Anglico, tribuenda eſt, vnde & a *Valentino* in *muſeo muſeorum* cortex *Winteranus* adpellatur; in noſtris autem regionibus ampliorem huius remedii vſum & virtutum indagationem præcipue *Apino* ac *Stablio* debemus.

3) Generatim illi competunt reſoluentes, diaphoreticæ, tonicæ & ſedantes qualitates; quemadmodum partes eius conſtituentes, tum ſulphureas ſubtiles vaporoſas, tum reſinoſas & terreas adſtrictorias odor, ſapor & chymia demonſtrant.

4) Speciatim vero *Stablius* hunc corticem in pectoris morbis, vbi lenit, discutit & ſedat, peripneumonia, pleuritide, inprimisque in diarrhœa febrium acutarum & dyſenteria, quam aliis omnibus efficacius mitigat,

præſtantem expertus eſt; *Apinus* autem præterea ſingularem illius præcellentiam in febribus malignis & contagioſis celebrat, quam tamen hodie medentium votis non reſpondere notamus, idque eo magis dolendum, quo clarior eſt certorum in hisce malis ſpecificorum defectus aut ignoratio.

5) Maiore cum fructu ipſum præbemus in febribus intermittentibus, vtpote quas aliis congruentibus additus aut ſubiunctus ſæpe feliciter perſanat, inque eo alteri illi cortici Peruuiano, validius adſtringenti, plurimisque, niſi caute detur, noxio, palmam præripit.

6) Idem hoc ſimplex remedium confert in omnibus inflammationibus, excepta angina, vbi iuſto acrius eſt, doloribus, ſpasmis hypochondriaco-hyſtericis, turbatione fluxus menſtrui & hæmorrhoidalis, hæmorrhagiis internis, vomitu cruento, lochiis nimiis, hæmoptyſi, item in hemicrania, debilitate ventriculi a morbis relicta, vomitu nimio, quouis alui fluxu. Et quamuis non vbique præſentem effectum edat, tamen vi ſua tonica & leniter anodyna ægros aliquantum ſolatur, atque ad minimum opiatis tutius eſt & conuenientius.

7) Illud modo prouidendum eſt, vt iuſto tempore & decente methodo, neque, quia, calefacit, largius aut nimium ſæpe hunc corticem offeramus.

8) Caſcarilla accenſa fumum, non inſuaue olentem, ſpargit, quamquam is multis aduerſus ſit & caput in illis tentare obſeruetur: Num vero ad peſtilentes febres auertendas proficiat, adhuc minus probatum eſt. Cæterum vtimur hoc cortice in *puluere*, *eſſentia*, *extracto* & *infuſo*. Conferantur obſeruationes germanicæ ab Anonymo de vſu Cascarillæ editæ.

43. GVMMI BENZOES ſeu ASA DVLCIS.

1) Fluit ex arbore Indica quadam orientali ac præſtantiſſimum ducitur, quod maxime ſuauiſſimeque fragrat, e maioribus granis, ſeu fruſtis nitentibus congluti-

natum

natum, maculis albis, ſapore pingui reſinoſo præditum, *Amygdaloides* vulgo adpellatum.

2) A plurimis autem extus ſolum adhibetur, vbi reſoluentem, roborantem & exſiccantem vim præcipue exercet; atque ideo variis odoriferis compoſitionibus, pomis ambratis, ad recreandum ſcilicet, candelis fumalibus, ſaeculis & ſuffimentis additur ad reſoluendos capitis catarrhos, quanquam nonnulli ſuaueolentia hæc valde auerſentur, ac ſi ſola benzoe adoleatur, fumus eius ſæpe caput & pulmones grauiter offendat.

3) Inſeruit quoque aliquantulum laxitati partium corrigendæ & discutiendis tumoribus frigidis, inprimis autem ad coſmeticum vſum expetitur; vbi, licet cutis ſuperficiem nonnihil detergat & emendet, tamen vana venuſtatem adfectantium deſideria nunquam exſatiabit.

4) Quibusdam internus vſus placet in tuſſi inueterata, orthopnæa, aſthmate, imo phthiſi, vt putant, laudatiſſimus; ſed reprobatur ab aliis, & certe magnificentius, quam verius, balſamum pulmonum dicitur. Nec ſalutarem magis, licet ſternutantem, effectum edunt flores e benzoe ſublimati, ſub quorum nomine fumum vendi iudicat *Billichius*.

44. MYRRHA.

1) In Indiis, Arabia, Aegypto, ex arbore, quam duplicem *L. Plukenet* depingit, ſtillare dicitur, vereque electa ac præferenda aliis cenſetur, quæ recentior eſt, fragilis, minoribus granis rubicundis & pellucidis conſpicua, non æque ponderoſa, ſed fragrantior & ſubacrem linguæ amaritudinem imprimens.

2) Ex principiis largiter reſinoſis ſulphureis acribus & pauciore mucilagine interiecta poteſtatem hauſit excalefactoriam, reſoluentem, emundantem, balſamicam & roborantem, atque inter huiusmodi pharmaca præcipuum ſibi locum vindicauit.

3) Sed

3) Sed vulgo etiam alexipharmacis adnumeratur, & non modo a peſtilentium, ac malignarum febrium inuaſione præmunire hominem, verum & earum præſentium virus ſuperare poſſe creditur, eo quod putredinem non ſinat inualeſcere; vnde & *Helmontius* illi ad vitam longam adipiſcendam multum confidit. Aſt vtique dubia nobis tantarum virtutum ſpecimina offeruntur, & myrrham non tam viuo corpori diu præ aliis ſano & incorrupto tuendo, quam condiendis cadaueribus parem eſſe liquet euidentius.

4) Nam externe quidem variis corruptelis auferendis pulchre famulatur; at ſi interne paulo largius datur, humores grauius commouet & accendit; quapropter tutius eſt, in quouis intenſiore orgaſmo, ſpasmis exacerbatis, febrili æſtu, tantoque magis in febribus acutis & contagioſis, quibus placidus motuum progreſſus ad ſubtile miasma exterminandum conuenit, ab ea penitus abſtinere.

5) Eadem de cauſa phthiſicos & hecticos non leuat, nedum a morte tuetur, ſed potius omnia ſymptomata vehementiora reddit, inprimis in ſtatu magis exacerbato ſumta.

6) Multo ſalubriorem ſe oſtendit in diuturnis frigidis morbis cachecticis, catarrhalibus, ſcabioſis, vlceroſis, venereis; nec laude caret in imbecillitate ventriculi, diarrhœa, anhelitus fœtore & verminoſa colluuie; dummodo vbique ſubiectis calidis & tenerioribus parcius hoc gummi præbeatur; ſub qua cautione etiam menſium vitiis & imminutione præcipue laborantibus poteſt auxiliari.

7) Extus polychreſta eſt & excellentis efficaciæ mundantis, corruptionem inhibentis, ac ſarcoticæ in vlceribus putridis, abſceſſibus malignis peſtilentibus, gangræna & aliquantulum ſphacelo, cunctis denique vulneribus, præcipue carnoſarum & copioſi ſanguinis aditu & commercio gaudentium partium; nam in tendi-

tendinoſis, ligamentoſis & membranaceis læſionibus, quoniam nimium ſanguinis adfluxum concitat, parcior eſſe debet eſſentiæ myrrhæ vſus. Præterea tumoribus frigidis diſſoluendis parumper ſubuenit & laudatur ad dentium & gingiuarum mala, qnamquam precario vniuerſale remedium odontalgiæ audiat, perniones, fiſſuras papillarum, cicatrices omnesque faciei maculas.

8) Proſtant *trochiſci* de myrrha, *eſſentia* eius & *oleum myrrhæ per deliquium*, quæ vtraque ad ſupra dictos effectus plerosque accommodata ſunt. Ceterum & *ſuffitus* adhibetur, tum ad menſes euocandos, tum inſperſione vini albi in candentem myrrham & vaporis inde ſurgentis admiſſione, ad rugas delendas, vti monet *Ettmullerus*.

TABVLA X.

DE SANGVINIS ABVNDANTIS AVT SVBSISTENTIS EVACVATIONE PER REMEDIA.

I. *DEFINITIO.*

Hæc, vt ex titulo aliquo modo patet, eſt artificialis legitimarum ſanguinis excretionum, naturæ alias conſuetarum, iam vero vel plane deficientium, vel impeditius ſuccedentium, per remedia ex pharmaceutico & chirurgico fonte petita, promotio.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Sermo nobis hic omnino eſt de promouendis hæmorrha-

giis *boni moris, ſalutaribus & ſecurioribus*, vti ſunt: narium hæmorrhagia, menſes, hæmorrhoides, lochia; non autem de periculoſis illis, hæmoptyſi ſcil. vomitu cruento & mictu cruento.

2. Promouetur autem euacuatio hæc
   1) *interne*, modo per præparantia & impedimenta remouentia, modo per ſtimulantia & impellentia, v.g. emmenagoga.
   2) *Externe* per peſſaria in obſtructione menſium, per ſuppoſitoria acria in hæmorrhoidum defectu, per balnea, ſuffitus, vnguenta; item per venæ ſectiones, ſcarificationes, hirudines, de quibus prolixius iam egimus *in tab. noſtris chirurgicis:*

III. *INDICANTIA.*

Sunt

1. naturæ, plethoram ægre ferentis, in adminiſtrandis ſalutaribus ſanguinis excretionibus defectus.
2. Eiusdem ad hunc actum exercendum conſenſus & procliuitas.
3. Totius corporis, quod ad cetera attinet, integrior ſtatus.
4. Aetas congruens. Senibus enim narium hæmorrhagiam reuocare velle, incongruum foret.

IV. *INDICATA.*

Hæc varii ſunt generis & ex variis deſumta fontibus, vt:

1. *emmenagoga*, quæ vel
   a) *vegetabilia*, e. g.
      Rad. Angelicæ
      Ari
      Ariſtolochiæ
      Byroniæ
      Carlinæ
      Ellebori nigri
      Galangæ
      Leuiſtici
      Pimpinellæ albæ
      Rubiæ tinctorum
      Zedoariæ
      Herb. Artemiſiæ
      Calaminthæ
      Marrubii albi
      Matricariæ
      Meliſſæ
      Pulegii
      Rorismarini
      Rutæ

Rutæ
Sabinæ
Serpilli
Fol. Lauri
Flor. Calendulæ
Cheiri
Croci Orientalis
Schœnanthi
Fruct. Cicer. rubr.
Bacc. Iuniperi
Lauri
Gumm. Aloës
Ammoniaci
Myrrhæ
Balsamus Peruuianus
Arom. Cardamomum
Cinnamomum
Piper
Zingiber.

b) *Animalia*, e. g.
Anguillæ hepar
Bouis castrati splen
Castoreum eiusque tinctura
Cornu cerui eiusque spiritus volatilis.

c) *Mineralia*
Borax
Crocus martis aperitiuus *Stahlii*
Nitrosa cum cinnabari
Succinum eiusque essentia

d) *Præparata & composita* varia
Balsamus sulphuris anisatus, vel succinatus
Elixir proprietatis *Paracelsi*
Olea aromatica acria destillata, v. g. Sabinæ
Pilulæ *Beccheri*, *Stahlii*
Salia volatilia.

e) *Externe:* Pessaria & spiritus volatiles vrinosi, per *instrumentum Glauberianum*, subtilis vaporis forma adplicati.

II. *Hæmorrhoides proritantia*, eaque

1. *vegetabilia* pro vsu interno,

a) *simplicia*
Rad. Armoraciæ
Ellebori nigri
Zingiberis
Herb. Sabinæ
Flor. Cheiri
Croci orientalis
Semen Sinapis
Allium
Cepæ
Gumm. Aloës
Ammoniaci
Galbani
Cinnamomum
Hepar anguillæ

b) *Præparata & compoſita,*

Aqua Artemiſiæ
Cinnamomi
Meliſſæ
Pulegii
Elixir. Propr. P.
Eſſent. Carminatiua
Caſtorei
Cinnamomi
Croci
Myrrhæ
Succini
Extr. Artemiſiæ
Centaurii minoris
Ellebori nigri
Sabinæ
Ol. Cinnamomi
Piperis
Sabinæ
Succini
Pilulæ *Stahlii*, *Beccheri*
Sal Succini volatile
Spiritus C. C. volatilis
Fulignis
Salis ammoniaci
Tinct. Antimonii acris
Martis elleborata *Wedelii*, *Ludouici*
Salis tartari acris.

Pro vſu externo:

frictio cum fellibus animalium rapacium.

Adplicatio hirudinum ad orificium ani. *Conf. tab. chirurg. de hirudinum adplicatione.*

V. *MODVS OPERANDI.*

1. Quædam impedimenta, hæmorrhagiæ fluxum cohibentia, remouent, vti interne aperientia, incidentia, abſorbentia, martialia, externe venæ ſectio plethoram imminuendo: item topica, quæ vias ad laxitatem disponunt, e. g. balnea, ſuffitus, emplaſtra, vnguenta, clyſteres.
2. Nonnulla particulis ſuis ſalino-ſulphureis M. S. in inteſtinum motum præcipitant, quæ adeo, ob orgaſmum inde concitatum, maius occupando ſpatium, vaſa ſua plus ſolito diſtendit; ex quo incommodo natura, ſenſibilis reddita, ſanguinem quaſi abundantem per conſueta ſibi loca denuo exterminando, damnum corpori ſuo imminens auertere viribus omnibus annititur. Faciunt hoc remedia acria, aromatica, myrrhata, crocata, ſuccinata.
3. Alia quaſi indirecte, dum ad alias euacuationes diriguntur, naturæ anſam præbent, omiſſæ olim excretionis ſangui-

ſanguinis eodem iam tempore & opere ſimul adminiſtrandæ. Cuius cenſus ſunt aluum liberantia, quæ emmenagogas pariter exſerunt vires, vt aloëtica, helleborina, itemque varia diuretica.

4. Quædam virtute ſua tonica, ſi cum *ἐυκαιρία* adhibeantur, robur ſolidis partibus conciliando, naturæ cauſſam ſubminiſtrant, acceptis hisce viribus in præſenti ad commouendam denuo hæmorrhagiam opportune vtendi. Præcipue huc pertinent martialia aperitiua, quæ ſtrictura ſua in hisce locis, vbi iam congeſtoriæ commotiones adſunt, tantum efficiunt, vt eruptio tandem ſuperueniat.

5. De cetero haud dantur remedia interna, ſanguinem ſpecialiter ad certum locum dirigentia; ſed quicquid tandem operantur, in genere id operari, vero quam ſimillimum eſt, vt ſcil. vel agitent ſanguinem & mobilem reddant, vel naturam ad excretionem vicinam diureticam & aluinam ſtimulent. Vnde extrinſecorum ſpecialiore concurſu opus eſt ad ſpecialem euacuationem obtinendam.

VI. *MODVS PROPINANDI.*

Hic conſiſtit.

1. In *ſufficiente viarum apertura & laxitate*, vt peruia prius reddita & in adſuetudinem deducta iam ſint organa, per quæ euacuatio ſanguinis promouenda eſt. His enim rigidius conſtrictis, aut numquam antea apertis, fruſtra tentabitur promotio.

2. In *debita maſſæ ſanguineæ conſtitutione*, vt ſcil. illa ſufficienter fluxilis ſit, nec quantitate ſua ad motum inepta. Cui ſcopo venæ ſectio ſuscipienda, & diluentia interna ſunt offerenda.

3. In *opportuni temporis electione.* Vbi enim per ſalutarem motuum directionem euacuatio, licet in perexigua quantitate, iam iam ſuccedit, adeo vt nil niſi expeditior, ſucceſſus deſideretur, ibi pellentia remedia non poſſunt non fauſtum largiri exitum. Sin vero hæc ad agendum requiſita diſpoſitio adhuc dum deficiat, tunc ma-

gis conuenit adhibere aperientia, abſorbentia, martialia teneriora & ſic dicta magis aperitiua, eaque in minore potius quam larga doſi, gr. ſemis, ad j. ij. ad ſummum iij. interpoſitis ſalibus volatilibus, ſpiritu CC. præparatis ex ſuccino.

4. In *ipſorum medicamentorum adplicatione*, quibus ſcil. impendentem ſanguinis excretionem in actum deducere valeamus, & hoc vel per

1) *interne* adſumta, quorum catalogum modo exhibuimus. Specialiſſimam vero eorum adplicationem, e. g. in hæmorrhagia narium, menſium, hæmorrhoidum, *vide in tab. noſtr. med. pract.*

2) *Externe* vſurpata & ad loca excretoria adplicata, qualia ſunt peſſaria in obſtructione menſium, ſuppoſitoria acria in hæmorrhoidibus, millefolii, radic. crocodilii, nigellæ adfrictio in hæmorrhag. nar. balnea.

VII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Sanguinis ſinceri excretiones per pharmaca procurare velle, res eſt longe delicatior, imo periculoſior, quam per chirurgica. Priori enim modo, niſi aurea mediocritas adhibeatur, facile orgaſmus ſanguinis, & ex hoc visceris cuiusdam funeſtus infarctus gignitur.

2. Contra vel præter naturæ ipſius intentionem pariter ac dispoſitionem excretiones eiusmodi propellere conari, temeritatis eſt. Hac vero præſente maiori cum efficacia & euphoria agere licet.

3. Adhuc maius periculum inuoluit, talem actum ſuſcipere velle, vbi vel ſpiritus ægre ducitur, vel tuſſis frequentior vrget, vel punctorii in pectore dolores adfligunt; id quod ſæpius vſu venit apud inuenculas, menſium obſtructione laborantes.

4. Nec facile locum inuenit eiusmodi actus, vbi ſubiectum ad febriles commotiones procliue eſt, vel diſpoſitio hæreditaria obices ponit.

5. Pari modo res ſeſe habet in fluxus hæmorrhoidalis defectu, ſi in nephritide, ſiue ſimplice, ſiue calculoſa, ſanguinis

nis ſinceri cum vrina mixtio adpareat, vel plane hæmoptyſis prægreſſa ſit.

6. Abſtinendum eſt a volatilibus oleoſis, niſi forte ſubiectis, frigidiore & ſegniore temperamento præditis ea concedere, imo commendare velimus.

7. Externa illa ſtimulantia, peſſaria, ſuppoſitoria acria, ſæpius inflammatorium ancipitem & discuſſioni non facile obſequentem humorum adfluxum, quam eorumdem ſalutarem effluxum producunt.

8. Non minoris eſt momenti, excretionem per longius temporis ſpatium iam ſubſiſtentium hæmorrhagiarum reſuscitationem tentare.

9. In hoc caſu, vbi vel leuiſſima concurrit plethora, imo etiam extra ipſam, pro motu tantum ſanguinis dirigendo, conuenit præmittere venæ ſectionem in parte aliqua conueniente, & tunc demum remediis, primo quidem lenioribus internis, tum etiam ſufficientibus externis, ſanguinis fluxum ad illas partes inuitare & incitare.

10. In menſium prouocatione exhibitionem medicamentorum ſpecialiorem verſus conſuetum tempus inſtituere expedit, & vbi natura conſpirat, atque manuductionem ſequitur, tanto magis ipſi momento eruptionis ſuccurrere, durante etiam fluxu congruis eiusmodi medicamentis inſiſtere conuenit. *Conf. tab. med. de ſuppreſſ. menſ.*

11. Hæmorrhoidibus actu adparentibus minus efficaciter per *aloëtica* largiora, ad laxationem exhibita, ſuccurritur, ſed præſentius per eadem ad alterationem data, quo caſu elix. P. P vtile eſt & pilulæ *Stahlii*.

12. In lochiis prouocandis pellentia minime ſunt adhibenda, ſanguini enim iisdem orgasmus inducitur, & ſuppreſſio, præcipue in phlethoricis, magis obfirmatur, aut febris excitatur. *Conf. tab. med. de ſuppreſſione lochiorum.* Conueniunt hic magis temperantia & refrigerantia, nitroſa cum cinnabarinis, modico tantum myrrhæ, croci, vel borracis adiecto, quod tanto magis neceſſarium eſt, ſi perſona, vel calidis medicamentis ad partum, vel poſt par-

partum abusa sit, vel nimio labore in partu sanguinem turgefecerit.

13. Quando remedia sanguinem commouentia, ad inferiora loca deriuantia & strictvram internam prouocantia simul & in vna formula exhibentur, certior hæmorrhagiæ restitutio obtineri potest.

14. RADIX RVBIAE TINCTORVM.

1) A colore rubro, quo pannos inficit, nomen habet. Colitur in Flandria, Zelandia, Silesia, & sicut dulcedinem aliquam cum asperitate præ se fert; ita abstergentis, resoluentis & mediocriter tonicæ virtutis consors, inter quinque aperientes minores vulgo numeratur.

2) Rarius in vsu quidem est, sed tamen a nonnullis commendatur in oppilationibus viscerum, præcipue renum, ictero, incipiente hydrope; adeoque penetrabilis esse adseritur, vt mechanicorum, qui eam frequenter sub manibus versant, vrinam, quin & pecoris, ea diutius pasti, carnem & ossa rubore tingat; id quod, nisi fabulosum sit, mirandum est.

3) Præcipue vero in subluxatione illa vertebrarum dorsi, vt sæpe ex errore vocant, in dem Wehe-thun, sanguine congrumato a casu ab alto laudatur, quo scopo plebeii massam ex puluere huius radicis, *Crap* dictam; alii radicem in posca, seu aceto & aqua decoctam, alii *vnguentum potabile rubrum*, quod hanc radicem recipit, magna fiducia, & si sub initium statim capiatur, effectu certiore vsurpant.

4) Tandem etiam reuocandis mensibus & dysenteriæ ac herniis curandis destinatur; at successu magis ambiguo.

15. HERBA ARTEMISIAE.

1) Obuenit *alba* & *rubra*, quæ vltima priori anteponitur, atque inter herbas vterinas tantum gloriæ habet, vt *Febrius* ipsam matrum atque omnium passionum muliebrium optatam vocet obstetricem.

2) Pal-

2) Palmaria igitur virtus ei adſcribitur in ſuppreſſione menſium, chloroſi, partu difficili, fœtu mortuo & ſecundinis pellendis, vbi monent quidam, a parte ſuperiori deorſum verſus decidendam eſſe herbam, aut ſi contra fiat, inhibituram potius eſſe menſtrua, quam promoturam; quæ an ita ſe habeant, accuratius adhuc rimandum eſt.

3) Inſuper diureſin adiuuat & in renum vitiis, ictero, hydrope, vtilis, ſed a paucis, habetur; futiliter autem & ſuperſtitioſe dæmonum maleficiis opponitur, neque fatigationem ex itinere præ aliis ſingulariter leuat, neque radix podagram certo delinit, neque ſuccus herbæ venenorum vim efficaciter retundit.

4) Carbonem, quem prope radicem artemiſiæ die S. Iohannis effodere ſolent, & quidam pro radice annoſa & exſucca habent, alii explodunt, alii venerantur. Cæterum vires eius antepilepticæ adhuc dubiæ ſunt, antiloimicæ vero & antimagicæ prorſus ad anilia pertinent deliramenta.

5) *Externe* artemiſia etiam vulneraria ducitur. Adhibetur alias in *decocto*, vel *infuſo*, item creberrime in *balneis* & *pediluuiis* ad leuandam laſſitudinem & placidam a capite reuulſionem perficiendam.

16. CALAMINTHA.

1) Eſt vel *vera montana odorifera*, vel *aruenſis*, *pulegium agreſte* alias dicta, præcipueque mentham qualitate ac effectu reſoluente & carminatiuo imitatur; vnde & vſu ſtomachico & pectorali cum eo conuenit.

2) Quidam autem hanc herbam inter primaria emmenagoga referunt, adeoque potentem pronunciant, vt & in grauidis hæmorrhagiam cieat, atque embryoni interitum maturet & fœtum, ac ſecundinas propellat. Sed plurimi de tali effectu ſilent, nec ſingularem eius vim reſuſcitandorum menſium hodie animaduertunt.

3) Extus non nihil diſcutit tumores, & adhibetur in balneis & fomentis.

17. MATRICARIA.

1) Herba & flores ex partibus ſuis ſalinis & ſulphureo-reſinoſis amaris reſoluunt, attenuant, calefaciunt quoque & tonum intendunt.

2) Peculiares autem eorum dotes iam nomen innuit & ſuffragatur experientia, quod in morbis vterinis, præcipue frigidioribus mucidis, & in menſium imminutione, aut obſtructione tempeſtiue data ſæpe ſanitatem reſtituant. Puerperis quoque adiumento ſunt in lochiis & ſecundinis remanentibus, ac doloribus poſt partum; ſed tamen caute & moderate concedi debent, inprimis vbi æſtus notatur, aut acriores ſpasmi hyſterici adſunt.

3) Sub eadem cautione renum vitiis deſtinari poſſunt, nam diuretica quadam vi impuritates calculoſas ſecum foras educunt, neque inutiles ſunt in primarum regionum debilitate & colica flatulenta; quin & herba lumbricos interimere & ſuccus eius, cum vino abſinthite ſumtus, ad quartanam depellendam conferre *Deckero* prædicatur.

4) Extus adplicita conducit variis ſtaſibus & tumoribus, nodisque mammarum reſoluendis, ac ſpaſmis hyſtericis, colicæ, præcipue vero, vt permulti laudant, doloribus capitis, vertigini, itemque odontalgiæ mitigandis.

5) Proſtant eius *aqua*, *extractum*, *ſyrupus*, *oleum*, quanquam etiam in *decocto*, vel *infuſo* poſſit adhiberi.

18. MELISSA.

1) Gratiſſimo, temperato oleo & volatilibus ſulphureis particulis fœta ſuauitatem citream quodammodo redolet, virtutibus reſoluentibus, neruinis quaſique analepticis imbuta.

2) Inprimis capiti, ventriculo & vtero amica cenſetur, tantamque præſtantiæ opinionem habet, vt *Paracelſus* aliique arcanum ad vitam longam indè peti, *Bagliuius* vero moderate & ſincere multa in hac herba,

vt

vt in aliis ad citri naturam accedentibus, latere doceat.

3) Vtique enim agens internum excitat & supra dictarum præcipue partium atoniam corrigit, sigillatim stillicidio seri putridi ex vtero sæpe feliciter medetur, indeque impeditam fœcunditatem restituit, grauidas debiles & abortus periculo expositas non nihil reficit, colicos denique ac nothos post partum dolores subinde ad quietem perducere comperitur.

4) Alii præterea melissam laudant in apoplexia, epilepsia, memoriæ & visus imbecillitate, palpitatione cordis, asthmate, melancholia hypochondriaca, vbi diu in *puluere*, vel *infuso* datur; *Conf. Riuerius*, & quauis mœstitia, sterilitate quacunque, virulentis ictibus & morsibus, ac pestilentibus febribus. Sed effecit adhuc experimentorum immaturitas, vt exoptatos fructus ab vsu huius herbæ in talibus morbis profligandis pauciſſimi colligere potuerint.

5) Neque propriam & singularem vim emmenagogam exercet, sed generali magis facultate impedimenta mucido-serosa, vel nimiam laxitatem remouet, & sic menses prodituros, aut iam fluentes, blando stimulo incitat.

6) *Externe* pariter discutit & roborat, ideoque in balneis, pediluuiis, cataplasmate vtilis, licet dubium sit, eam sic arthriticos dolores, cordis palpitationem, strumas, ictus apum, vesparum, scorpionum sanare. Cæterum herba floribus efficacior est.

7) Potest in *decocto*, vel *infuso* præscribi, nec spernenda est *aqua*, quæ si *cum vino*, additis citri corticibus, destilletur & saccharo pro lubitu edulcoretur, cuiusuis aquæ vitæ & balsami embryonum vice fungi posse existimatur. Prostant & *conserua*, *syrupus*, *essentia*, quæ per spiritum proprium paratur, in primis ex floribus melissæ *Turcicæ*, & *oleum destillatum*. *Le Febure* quoque *primum ens melissæ*, seu *quintam* eius *essentiam*, duce *Paracelso*, confecit, quam in vetula

renouaſſe vires & iuuentutem, nouosque dentes, capillos & fluxum menſtruum reuocaſſe, itemque gallo decrepito iuuenilem vigorem, pennas, vnguesque nouos reddidiſſe narrat. Sed dolendum eſt, tantum arcanum, ſiquidem veriſſimum habetur, cum auctore intercidiſſe.

19. SABINA.

1) Duplex habetur foliis vel tamariſci vel cupreſſi, ac multis, quæ reſoluente acri diuretica & humores grauiter *verſus vterum* impellente poteſtate inſtructa ſunt, præpollet; ideoque, vt infame ac deteſtabile ſcortorum refugium eſt, ſic prudenter & moderate adhiberi conuenit.

2) Quod ſi enim ſcopo emmenagogo detur, antequam viæ & humores rite præparati ſint, ac opportunum tempus inciderit, aut vbi magnus ſanguinis æſtus & commotio, teneritudo, ac debilitas ſubiecti coniuncta ſunt; tum ſæpe grauiorem noxam adfert, quam verum emolumentum.

3) Eadem cautiſſime molam geſtantibus & præcipue parturientibus ad fœtum, aut ſecundinas, aut lochia promouenda porrigi debet, ac potius, quia longe tutiora & præſtantiora ad manus ſunt, omitti.

4) Præter talem vſum tum extus inſperſa, tum intra parce ſumta, laudatur ad vlcera ſœtida & verminoſa, item ad hydropem, icterum, arthritidem, aſthma, ſanguinem congrumatum, calculum, lienis vitia, colicam, ſed incertius, præcipue vero ad vermem vmbilicalem, quem vulgus ſæpe in infantibus tabidis arguit, enecandum, vbi puluerem ſabinæ & ſis vitrum Venetum tuſum, ac melli immixtum putamini nucis iuglandis dimidio imponi atque hoc vmbilico adplicari complures Medici præcipiunt; quippe vermis eſca mellis allectus prodire & a puluere, ei inuoluto, interfici traditur.

5) Externe a quibusdam in ſubſidium vocatur ad vlcera, vti dictum eſt, itemque odontalgiam verminoſam, poda-

podagricos dolores, eryſipelas, teneſmum, maculas faciei; ſed cum pleraque hæc minus digne adhuc experta ſint, circumſpectionem ſuademus. Cæterum adhibetur in *decocto*, *ſuffitu*, *eſſentia*, *oleo deſtillato*, quod, vti & *oleum ſabinæ crocinum Mynſichti*, potentiſſimum eſt, & niſi parciſſime ac caute præſcribatur, facile nociturum.

20. FLORES CHEIRI, ſeu VIOLÆ LVTEÆ.

1) In cordialium familiam vulgo referuntur, licet non tam vere cardiaca, quam magis reſoluente & roborante facultate eos inſtructos eſſe deprehendamus.

2) Præter ſalinas ſulphureis & volatilibus particulis ſcatent, indeque etiam tum calefacere, tum caput grauitate quadam tentare obſeruantur, in his croco non plane abſimiles. Pro ſpecialibus autem vterinis & emmenagogis a multis hodie non habentur; etenim generali magis impulſu humores adficiunt, illoque ſolum iuſto tempore propendenti eo naturæ occaſionem præbere poſſunt, menſes, fœtum, ſecundinas aut lochialem ſanguinem expellendi. Cæterum quia commouent, vtique conſultum eſt, ipſos nec grauidis nec vera menſium obſtructione laborantibus temere indulgere.

3) Ampliorem vſum nonnulli his floribus adſignant in apoplexia, paralyſi, aliisque capitis malis, ſed inconuenienter, monente *Ettmüllero*; porro in cordis palpitatione, ictero, peſtilentia præcauenda.

4) Sed verius *externe* tenerioribus & neruoſis partibus debilitatis roborante ac reſoluente ſua vi ſuccurrunt, quanquam *oleum cheirinum infuſum* tot laudibus indignum ſit, quot vulgo ipſi tribuuntur.

5) Vſurpantur in *infuſo* cum aliis ad menſium vitia. Proſtant & *aqua deſtillata*, *conſerua*, *acetum*.

21. SCHOENANTHI FLORES.

1) Exſurgunte iunco odorato, quo cameli, præcipue in Arabia paſci traduntur; vnde planta quoque ſtramen, ſeu fœnum camelorum audit, & reſoluendi, ca-

lefaciendi ac roborandi facultate pollent, a particulis, queis turgent, reſinoſis, acribus & terreis proficiſcente.

2) Ex hac qualitate ſpecialis eorum vſus tentatus legitur in obſtructione viſcerum, vrinæ retentione, menſium & ſecundinarum promotione, tum intus, tum externe in *cataplaſmate* vel *peſſariis*; præterea in doloribus poſt partum, flatulentia, vomitu, ſingultu, fœtore anhelitus.

3) Sed pauca harum virtutum conſtant experimenta, & cauendum eſt, ne, vbi acrior æſtus aut ſubiecta valde tenera obueniunt, largiuſcule offerantur, alioquin caloris & motuum vehementiorum augmentum allaturi; vnde frigidis, cachecticis, chloroticis morbis magis conuenientes, in phthiſi autem, ſputo ſanguinis, dyſenteria præcipue maligna, quibus hos flores nonnulli deſtinare ſuadent, ſuſpecti videntur. Neque venenorum vim infringere poſſunt, etſi theriacæ aliisque antidotis eos adiungi notum ſit.

4) *Externe* roborant caput, vterum aliasque partes debilitatas in *fomento* vel *balneo*. *Puluerem* ad fungoſam carnem vulnerum, præcipue cerebri, abſumendam laudat *Marchette*. *Interne* cum aliis præſcribuntur in *infuſo*.

22. CICERES RVBRI.

1) *Albi* & *nigri* quoque coluntur, ſed *rubros* præcipue aliqui Medici expetunt ob discutientem, aperientem & diureticam, vt putant, qualitatem; vnde & in compoſitiones officinales *ſyrupi de althæa Fernelii* & *decocti Foreſti* contra calculum receptos eosdem habemus.

2) Speciatim hinc manauit eorum commendatio in renum vitiis, iſchuria, calculo, morbillis, vbi iuſculum eorum laudant, partu iuuando, menſibus & lochiis ciendis, lacte augendo & *externi* in genitalium tumoribus.

3) At

3) At magis ex opinione, quam experientia, tanta laudum ſeges effloruiſſe videtur, namque hodie adeo ſterilis eſt, vt manifeſto quidem incraſſantem & paullum obſtruentem materiam, ſed frequentiſſime nihil ſingulare, aut efficax ad medendum in ciceribus reperiamus.

4) Quapropter vti iam olim inter plebeios & viliſſimos cibos relati ſunt, ſic nunc quoque certiore effectu diæteticum præbent remedium, quo famem depellere poſſunt valentes agricolæ atque operarii.

23. CINNAMOMVM.

1) Genuinum & Zeylanicum eſt cortex intermedius, primum, vbi reſcinditur, albicans & fere inodorus, deinde ſolis radiis in eum colorem, fragrantiam & contortarum cannularum formam, qua nobis venditur, redactus. Decerpitur autem ex arbore quadam caſſiæ in inſulis Floris & præcipue Zeylania, vbi lætiſſimus & copioſiſſimus eius eſt prouentus. Reliqua cinnamomi genera in aliis Indiorum regionibus obuia, huius gratiam & bonitatem non adæquant, neque in officinis adeo vſitata ſunt, quamquam etiam in vero cinnamomo periodicam vigoris diuerſitatem nonnunquam animaduertiſſe ſibi viſus ſit *Ludouici in A. N. C.*

2) Eximiam ſpirat ſuauitatem, eademque non minus, quam reſoluendi, roborandi & putredinem inhibendi dotibus egregiis plurima alia aromata antecellit, & præcipue ob analepticam facultatem exſplendeſcit.

3) Frequentiſſimum ergo & excellens præſidium eſt, ad veram atoniam, virium imbecillitatem, motuum neceſſariorum languorem & defectum, vbicunque obueniant, lipothymiam, ſyncopen, paralyſin, hemiplexiam leuanda, porro ad varios primarum viarum morbos, fœtorem anhelitus, nauſeam, ructus, diarrhœam, hypercatharſin, colicam flatulentam, item ad pallidos virginum colores & impediorem menſium ſucceſſum.

4) In-

4) Inprimis autem nobilitatum exſiſtit in grauidarum malis & partu difficili; ſed multæ hic eo abutuntur, & grauiorem ſibi noxam inde contrahunt. Etenim vt alias largius ſumtum oleo ſuo aromatico humores intenſius exagitat, variosque ancipites motus & palpitationem cordis infert; ſic, niſi moderatius capiatur, prægnantibus & parturientibus eo facilius nocere poſſe diluceſcit.

5) Commendabilem quoque virtutem habere quibusdam videtur ad internam ſanguinis putredinem refrenandam, roborandam viſus aciem & memoriam, venena ictusque virulentos ſubigendos, atque auram peſtilentem corrigendam. At hæc magis ambigua & inexperta ſunt. Generali effectu fortaſſe æque heic proderit, ac in menſibus promouendis, nam pro ſpecifico emmenagogo non poteſt haberi.

6) Præſentiore fructu *extus* ſupra laudatas vires oſtendit, ac merito quidem *oleo* eius *deſtillato* nihil præſtantius & efficacius ad progreſſum diri ſphaceli remorandum exiſtimatur. Id vnum dolendum eſt, ingens pretium obſtare, quo minus plerosque miſeros hoc ſubſidio retrahere ab interitu, aut ſaltem reficere poſſimus.

7) Proſtant præter oleum notiſſima *aqua deſtillata*, *eſſentia*, cuius paucæ guttæ in aquam ſimplicem infuſæ eam protinus gratam & analepticam efficiunt, *ſyrupus de canela*.

24. HEPAR ANGVILLÆ.

1) Hoc pro piſcis magnitudine ſatis grande adparet, cæterum ſi cum felle leniter exſiccatum detur, pulchrum & fere incomparabile ſpecificum in partu difficili ſuggerit, vbi dolores & conatus ad enitendum languent, ac deficiunt. Cum autem præſenter pellit, tum antequam porrigatur, certos nos eſſe oportet de recto ſœtus ſitu ac viarum debita conſtitutione. *Conf. tab. med. de adfectibus parientium.*

2) In-

2) Incertius autem hoc iecur ad nyctalopiam laudatur. At *pellis*, seu *cutis anguillæ* in suffitu sæpe leuat illos, qui hæmorrhoidum cœcarum dolore, aut procidentia vteri laborant.

25. CROCVS MARTIS ANTIMONIALIS STAHLII.

1) Præferendus hic est fere omnibus aliis ex marte vulgo propositis pulueribus, aut crocis, partim ob maiorem teneritudinem, qua *Zwelferianum* æquat, partim etiam, quia facilius & minori pretio conficitur.

2) Fit autem ex scoriis primis reguli antimonii martialis in aëre sensim dilapsis, nempe subtiliore harum parte elutriata & cum triplo nitri detonata. Sic post edulcorationem puluis habetur, qui dilutissimæ rubricæ colorem repræsentat.

3) Sicuti vero omnia e ferro aut chalybe composita medicamenta proprie neque aperiunt, neque abstergunt (exceptis magis iis tincturis salsis, paucissima ferri grana continentibus, quæ per leuia acida succi pomorum Borsdorfianorum, cytri, cydoniorum, tartari, aceti parantur) sed euidentius adstringunt; ita & eumdem genium adhuc retinuit hic crocus, quem tamen, cum leniter operatur & vi sua tonica partes laxas stringendo, factas in hisce stagnationes humorum subinde expedit, pari aut maiori iure, quam alios, *aperitiuum* nuncupare possumus.

4) Cæterum etsi chloroticas subleuare & opportune datus menses in illis promouere queat; tamen huic scopo, quia efficaciora suppetunt, ipsum non destinamus, neque aliis suademus. Vtilior est in hæmorrhagiis, præcipue vteri & hæmorrhoidum, turbis lochialibus puerperarum & spastica earum flatulentia, itemque in atrophia, residuis febrium intermittentium motibus erroneis, aliisque morbis exeuntibus, qui toni roborationem postulant.

5) Plura de chalybe eiusque præparatis alibi dicemus.

26. SPLEN BOVIS CASTRATI.

1) Maximopere celebratur ad obſtructiones & duritiem lienis, ſed tantum valere, quantum ab aliis extollitur, plerique hodie dubitant.

2) *Paracelſus* decoctum huius lienis, minutim conciſi, bibendum commendauit, tanquam ſingulare experimentum ad obſtructos menſes & natam inde chloroſin; ſed nec id vota implere, dolendum eſt.

3) Cæterum & eſſentiæ & deſtillata, quæ certe vaniſſima ſunt, hinc parari docentur.

TABVLA XI.

DE EXPVLSIONE RERVM TOTO GENERE PRAETERNATVRALIVM.

I. *DEFINITIO.*

Hæc eſt particularis euacuationis ſpecies, qua natura res plane inutiles, aduerſas, immo noxias, e certis corporis ſui regionibus proſcribere adlaborat. Cuius generis ſunt præcipue flatus, vermes, calculi, fœtus mortuus, vel viuus, mola, falſus conceptus, ſecundinæ.

II. *DIFFERENTIA.*

Actus hic therapeuticus eſt

1. vel *ſpontaneus*, id eſt, propria naturæ induſtria contingens, quod toto die in ſpontanea multorum ægrorum reſtitutione, e. g. calculi, vermium, fœtus mortui exterminatione cernimus. Quin idem ex ſtupenda illa naturæ *αὐτοκρατίᾳ* cultriuororum aliorumque ſatis ſuperque edocemur.

2. Vel

2. Vel *artificialis*, qui peragitur
   1) auxiliis *pharmaceuticis*, quæ ſunt vel
      a) *interna*, vti ſunt:
         α) contra flatus *carminatiua.*
         β) Contra vermes *anthelmintica.*
         γ) Contra calculos *lithontriptica.*
         δ) Ad fœtus vel viui, vel mortui, molarum & ſecundinarum excluſionem eadem remedia, quæ menſibus & lochiis prouocandis ordinantur.
      b) Vel *externa*, e. g.
         α) contra flatulentiam *clyſteres* carminatiui & ſtimulantes, *fomenta* carminatiua, *linimenta*, *ſcuta ſtomachalia*, *ſacculi*, *balſama.*
         β) Contra vermes *cataplasmata* ex radicibus & herbis amaris parata, *linimenta* ex oleo abſinthii, Zedoariæ, colocynthidis, *vnguentum de arthanita fel tauri*, *clyſteres* ex lacte & *ſuppoſitoria* anthelmintica.
   2) *Operationibus chirurgicis*, vti *lithotomia*, *embryulcia*, *extractione rerum peregrinarum*, de quibus *tabulæ noſtræ chirurgicæ* conſuli poſſunt.

III. *INDICANTIA.*

1. Certitudo præſentiæ eiusmodi rerum naturali œconomiæ plane peregrinarum.
2. Naturæ ad earum expulſionem procliuitas & propenſio.
3. *Viarum* plana atque facilis diſpoſitio.
4. Virium non omnimoda proſtratio.

IV. *INDICATA.*

1. *Carminatiua.*
   1) *Vegetabilia.*
      a) *Simplicia.*

Radix Acori	Caryophyllatæ
Angelicæ	Coſti dulcis
Ari	Cyperi longi, rotundi
Carlinæ	

Galangæ
Gentianæ rubræ
Helenii
Imperatoriæ
Leuiſtici
Mei
Oſtrutii
Pimpinellæ albæ
Vincetoxici
Zedoariæ

Herba Abrotani
Abſinthii
Calaminthæ
Cardui benedicti
Chamomillæ vulgaris Romanæ
Centaurii minoris
Cochleariæ
Hormini
Maioranæ
Meliſſæ
Menthæ
Origani
Rorismarini
Rutæ

Flores Anthos
Centaurii minoris
Chamomillæ
Schœnanthos

Semen Anethi
Aniſi
Apii
Carui
Citri
Cumini
Dauci
Nigellæ
Petroſelini
Sileris montani

Fructus Baccæ Lauri
Iuniperi
Caryophylli
Cinnamomum
Grocus orientalis
Macis
Miua & panis cydoniorum
Nux moſchata
Piper
Zingiber

Cort. Aurantiorum
Citri.

b) *Compoſita & præparata*

Aqua Carminatiua
Chammoillæ
Cinnamomi
Fœniculi
Meliſſæ

Condit. Acori
Carnis citri

Conſerua Meliſſæ
Pulpæ citri

Eſſentia Alexipharmaca
Carminatiua
Cinnamomi
Corticum aurant.

Extractum Acori

Oleum Carminatiuum deſtill. Anethi
Carui
Cumini
Fœniculi
Meliſſæ

Pilu-

Pilulæ *Beccheri*
Balſamicæ *Stahlii*
Syrupus acetoſitatis citri
Cinnamomi
Corticum aurant. citri.
Vinum cum abſinthio & enula mixtum.
2) *Animalia.*
Caſtoreum, eius medulla tinctura, & oleum coctum in clyſteribus.
[illegible]
Zibethum.
3) *Mineralia.*
Aurum fulminans
Antimonii clyſſus ſulphuratus
Mixtura ſimplex
Nitri ſpiritus dulcis
Salis ſpiritus dulcis.

Externe.
Emplaſtrum de baccis lauri
de cruſta panis
ceratum ſantalinum
ſtomachale e tacamahaca.

2. *Anthelmintica*, quæ in III. claſſes vulgo diuiduntur.
1) Vermes *ſaturantia*,
a) *Vegetabilia*, vt: Mel, vuæ paſſæ.
b) *Animalia*, vt: Lac.
2) Vermes *enecantia*. Huc ſpectant.
a) plurima amara, tam vegetabilia, quam mineralia & acria.
b) Mercurialia.
c) Salium varia genera.

Ex *vegetabilibus* ſunt potiſſimum
Radix Angelicæ
Ariſtolochiæ
Carlinæ
Caryophyllatæ
Dictamni albi
Galangæ
Gentianæ rubræ
Graminis
Helenii
Imperatoriæ
Lapathi acuti
Pimpinellæ albæ
Raphani ruſticani & vulgaris nigri
Rhabarbari
Vincetoxici
Zedoariæ
Herba Abrotani
Abſinthii

Cardui benedicti
Centaurii minoris
Cochleariæ
Fumariæ
Naſturtii
Rutæ
Scordii
Tanaceti
Flores harum herbarum.
Folia perſicorum.
Semen Aurantiorum
Cinæ
Citri
Naſturtii
Sinapis
Gummi Aloës
Galbanum
Myrrhæ
Sagapenum
Aromata Caryophylli aromatici
Piper
Zingiber
Allium
Cepæ
Muſcus corallinus
Porrum
Squilla.

Præparata & compoſita.

Cornu cerui vſtum
Liquor terræ foliatæ tartari
Mercurius dulcis
Sal Anglicanum
Spiritus & ſalia volatilia
Tinctura antimonii acris.

3) Vermes *expellentia.*

a) *Vegetabilia.*

Radix Allii
Dictamni
Ellebori nigri
Gentianæ rubræ
Rhabarbari
Turpethi
Zedoariæ
Herba Abſinthii
Agrimoniæ
Cardui benedicti
Centaurii minoris
Rutæ
Scordii
Flores Hyperici
Perſicorum
Tanaceti
Semen Portulacæ
Santonici
Succus Dacrydii
Cortex Aurantiorum
Chinæ chinæ
Muſcus corallinus ʒj.
Species Diaturbith cum Rhabarbaro.

b) *Animalia.*

Cornu Cerui vſtum, eiusque ſpiritus volatilis
Lumbrici ex inteſtinis propulſi, in puluerem redacti, ſed inepti, vel ob dubium effectum reſpuendi.
Tauri fel interne & externe.

c) *Mine-*

c) *Mineralia.*
Acidulæ naturales
Aethiops niger ad gr. xv.
Aqua exſtinctionis metallorum
Aurum fulminans
Chalybs præp. ad gr. iv - v.
Mercurius crudus in aqua decoctus, cuius aquæ ℥j. - iv. vel cum ſaccharo in puluerem tritus.
- dulcis ter ſublimatus ℈j.
- Sal Vitrioli ℈ß - j.
Vitrioli lunæ gr. iij.
martis gr. iv - vj.
ſolis gr. ij.

Externe Cataplaſmata ex radicibus & herbis ſupra recenſitis parata.
Linimenta ex oleis abſinthii amygdalarum amararum, zedoariæ & aloë parata.
Vnguentum de arthanita.

3. *Lithontriptica. vid. tab. de diureſi.*

V. *MODVS OPERANDI.*

1. Si vmquam in re alia, certe in hoc negotio naturæ energiam extra omne dubium poſitam cernimus. Dum enim illa eiusmodi res alienas, in corpore ſuo hoſpitantes, in ſe autem ſibi corporisque ſui mixtioni plane aduerſas atque heterogeneas, ſentit, non poteſt non in earumdem exturbationem diligenti ſtudio incumbere. Quare nonnumquam ſpasmodicos circa hoſpitium talium rerum conatus, immo generaliores etiam quandoque euacuationes exercet, iamque motus inſtituit vomibundos, iam alios alui liberationi dicatos; idque effectu non plane vacuo vel ſterili. Quem enim latet, calculos e. g. qualescumque, modo viarum magnitudini quodam modo reſpondentes, nec non ipſos fœtus, per vias ordinarias a natura expelli & poſſe & ſolere? Vt iam nil dicamus de ſpontanea illa cultrorum deuoratorum, vel acicularum deglutitarum excretione, quæ doctiſſimos viros habet admiratores.

2. Vbi vero talis naturæ energia deficit, in quibusdam ſubiectis, ibi ſociam ei atque exhortatricem Medicus manum porrigat neceſſe eſt. Sic exhibemus vermes enecantia

cantia pharmaca, quorum deinde eiectionem ipſa, hoc modo adiuta, natura promouere ſolet. Sic euacuantia propinamus, vt natura de expellendo calculo officii ſui hoc ipſe memor reddatur Sic denique mortuum eximimus fœtum, vt ſuperſedentem huic operi animoque linquentem naturam denuo in integrum reſtituamus.

3. Ad remedia *carminatiua* quod attinet, illa quidem a plerisque alterantibus adnumerantur, quia deficiens robur & motum tonicum ventriculi atque inteſtinorum relaxatum tantum reſtituere exiſtimant; nos autem vi vocis in numerum euacuantium ea referimus, nam a *carminando*, hecheln, propterea denominationem habent, quia flatus, inteſtinorum tractum turbantes, diducunt, diſſecant, diſſipant & expellunt. Quamquam alienus plane a nobis ſit plumbeus ille conceptus, ac ſi carminatiua eodem modo disiiciant & explodant flatus, quo puluis pyrius globulos plumbeos e bombarda emittit atque explodit.

4. Habent autem illa diuerſum operandi modum, prout cauſſæ discrepant. Quædam concoctionem promouendo & excretiones aluinas facilitando exhalationes flatulentas præoccupant. Alia immoderatas ſpasmodicas commotiones, flatus in inteſtinis coarctantes, immo ad ſuperiora reſtringentes, multaque pathemata anxia cardialgica inducentes, corrigunt. Hinc temperantia, nitroſa, antiſpaſtica carminatiuis merito accenſentur, quia inquietudines in abdomine temperant & ſedant. Clysmata quoque lenientia, emollientia, aluum ſtrictam expedientia, turbas flatulentas componunt.

5. Denique quæ carminatiua proprie ad tonum ventriculi & inteſtinorum roborandum ordinantur, ſunt abſtergentia, incidentia, abſorbentia, amara, reſoluentia, colliquantia & laxantia, item ſtomachica, aromatica & tonica, quæ partim impuritates mucidas, biliosas, primas vias debilitantes & neceſſariam periſtalſin perturban-

tes,

tes, abſtergunt & abluunt, partim easdem eliminant, atque educunt, atque his modis ad iuſtum tonum harum partium reſtituendum naturam inuitant.

6. *Anthelminticorum* tres conſtituimus claſſes, quarum prima continet vermes *ſaturantia*; quæ quidem remedia dulcia, ſaccharata, pinguia & nutrientia eos magis alerent atque ſuſtentarent, niſi cum aliis remediis enecantibus & expellentibus coniungerentur. Hinc illa non ordinamus eum in finem, vt ad crepaturam vsque, ſiue mortiferam ſatietatem eadem ingerant, ſed vt amara enecantia cum his dulcibus & pinguibus inuoluta & obducta eo magis adpetant, & ita mortem comedant Hæc eſt cauſſa, cur clyſteres ex lacte parati adplicentur, quo vermes ad inferiora alliciantur & educantur.

7. Vermes *enecantia* acria, amara, ſalina teneram, ex tenui mucilagine compoſitam, texturam vermium adficiunt, colliquant, & ita vellicant atque vexant, vt debilitentur, immo plane deſtruantur.

8. *Euacuantia* per principia ſua, tam acria, ſalina, quam ſulphurea & reſinoſa vermes non ſolum interficiunt, ſed etiam excretionem alui potenter excitant.

9. *Mercurialia* vti per colliquantem qualitatem, ſiue a principio ſalino, ſiue a ſulphureo alioue illa proueniat, humores mucidos ſeroſo-lymphales penetrant & diſſoluunt, ita per illa vermes diſcerpti & diffiati euacuantur.

10. Quæ *externe* adhibentur, e. g. amara ex abſinthio, zedoaria, colocynthide, aloë parata & abdomini adplicata, non aliter quam *cathartica* operantur.

VI. *MODVS PROPINANDI.*

vbi ratio habenda

1. *Temporis*, quo natura ipſa opem deſiderat, quod integram adhuc virium oſtendit panopliam. Oſſicula, ſpinæ, aculei, tela, globuli, plumbei & quæcumque alia quantocius ſunt extrahenda, ne inflammatio accedat, quæ extractionem impedit. *Conf. tab. chirurgic. de extractione rerum peregrinarum.*

2. *Loci*, quo res eiusmodi peregrinæ hoſpitantur, an v. g. calculus ſit in renibus, an in veſica; num fœtus in ipſo vtero, an vero, quod ſæpius contingit, extra eumdem iam dum ſit p[illegible]lirus. *Confer. tab. medic. de calculo & tab. chirurgic. de lithotomia & embryulcia.*
3. *Symptomatum* aliorumue accidentium,
   1) vel *præſentium* ab inhæſione eiusmodi rerum pendentium, vel
   2) *imminentium*, ab operatione vel medicatione exſpectandorum.

VII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Quo maturius rei peregrinæ extractio fit, eo promtius ſymptomata ceſſare ſolent.
2. Vbi vero iam per longius temporis ſpatium eadem in loco ſubſiſtit, ibi non poſſunt non grauiora ſymptomata, ob firmiores redditas naturæ circa hoſtilem rem ideas, etiam materia ablata durare.
3. Stupendam experientia docet in non nullis eſſe naturæ ſenſibilitatem pariter & agendi promtitudinem; vbi v. g. per globulum auribus intruſum mox diros epilepticos inſultus obortos eſſe legimus.
4. Sed iucunda eſt viſu cultriuororum ſpontanea reſtitutio.
5. Spec[illegible] aliora circa flatuum, vermium, calculorum, ſecundinarum, expulſionem tabulæ noſtræ Medico-Practicæ docent.
6. ABROTANVM.
   1) Datur vel *mas*, ſeu *anguſtifolium maius*, quod vſitatius eſt, vel *fœmina* foliis teretibus, ſeu *herba cupreſſus* aut *chamæcyperiſſus*. Vtraque in hortis apud nos coluntur, & primum quidem, licet odorem fere camphoratum ſpiret, amaritudine & reliquis facultatibus cum abſinthio maxime conuenire exiſtimatur.
   2) Proſtant inde eius commendationes in aſthmate humido, viſcerum obſtructione, indeque ortis vitiis ſeroſo-lymphalibus, ictero, quartana & præcipue vermibus; porro cum diureticum ſit, cum ſale nitri iunctum iſchu-

iſchuriam & calculi dolores leuaſſe legitur. Neque indignum eſt, vt, quid in vterinis morbis, præſertim fluore albo, valeat, vberius exploretur; ſaltem *Ettmüllerus* hanc herbam plus in receſſu habere putat, quam vulgo notum eſt, doletque, eam, cum veteres frequentiſſime dederint, hodie rarius in vſum vocari.

3) Dubie laudatur in febribus malignis, epilepſia & erubeſcenda plane ſuperſtitione ad libidinis irritamentum, aut faſcini ſolutionem, aut ad lemures fugandos puluinari ſupponitur. Certius *ſemen* huius herbæ lumbricos necabit.

4) Externe in vſu eſt ad regenerationem atque incrementum capillorum. Cæterum adhiberi poteſt in *infuſo, decocto, extracto, oleo infuſo & deſtillato.*

7. PORRVM.

1) Culinis notiſſimum eſt, tam *capitatum latifolium*, quam *ſchœno praſſum*, ſeu *porrum iunceum* foliis cauis tenuioribus, & cum odore, ſapore & qualitate cepas & allium, de quibus ſupra egimus, æmulatur, non attinet hic multa de viribus eius ſubiungi.

2) Laudatur alias ad aſthma & tuſſim humidam tenacem, inprimis ad claram vocem obtinendam, porro ad ſterilitatem auferendam, ſed incerte, & extus ad hæmorrhagiam narium, morſus venenatos & vlcera. Officit autem, interne datum, nephriticis, non æque oculis, vt fert vulgaris opinio.

8. TANACETVM.

1) Herba & flores & ſemen in vſu ſunt, atque ſapore ſubamaro penetrant & odore forti acidas particulas cum oleoſis & ſulphureis tenuibus vaporoſis coniunctas ſibi ineſſe, non plane obſcure ſignificant; ſic ad reſoluendum & roborandum, ſpeciatim vero ad exſtinguendos vermes efficacia reperiuntur.

2) Scopo itaque anthelmintico planta hæc tum intro ſumi, tum extus adplicari, præcipue *oleum* eius *deſtillatum*, poteſt, dum modo ſubiecta non plane tenera ſint, nec

ad commotiones orgaſticas procliuia; vbi parce aliis admiſcendum eſt.

3) Apprime quoque conuenit, non ſecus ac *matricaria*, in frigidis flatulentis vteri morbis, colica mucida flatulenta, & a quibusdam celebratur ad calculum, menſes & fœtum mortuum pellendum, itemque in hydrope & febre quotidiana, id quod experientiæ vlteriori commendari meretur.

4) Probatior eſt effectus eius *externus* in tumoribus frigidis, œdemate pedum, quin etiam in paralyſi & aridura artuum mirabilis, & *ſuccus* in fiſſuris manuum & vlceribus antiquis vtilis dicitur.

5) *Semen* in locum *veri ſantonici* ordinarie ſubſtituitur, vt *Ettmüllerus* monet, nec tantum ad inteſtinorum ſed & præcordiorum vermes conducit ex ſententia *Sennerti*.

6) Vſurpantur *infuſum*, *aqua deſtillata*, *eſſentia*, *oleum deſtillatum*.

9. SEMEN SANTONICI ſeu CINÆ.

1) Olim Alexandria delatum e peregrino abſinthio aut abrotano colligi credebatur, nunc e Gallia ad nos peruenit, quod an genuinum ſit, an vero ex tanaceto deſumtum, disputant auctores.

2) Eſt autem vulgare hoc ſemen ſatis acre & amarum, vnde non modo ad lumbricos interficiendos confert, ſed & vi ſua reſoluente & diuretica chloroticas itemque ſtomacho imbecilli, ictero & morbis frigidis ſeroſis laborantes nonnihil alleuare poteſt.

3) *Zwingerus* obſeruaſſe ſibi viſus eſt, pueros, qui non verminabant, ab vſu huius ſeminis male habuiſſe, & cauendum vtique eſt, ne nimis larga doſi teneris infantibus obtrudatur.

4) Datur vel *decoctum* cum *lacte*, vel *melli immerſum*, vel in *confectione*, ac niſi primis diebus vermes prodeant, ad expellendos illos laxans ſubiungere conueniet.

10. Mvs-

10. MVSCVS CORALLINVS.

1) Non ſolum coralliis, ſed & aliis conchis marinis, & rupibus adnaſci traditur, & ob virtutem præcipue anthelminticam plurimis celebratur.

2) Præterea, cum ex ſubtilibus terreo ſalinis particulis, quas habet, qualitatem abſorbentem, temperantem, leniter abſtergentem & ſubadſtrictoriam hauſerit, nonnulli hodie ipſum commendant in immodico alui profluuio, diarrhœa infantum acri torminoſa & confuſiones minante, itemque in dyſenteria.

11. AGRIMONIA.

1) Reſoluit hæc aliquantum & ſubadſtringit, nec anthelminticis adnumerari poteſt, niſi forte ex eo, quod in vlceribus verminoſis curandis præſtans celebretur.

2) Nobilitata eſt, præcipue in morbis iecinoris, nam ſingulare hepaticum audit, oppilatione eiusdem, ictero, fluxu hepatico, cachexia; deinde & vtilis eſſe legitur in catarrhis pectoris, febribus chronicis, dyſenteria, fluore albo, gonorrhœa, calculo, inprimisque in exulceratione renum, mictu cruento & vrinæ incontinentia; quamquam ſalutares haſce vires nec dum abunde expertas eſſe doleamus.

3) Non tamen pœnitebit huius aliorumque ſimplicium indolem paullo ſolertius examinare, præſertim cum aquam ex hac herba & *taraxaco*, congruenter deſtillatam, in multis tumores pedum frigidos & œdemata hydropica per diaphoreſin & diureſin ſuſtuliſſe compererimus.

4) *Externe* proficit in vlceribus putridis, & vt aliqui volunt, in inflammatione teſtium & ani, ſcabie, ſtatu pediculoſo; iuſto autem magnificentius ad gangrænam & cancrum efferri videtur. Neque facile credi poteſt, capiti ſuppoſitam perpetuum fere ſomnum inducere, vel a *cataplaſmate* ex eo clauos pedum abſumi, vel ab eius geſtamine ſtrumas diſcuti.

5) Vſurpantur agrimoniæ *decoctum*, *aqua deſtillata*, *ſyrupus*, *extractum*.

12. CHALYBS PRÆPARATA.

1) Hæc fit ex limatura crebrius aceto acri madefacienda, exſiccanda, terenda. Supplet autem croci martis ſimplicis vicem & adhiberi quidem cum fructu poteſt loco aliorum operoſius ex ferro eliciendorum puluerum, ſed ad ſcopum anthelminticum rarius & incommode vſurpatur.

2) Cum ſemel de chalybe mentio iniecta ſit, iuuat de martialium medicamentorum virtutibus, quas hodierni plerique chymiatri immenſis pene encomiis concelebrant, paullo plura attexere.

3) Tribuuntur ferro aperiendi, abſorbendi, adſtringendi, alibi & fundendi, colliquandi facultates; quæ cum pugnantia & contraria eſſe viderentur, varia diſſidia & ſpeculationes pepererunt; at ſi Chymiam & manifeſtius in ſenſus incurrentem experientiam conſulere libeat, vix aliter fieri poteſt, quin adſtrictoria qualitas, gradum tantum in diuerſis ferri productis diſcrepans, marti præcipue adiudicetur.

4) Hanc enim & principia ferri, nempe abundans terra limoſa, ſtyptica, acidis quibusdam particulis interſperſa, ac numero multis, ſed mole paucis inflammabilibus atomis coniuncta, & ſapor omnium martialium auſterus ac ponticus, & denique effectus in corpore humano plerumque alui adſtrictorius, cum pulſu citatiore, colore faciei rubicundo demonſtrant.

5) Cum itaque ferrum potiſſimum partes ſolidas adficiat, easque ſtringendo ſolum craſſos ſtagnantes humores interdum promoueat, tum ſane magna cautio adhibenda eſt, ne ipſum in iis caſibus, quibus adſtringentia ominoſa & inimica ſunt, temere præbeamus, idque eo magis, quo frequentius eius vſus ad præſtandam apertionem commendatur.

6) Certe ſi abſorbendo ſcopo propinetur (vbi omnino ad diſperſum per humores acidum fortuito arripiendum & inuoluendum ſecundum vulgarem opinionem largius dari debet) ſæpe non mediocre detrimentum infert

fert v. g. hypochondriacis, lienosis, melancholicis & scorbuticis, quos præsertim teneriores in anxietatem, contractiones spasticas & tormina coniicit, tantum abest, vt vitiosum, quod supponitur, acidum imbibere nedum fundamentum morbi subruere valeat.

7) Ex eodem erroris fonte, quo tum pulcre absorbere, tum aperire finguntur, fluxit martialium laus in obstructionibus viscerum, cachexia, chlorosi, suppressione mensium, morbis arthritico-spasticis, quin & hectica; sed quam ambigue operentur, quam sæpe damnosa sint, immo hecticis letifera, non potest fugere attentiores.

8) Pariter intempestiuus eorum & præmaturus vsus, antequam alia præmissa sint, nocet in hæmorrhagiis, ictero & atrophia, ac generatim tenendum est, crocos martis, nisi sub declinatione aut exitu chronicorum malorum ad tonum denique roborandum exhibeantur, plerumque nihil boni promittere.

9) Illud tamen notare conuenit, vim adstrictoriam, quam martialia obtinent, pro diuersa eorum præparatione magnopere vel intendi, vel imminui, atque aliquas ferri tincturas sic dictas, quæ cum certis salibus largius confectæ sunt, mitiores & abstergentis simul virtutis esse participes; vnde & effectus variat. *vid. infra.*

10) Multi, & inter eos *Sydenhamius*, simplicem limaturam, aliis productis præoptant, & hæc reuera quoque solubilior & ad absorbendum aptior est crocis, quos, vt notum est, acida difficillime soluunt, adeoque dum tota facilius solutionem subit, in hac noua concreta textura, a vi sua adstringente plus remittit multisque aliis martialibus temperatius operatur. De minera ferri cruda vero, quam similiter dictus auctor extollit, idem adfirmare non licebit.

11) Cæterum non frustra chalybs ferro mitior existimatur; quippe in priore maior abundantia φλογιστῦ, & parcior styptica crassa materia, huiusque etiam intimior

mior attenuatio obueniunt. *Confer. Stahlii opusc. chymicum.*

12) *Aqua exstinctionis fabrorum* a quibusdam laudatur ad lienis tumorem & externe in scabie, pedum œdemate; vti lac, in quo chalybs ignita sæpe restincta est, in clysteribus ad dysenteriam vulgo præscribitur. Sed vel parum efficit, vel incaute datum adstringendi scopo nocumentum sæpe minatur.

13) In vulgaribus crocis martis illud maxime desideratur, quod nulla partium separatio fiat, sed crassiores stypticæ simul cum aliis confusæ relinquantur, a quibus & adstrictio fortior & præsentius damnum existunt. Exempla horum sunt ~~crocus martis sulphuratus~~, siue per simplex sulphur, siue tenerius & copiosius per hepar sulphuris paretur, crocus *adstringens simplex* per vstionem, seu reuerberium confectus, *crocus e vitrioli martialis destillatione* relictus & probe edulcoratus, *crocus e præcipitatione* eiusdem vitrioli per alcali; qui tamen specialem plane & in igne volatilem genium e sale recepit, & nisi e puro martiali paretur, in tenerioribus partibus rosiones & ardores concitat, etsi vulgo terra vitrioli dulcis dicatur. *Crocus martis solubilis* quoque, vt vocant, e ferro cum sale ammoniaco tractato restans, magna ex parte huc referri debet, itemque *antimonium diaphoreticum martiale Ludouici*, quamquam hoc, ob intertextum regulum & factam cum nitro detonationem, prioribus multo lenius, ideoque præferendum sit.

14) Vnde *Stahlio* gratiam debemus, quod elutriatione subtiles ferri particulas in tutiorem vsum colligere, vnoque labore tum tenuem mitiusque adstringentem rubellum, tum crassiorem stypticum crocum nigriorem, qui vsui externo inseruire potest, parare docuerit in confectione *croci martis antimonialis. vid. supra.*

15) Cum *teneriore Stahliano* conuenit *Zwelfferianus*, ex limatura

tura ferri cum nitro detonata exſurgens, cuius tamen prouentus inde longe parcior eſt.

16) Dictos crocos magis adſtringentes *Paracelſus* vlceribus glanduloſis aliisque perenniter manantibus inſpergit, idque felici deſiccante & conſolidante effectu, ſi ante penitius emundata fuerint. In haemorrhagiis autem externis eosdem crocos, præſertim vbi oſſa, adroſionem facile ſubeuntia, proxime iacent, ſolos, aut largius adhibere non conſultum eſt

17) Iam ſupra diximus, *ſalſa martis præparata* variæ indolis eſſe. Sic temperata vegetabilium acida ferro copulata abſtergentem & aperientem efficaciam conciliant, vt adſtringens leuiſſime ſentiatur; quo pertinent *tincturæ martiales* cum diuerſis vegetabilium ſuccis paratæ, *ſal martis ſubdulce*, aceti ope confectum. Contra *ſpiritus ſalis* enormem adſtringendi poteſtatem ferro ſuperaddit, quod ex tractatione martis vel hæmatitæ (vnde *liquor ſtypticus Barckhuſii*) cum *ſale ammoniaco*, aliisque experimentis intelligimus; neque multo minorem ſtypticam vim ea producta martis offerunt, quæ *ſpiritus nitri* interuentu componuntur.

18) *Acidum ſulphuris* mitigat magis, quam intendit, adſtrictoriam qualitatem, teſtimonio *vitrioli martialis*, quod ad obſtructiones viſcerum, cachexiam, chlorosin, mictum cruentum, vbi temperantibus ſubiunctum ſuaui adſtrictione confert, vermes necandos &c. commendatur, & omnino aloëticis additum laxantem effectum potius promouet, quam vllo modo ſufflaminat. Neque hoc, ſi purum & ab omni venere prorſus liberum ſit, quale e *minera martis Haſſica* educitur, emeſin ciere ſolet, dummodo bene dilutum aut gratiore quodam ſubſidio temperatum propinetur. Si vero e ferro vulgari aut plane e limatura fabrorum, aut cum ſpiritu, e vitriolo venereo deſtillato, confectum ſit, tum vomitorium in ſenſibilio-

ribus ſæpe euadere, non eſt mirandum, *confer. Stahlius loco citato.*

19) E *tincturis* aut ſolutionibus præcipue *Ludouici tinctura vitrioli martis tartariſata* probatur ad vſum non æque adeo aperientem, ac tonicum in hypochondriacis & aliis chronicis morbis remittentibus, aut exeuntibus, vbi & adpetitum reſuſcitat. Neque contemnenda, licet pretioſior, *Zwelferiana* ex vitriolo martiali & terra foliata tartari parari ſolita.

20) Conſulto autem p ura e ferro producta, quæ partim ſuperflua ſunt, partim inepta fere ſedulitate extorquentur, præterimus, cum generatim fatendum ſit, pauca martialia nobis ſufficere poſſe, & in ſimplici *croco teneriore* aut *tinctura* non minores virtutes, quam in aliis magno ſumtu & adparatu quæſitis deprehendi.

13. VITRIOLVM SOLIS & LVNAE.

1) De *cryſtallis lunæ* ſupra iam quædam monuimus, heic autem nemini ſuademus, vt ſcopo anthelmintico eas exhibeat. Quid per ſe, pilulis aliis inuolutæ, aut in tincturam redactæ, valeant in aberratione phantaſiæ & mania cum multi practici optatam efficaciam celebrent, vlterius adhuc experiundum eſt.

2) *Vitriolum ſolis*, quod ex auri ſolutione ad dimidium fere euaporata, aut abſtracta per ſpiritus vini inſtillationem denique componitur, catharcticam, anthelminticam & roborantem vim, ferme vt *vitriolum martiale*, habere prædicatur, ſed rarius in vſu eſt, tam ob pretium, quam ſucceſſum concepta ſpe plerumque inferiorem.

3) Pertinet huc *Fr. Burrhi* experimentum, qui aurum oppido candens in vino aliisque potulentis frequenter reſtinxit & liquores illos palpitationi cordis aliisque malis feliciter oppoſuiſſe dicitur. *Confer. Borrichius.*

14. FEL TAVRI

1) Penetrantius hoc ducitur bile ex aliis animalibus desumta, cæterum acriore stimulo irritat, abstergit & lumbricos enecat.

2) In vsum proinde illud vocant ad clysteres stimulantes & phœnigmos in apoplexia, paralysi, lethargo. Vbi autem scopus anthelminticus animo obuersatur, cum aloë emplastri seu vnguenti formam vmbilico adplicant, cui si stricte adhæreat, aiunt certo vermes adesse. Additur sæpe myrrha & oleum colocynthidis, vnde aluum laxat.

3) Cum vero valde acre sit, tum interne cautissime & parce dandum est, quamuis nonnulli id hepaticis morbis inprimisque ictero conducere prædicent. Eadem cautio necessaria est, vbi oculis, detersione nebulæ, vngulæ &c. indigentibus, vel auribus in statu surdastro admouetur.

4) De reliquo sunt, qui hoc vel cæteris elixiris proprietatis ingredientibus addunt, indeque adfuso certo menstruo debitaque enchiresi adhibita elixir prorsus dulce concinnant, multis chronicis morbis tollendis, vt celebrant, accommodatum.

15. COSTI DVLCIS RADIX.

1) *Costus dulcis & amarus* ex vna eademque planta Arabica depromti & maturitatis gradu solum differre traduntur. Prior autem magis vsitatus est & *cinnamomum album*, seu *canela alba* quoque ob saporis quamdam conuenientiam nuncupatur, propterea cum *Winterano cortice*, qui & idem cognomen gerit, non confundendus.

2) Optima & ab adulteratione, cui subiacet, magis libera hæc radix habetur, si sit recens, densa, non carioſa, suaueolentis odoris & mediocris acrimoniæ; e qua descriptione principia eius non obscure coniicere licet; facultates autem nonnulli adeo efferunt, vt in costo omnium aromatum virtutes collectas esse arbitrentur.

3) Manifeſtius reſoluit, roborat, flatus diſpellit & diaphoreſin pariter ac diureſin modice adiuuat; vnde in morbis frigidis ſeroſis catarrhalibus languidis, ictero, vrinæ vitiis laudatur, præcipueque ſtomacho debili, cruditati, ructibus, indeque natæ colicæ ſuauiter ſuccurrit.

4) Vterina quoque cenſetur, & quamquam menſes ſuppreſſos reuocare nequeat, tamen cum fructu datur chloroticis, imminutione fluxus, aut dolore ſpurio, flatulento ante & poſt partum laborantibus.

5) Non minus hanc commendatam legimus in cephalæa, paralyſi, apoplexia, epilepſia, ſed hic perquam dubie, morſu viperino; multique coſtum mandare præcipiunt, cum in febribus malignis viſitantur decumbentes.

6) Adhibetur in *ſubſtantia*, *infuſo*, *eſſentia*, quam pro analeptica habet *Ettmüllerus*, nec ignota ſunt *extractum maro-coſtinum Mindereri* ad vſum internum, & *oleum coſtinum* extus in atonia partium vtilius, quam in rigoribus febrium intermittentium compeſcendis.

16. CYPERI LONGI & ROTVNDI RADIX.

1) Protrudit plantam arundinaceam ſeu iuncum odoratum & præſtantiſſima in paluſtribus Aſiæ & Aegypti locis creſcit; vtque rotunda vulgo præfertur, ſic pariter aromaticam indolem ſpirat & vires præcedenti non abſimiles poſſidet.

2) Aequali igitur laude adficitur in vitiis lymphæ & ſeri mucidis, atonia ſtomachi, inteſtinorum, vteri, aliorumque viſcerum, quamquam rarius eam hodie vſurpari moneat *Ettmüllerus*.

3) *Palmarius* hanc aduerſus peſtilentiam valere prædicat. Sed externe certius proficit in relaxatione partium, tumoribus frigidis, debilitate paralytode diuturna rheumatica, luxatione. Cæterum ad pulueres odoriferos expetitur.

4) Vtendi modus cum præcedente conuenit. Extus in *ſacculis* & *fomentis vinoſis* adplicatur.

17. MEV

17. MEV *seu* MEI RADIX.

1) Dicitur a T*ournefortio fœniculum Alpinum*, ac licet in montosis Germaniæ locis passim sponte proueniat, tamen & in hortis colitur, ob virtutes, quas principia sulphurea fragrantiora & semi aromatica eidem ingenerant.

2) Resoluit enim satis valde, roborat & carminatiuis adnumeratur, indeque ad pectorales mucidos catarrhos, deprauationem lymphæ & seri cachecticam & anasarcodem, icterum, inflationes, atoniam viscerum corrigenda vtilis habetur.

3) Porro diuresin promouet & præcipue frigidis vteri morbis leuamentum adfert, vti vulgo in vsu est ad menses prouocandos, suffocationes vteri, dolores post partum. An vero & laudes impleat in fluore albo tollendo, dubitare nos iubet experientiæ frequentioris defectus.

4) Externe in tumoribus frigidis, nodis mammarum itemque in doloribus calculi & vteri in *balneo* vel *fomentis* laudatur; cæterum ea ratione & formula, qua *costi* & *cyperi* radix, adhiberi potest.

18. CHAMOMILLA.

1) *Flores* præcipue in vsum vocantur, & sunt vel vulgares aruenses, vel Romani in hortis colendi, qui ob largius principium sulphureum prioribus magis odorati penetrantes & acres exsistunt.

2) Vulgaribus insunt partes oleosæ suaues sulphureæ, mucilagine non pauca interfusæ, a qua compositione facultas eorum leniendi, emolliendi, mitius resoluendi & roborandi generatim deducitur.

3) Plerique etiam hinc merito carminatiuam virtutem illis tribuunt, & in flatibus potenter discutiendis, indeque natis torminibus, doloribus post partum, quin & in colica conuulsiua summum in eis præsidium quærunt.

4) Nec minima virtute hi flores leniunt pectoris morbos, inprimis vero & præsentius tumorem stomachi &

cardialgiam, ac ſpaſticos dolores calculum comitantes.

5) Incertius laudantur in febribus intermittentibus, quamquam febrifugæ eorum præſtantiæ plurimi auctores adplaudant, in pica & malacia, obſtructione viſcerum, ſcorbuto, malo hypochondriaco, menſibus ſuppreſſis, vermibus, præterea in cephalalgia, memoriæ & ſenſuum debilitate. Licet enim ex ſupra dicta qualitate ad leuandum nonnihil conferre poſſint, tamen inſignem quamdam & laudibus parem efficaciam edere in talibus malis raro aut numquam deprehenduntur.

6) Externe egregie prorſus emolliunt, diſcutiunt & mitigant, tum in plerisque dictis adfectibus, tum in contuſionibus, ſanguine coagulato, tumore vteri flatulento, itemque in tumore genitalium poſt partum, vnde frequenter adduntur ſacculis, fomentis, cataplaſmatis reſoluentibus, maturantibus, paregoricis clyſteribus, iniectionibus vterinis carminatiuis & balneis.

7) Interne dari poteſt eorum *decoctum*, *aqua deſtillata*, *ſyrupus*, itemque *elæoſaccharum* ex *oleo chamomillæ deſtillato ſaphirino*; quod quidem oleum etiam externe in doloribus colicis, cardialgia, ſtatu ſurdaſtro adplicatur. Crebriori vſui extus inſeruit *oleum coctum*, quod tamen an paralytica & atrophica membra reſtituat, dolorem iſchiadicum & anginam adeo leuet, aut febres intermittentes depellat, ambigitur. Illud credibilius eſt, idem rectificatum conuenire ad reſolutionem & roborationem membranacearum partium efficacius præſtandam.

8) Cæterum chamomilla *Romana* ab aliis vulgari præponitur, ab aliis vero ob penetrantiorem vim magisque calefacientem ad externos ſolum vſus neruinos & reſoluentes adhibetur.

9. Hor-

19. HORMINVM.

1) Præ cæteris in officinas recipitur *horminum* ſeu *ſclarea ſatiua maior*, quam & ob conuenientiam foliorum ac virium Germani adpellant Römiſche Salbey. Acris hæc eſt citrati odoris ac maxime reſoluentem & roborantem qualitatem habere cenſetur.

2) Speciatim vero complures hanc herbam vterinis adfectibus conſecrant, eamdemque in malo hyſterico, partu promouendo, & apprime in fluore albo ſingulares dotes oſtendere monent, quibus vt frequentior experientia maiorem fidem & adſenſum præbeat, valde optamus.

3) Pariter leuamen aut auxilium quoddam promittit in morbis catarrhalibus mucoſis, debili ventriculo, colica. Nec ſemen illaudatum eſt ad oculorum mala acriora, quæ mucilago inde extracta lenit, item granum huius ſeminis oculo inditur ad extraneas res illapſas educendas.

4) *Extus* folia ſternutamentum cient, alias & ſugillationibus & vulneribus, vlceribus, dentium vacillationi, menſibus ſuppreſſis, in *balneo*, & fluori albo, in *vnguento*, conuenire dicuntur.

5) Adhibetur horminum in *infuſo*, *decocto*, *aqua deſtillata*, *eſſentia*, *ſpiritu*: cæterum & œnopolis inſeruit ad vinum ope eius & florum ſambuci moſchatellino ſapore imbuendum.

20. NVX MOSCHATA.

1) Duplex habetur, *oblonga*, quæ *mas* vocatur, & *rotunda*, *fœmina* dicta. Illa maior eſt, vilior, mace fragranti deſtituta, & ab Indis contemta, quamquam vulgus noſtras eam pluris æſtimet in ſterilitate fœminarum, & perperam Mutter-Moſchaten adpellet. *Vulgaris rotunda* vero merito nobilior reputatur, quam arbor quædam in inſulis Moluccis, præcipue in Banda profert, extus cruſta viridi & villoſa primum, deinde ſub maturitatis tempus luteis aut purpureis punctis interſtincta obductam, ſub qua ſponte rupta latet hæc nux,

nux, seu nucleus siccandus solis calore, & a mace, cui adhuc inuolutus est, segregandus, & calce ab imminenti corruptione defendendus.

2) Turget autem largo fragranti oleo, ex cuius copia etiam bonitatem huius nucis, si acu pungatur, cognoscimus, acriusculis & terreis partibus interiacentibus, vnde facultate pollet discutiendi, roborandi & subadstringendi.

3) Commendata ideo legitur in catarrhis capitis, vertigine, sensuum ac memoriæ imbecillitate, apoplexia, aphonia, lipothymia, porro in oppilatione hepatis, tumore splenis, dysenteria, ischuria, gonorrhœa, interna exulceratione præcipueque in vterinis morbis, sterilitate, fluore albo, grauidarum commotionibus & abortus periculo, venenis & virulentis morsibus.

4) Sed omnino plurima hæc nondum adeo clara & explorata, vt fidere liceat, multa obiter tantum & neglecto fere circumstantiarum discrimine ac posthabita aliarum caussarum auxiliatricium, vt videtur, consideratione, obseruata sunt.

5) Manifestius hæc nux stomacho & intestinis suppetias fert in nimio vomitu, diarrhœa, lienteria, colica flatulenta, nec spernenda est in halitu fœtido, immodico mensium fluxu, in doloribus post partum, vteri inflatione, vbi & in suffitu laudatur, stranguria, vrinæ incontinentia leuiore. In fluore albo autem si præmature adhibeatur, nihil salutare promittit.

6) Vulgi experimentum est per nucem moschatam, cum alumine mistam, febres intermittentes compescere; at id quoque præpropere tentatum aliorum adstringentium ritu grauiora mala importat, & cum tutiora prostent, iure repudiandum est. Licet enim nux ipsa magis sopiat, quam adstringat, alumen tamen, quod hic in alieno choro pedem ponit, adstringendo nocet.

7) Nimius vsus ebrietatem, somnum, lethargum quin & vitæ discrimen adferre dicitur, vti idem voracibus para-

paradiſiacis Indorum auibus exinde contingere auctores tradunt.

8) Externe atoniam partium efficaciter emendat & in cardialgia frigida, cephalæa, paralyſi, papillis mammarum excoriatis conſolidandis & ſupradictis morbis crebro adplicatur.

9) E præparatis proſtant *oleum expreſſum*, quod maxime vſitatum eſt & baſin balſamorum plerorumque conſtituit, præterea *oleum deſtillatum*, quod multo ſubtilius & potentius exſiſtit, & *aqua deſtillata*. Ex India aduehuntur *nuces* integræ cortice viridi adhuc inſtructæ *conditæ*, quæ vt alias ad bellaria, ſic etiam a Medicis ad corroborandi vſum expetuntur.

10) Præter corticem exteriorem *nux myriſtica matura* aliis adhuc filamentis proxime obuoluitur, quam MACEM vocamus. Atque hæc vires nuci haud diſpares obtinet, niſi quod tenerior, penetrantior & pretioſior reperiatur; vnde plura de ea adiicere ſuperuacuum eſt.

11) Externe *puluis macis* in vlceribus tibiarum inueteratis ab *Ettmüllero* commendatur, *oleumque* eius *deſtillatum* ſcopo roborante, carminatiuo, vt *oleum deſtillatum corticum aurantiorum*, adhibetur & ſubinde ad correctionem purgantibus parciſſime additur.

12) Ex arbore moſchata denique *gummi* ſudare narratur, quod rubicundum eſt, & odoris, dum accenditur, longe ſuauiſſimi, ad partium debilitatem, arthritidem & podagram a *Montano* celebratum.

21. TESTICVLI EQVINI.

Hi quoque laudantur in colica, partu difficili pellendo, fœtu mortuo, ſecundinis & lochiis remanentibus; ſed deficit experientiæ perpetuitas.

22. STERCVS EQVI.

1) Ex pabulo auenaceo discuſſoriam qualitatem haurire creditur, & magnam vulgo gloriam habet in colica ſpaſmodica, paſſione hyſterica, ictero, morbillis & variolis, quas a ſucco eius expelli perhibent, angina

& cum primis in pleuritide; vnde sunt, qui *syrupum B. Lutheri* ex hisce excrementis paratum esse adfirmant, in colica, & malo hysterico maxime celebratum. Confer. *Ettmullerus.* Coquunt autem communiter hæc excrementa cum cereuisia, atque hoc decoctum in catarrhalibus pectoris pathematibus multa cum iucunditate a nonnullis bibitur, vulgo das Pferde-Bier.

2) *Externe* etiam in angina & stranguria laudatur; at vbique non modo remedium est elogiis impar; sed & multis nauseosum, ideoque talibus relinquendum, qui iucunditatem ex ipsius vsu percipiunt.

23. STERCVS LVPI.

De hoc idem iudicium eo magis valet, quo minus adhuc expertum est, nec attinet plura de his sordibus proponi.

24. ZIBETHVM.

1) Materia hæc vnctuosa non e testiculis, vt creditum fuit, sed e peculiari folliculo membranaceo, inter anum & genitalia sito, animalis cuiusdam Indici ad caninum potius, quam felinum, vt *Langius* autumat, genus pertinentis, depromi, indeque cochleari, licet magno cum animantis cruciatu, identidem eximi narratur.

2) Vti autem saporem sebaceum, in recessu acrem, & odorem validissimum præ se fert, ita subtilibus sulphureis fragrantibus & oleosis partibus maxime abundat & roborantis ac neruinæ virtutis plenum habetur.

3) De analeptica facultate digladiantur adhuc autores, plerique merito dubitant. Quin & in totum internus zibethi vsus nonnullis medentibus suspectus, vt multis ægris molestissimus & aduersissimus est; etsi ab aliis paruula dosi spiritibus odoriferis, aut congruentibus vterinis admixtum præbeatur, inprimis hystericis.

4) *Extrinsecus* etiam caute adplicare idem conuenit, nam pauci penetrantem eius & subfœtidum odorem ferunt

runt & debiliores feminæ ſenſibiles hyſtericæ aut acrioribus ſanguinis commotionibus & hæmorrhagiis ſubiectæ grauius ſæpe inde adficiuntur. Extra hunc caſum laudatur in atonia neruoſarum partium, præcipue in graui auditu, vbi cum aliis in aurem immittitur, & in excitandis epilepticis, tum in colica vmbilico inunctum, & in malo hyſterico, ſi vaginæ illinatur.

5) Aperte autem fatendum eſt, nihil magnopere hoc pretioſo medicamine effici, quod non parabilioribus & vernaculis præſtare liceat; vnde eo carere commodiſſime poſſumus. Cæterum hæc ſubſtantia formulis parce inſinuari debet, alioquin totam compoſitionem zibethi odore nimium infectura.

25. SILICES.

1) Efferunt vt idonei ad calculum frangendum, ſed magnas ſpes vane concipi quotidie docet euentus.

2) Deſtillati omnino ſuggerunt nonnihil acidi, atque alias igniti & in vino ſæpius reſtincti vinum diureticum reddere dicuntur; quamquam hinc maiores virtutes exſpectantem facile quoque opinio fefellerit.

3) Proſtat *tinctura ſilicum*, quæ num acriore alcalina præſtantior ſit, an ſingularem vim e ſilicibus, qui cum alcali in igne efferueſcunt & ſulphureum deinde odorem ſpirant, imbiberit; certius adhuc explorandum eſt. Vilior habetur *tinctura nephritica Amelungi*, quam certe neutiquam laudes datas æquare, nec e ſolaribus, vt volunt, ſilicibus, præclaram nedum auream facultatem, calculum reſoluendi, petere, multi ſentiunt.

TABVLA XII.
DE
ALTERATIONE GENERATIM.

I. DEFINITIO.

Alteratio est alterum summum genus medicationis, quo præcipue humores, corpori nostro periculum minitantes, variis modis immutantur, corriguntur & præparantur, eum quidem in finem, vt postea tanto commodius & securius possint euacuari.

II. *DIFFERENTIA.*

1. *Alterare*, seu in meliorem statum conuertere, dicitur quidem etiam de *motibus*, actum quidem vox μεταβολὴ, quæ actum mutantem & in aliud schema transferentem denotat, significantior est; sed vti omnes motus vitales excretionibus velificantur, ita alteratio de illis magis ambigue, de *materiis* autem eminenti sensu sumitur, atque hic vocabulum ἀλλοίωσις valet, quod rem, aliam indolem induentem, significat.
2. Præterea alteratio præcipue competit partibus *fluidis*, seu *humoribus*, de *solidis* autem quando dicitur, tum peculiarem respectum, siue ad humores, siue ad motus habemus; vbi particulatim ad motus erroneos e. g. conuulsiuos placandos inseruiunt *specifica*, de quibus infra.
3. Eiusmodi autem humorum alteratio non tantum *extrinsecus*, sed sæpissime etiam *intrinsece* contingit, ita quidem, vt pristina crasis & consistentia non solum in aliam, sed interdum etiam in contrariam mutetur.

III. *INDICANTIA.*

Alterationem suscipere conuenit,

1. in eo loco, vbi rem adhuc mutabilem esse ipsa sana ratio persuadet.
2. Quando materia ad euacuationem est inepta.

3. Cæ-

3. Cæterum vlteriorem generalemque indicantium catalogum iam iam ſub *indicatis* exhibebimus.

IV. *INDICATA.*

Varia hæc ſunt pro varia *indicantium* ratione, ſed vti tabula generalis ſpecialem eorum denominationem non concedit; ita *generalia* tantum *indicata* hic ponemus. Sic

1. Humores *nimium tenues* & *fluxiles* expoſcunt incraſſantia, coagulantia, e. g. gelatinoſa, pinguia, mucilaginoſa, glutinoſa, abſorbentia, acida, auſtera.
2. Humores *nimium ſpiſſi* poſtulant reſoluentia, incidentia, digeſtiua, diluentia, colliquantia, & certo reſpectu abſtergentia & discutientia.
3. Humores *cacochymica prauitate* peccantes vti differunt, ita cacochymia
   1) *ſalſa acris* corrigitur per diluentia, mucilaginoſa, obtundentia, edulcorantia.
   2) *Bilioſa* per nitroſa, abſorbentia, diluentia.
   3) *Acida* per abſorbentia.
   4) *Mucoſa* per reſoluentia.
   5) *Vappida, corrupta, putredinoſa* per balſamica.
4. Partium ſolidarum *nimia ſtrictura*, vel *rigor* indicat relaxantia, humectantia, emollientia, læuigantia, aperientia, demulcentia.
5. *Nimia* autem *laxitas* requirit adſtringentia, roborantia, tonica. De partium ſolidarum *plenaria continui ſolutione* in tabulis chirurgicis expoſuimus.
6. *Motus generatim* aberrantes.
   1) *Excedentes* & *nimium intenſi* requirunt refrigerantia, demulcentia, anodyna, ſopientia
   2) *Deficientes* autem & *remiſſi* poſtulant neruina, tonica, analeptica, calefacientia.
7. *Motus ſpeciatim* plane aberrantes indicant *ſpecifica* & vulgo ſic dicta *archealia*; vti infra docebimus.

V. *MODVS OPERANDI.*

1. Quamquam multo difficilius ſit *alterantium*, quam *euacu-*

antium, modum operandi explicare, ſequentia tamen practica phænomena, quando iuſtius perpenduntur, multum lucis hiſce tenebris adferre poſſunt.

1) Alterantia licet in quibusdam morbis bono cum effectu adhibeantur, non tamen abſolute, ſemper, vbique & in omnibus ſubiectis hoc faciunt, ſed alio tempore, vel in aliis, vel in iisdem ægrotis, licet in materiam non nihil agant, tamen nihil leuaminis adferunt.

2) Hic diuerſus effectus tam manifeſtus eſt, vt, ſi alterantia ſine habito reſpectu ad *tempus* morbi promiſcue propinentur, non raro noxium effectum & turbas inducant.

3) Effectus alterantium variat pro ipſius animi differente conſtitutione. Sic ſubiectum, quod in actionibus voluntariis agile eſt, minorem requirit alterantis remedii quantitatem, quam indiuiduum languidum, ignauum.

4) Nulla eſt proportio phyſica inter quantitatem remedii alterantis, ad quantitatem humorum alterandorum. Quid enim eſt exiliſſima e. g. puluilli cuiusdam abſorbentis & edulcorantis portio, quæ interdum vix vnciam adæquat, ad edulcorandam ingentem ſanguinis maſſam, quartam vtplurimum centenarii partem pendentem?

5) Toto videmus die, multa remedia in loco quodam adfecto ſuos exſerere effectus, licet illum locum non attingant e. g. pauca grana croci martis adſtringentis ſiſtunt hæmoptyſin, dum vix primas vias attigerunt. Nonnulla venena letalia ſtatim produnt ſymptomata, cum tamen poſt ea ſubſtantiam eorum quaſi intactam, atque integram in ventriculo reperiamus. Porro ſuaueolentium rerum naribus perceptio quas non adfert mutationes, licet vix centeſima grani pars corporis mixtioni acceſſerit. Neque ſuaueolentes ſolum, ſed & fœtidæ res pro ſubiectorum diuerſitate ſimiles eosdemque producunt effectus. Experientia enim comprobatum eſt, vnam eamdemque rem, ab

alio

alio homine gratiſſimo ſenſu acceptam, ab alio contra cane peius & angue abhorreri.

6) Quando hemiplectici per vſum quorumcunque balneorum martialium, vel aliorum tonicorum reſtituuntur, conſtans docet obſeruatio, non brachium & pedem ſimul, ſed ſucceſſiue, &, quod conſideratione digniſſimum, in diuitibus quidem brachium, in pauperibus autem, vtpote famulitio priuatis, pedem prius reſtitui, licet vtraque læſa pars eidem remedio alteranti tonico eodem tempore immergatur.

2. Ex quibus omnibus iuſtiſſime concludimus, alterationes, quas hæc remedia producunt, non ſolis qualitatibus phyſicis & materialibus, ſed etiam, & præcipue quidem, prudenti naturæ, quæ *per* & *propter*, immo interdum *contra* talia pharmaca operatur, adſcribendas eſſe.

3. Et licet alterantia quædam, præcipue in primis viis, immediato phyſico contactu operentur e. g diluentia, temperantia, abſorbentia, naturæ tamen officium eſt, vt hanc alterationem, in materiis factam, recte adplicet, & effectum *phyſicum*, qui per ſe nondum ſalutaris eſt, in *medicum*, ſeu *ſalubrem* dirigat.

4. Neque tam parua remedii quantitas alium effectum, quam ſimplicem ſuæ indolis poteſt adferre impreſſionem. Hanc impreſſionem, ſenſum & perceptionem principium vitale imitatur, atque in eo loco, quo vult, tales effectus prodit, qui cum materiarum oblatarum conditione conueniunt. Notandum autem eſt quam maxime, naturam interdum erroneas facere adplicationes, quæ potius detrimentum, quam emolumentum vitæ & ſanitati adferunt.

5. Reſtat paucis indicare, quibus modis remedia alterantia effectus ſuos *phyſicos*, quos natura in *medicos* deinde conuertit, producant.

1) Ad *fluidas* partes quod attinet, mixtio illarum per talia remedia alteratur, & quidem non tantum diſſolutione principiorum, ſed etiam admixtione, acceſſione,

ne, adhæsione, nouarum alterius generis partium, immo nuda interpositio, seu confusa tantum interceſſio aliarum materiarum indolem cuiusdam materiæ & libertatem mutare, seu alterare potest, non quidem *mixtum*, tamen *aggregatum*.

2) In *solidis* partibus contactu suo physico sensum excitant, & secundum hanc sensus perceptionem motus tonicus vel intenditur, vel relaxatur. Illa autem alteratio, quæ tacite pristinam in partibus solidis texturam destruit, satis confirmat, quod naturæ magis quam remedio externo effectus eiusmodi admiratione dignissimus sit tribuendus. Huc pertinet destructio & quasi deportatio næuorum maternorum & sarcomatum per contactum manus mortuæ, vel per alia remedia topica.

6. Cæterum conceptus illos & modos, quos de frequentibus in corpore *viuo* alterationibus vulgo sibi formant & in his *sexcentos* ac plures *sapores* sapere sibi videntur, pro typhone ingenii humani cum aliis declaramus e. g. quando fingunt spiritus iam effrenes ac immorigeros poros humorum male ordinare, loco influxus per lineam rectam, iam segnes motibus suis alienis oblique flexuose, verminose, & per anfractus, mæandros, turbines, atque gyros summa imis miscere, tranquillam & æterna lege incedentem contiguitatem corpusculorum, humoribus propriorum, innumeris alienis impulsibus collidere, atque hac ratione nouas semper species ramentorum exterere, quæ totidem nouas mutationes humorum constituant.

VI. *MODVS PROPINANDI.*

In omni alteratione eo respiciendum est, vt

1. In tempore fiat.
2. Placide instituatur.
3. Debita euacuatio subordinetur.

VII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Quoniam nulla alteratio peccantes humores ita mutare

&

& corrigere valet, vt cum reliquis laudabilibus in gratiam redire & in corpore tolerari, vel ordinariis viis & motibus tacite quasi secedere possint, necesse est, conuenientes euacuationes illorum vsui subiungere, nec vmquam in alteratione acquiescere.

2. Veteres semper fere euacuantia alterantibus adiunxerunt, & vix vnum sine altero in vsum traxere; quam longe autem recentiorum praxis abiis recedat, encomia alterantium & experientia testantur.

3. Error est sonticus, a solis alterantibus talem effectum, cui fidere liceat, exspectare: sane enim neque acutum, neque chronicum morbum sine concursu euacuantium curant, sed præparandis tantum materiis morbidis & mitigandis symptomatibus inseruiunt.

4. In *acutis* enim, quando sine debitorum euacuantium subordinatione propinantur, nihil prærogatiuæ ægrotis præ aliis, qui nullis remediis vtuntur, adferunt.

5. In *chronicis* sola alterantia nil constantis auxilii exhibere, quotidiana loquitur experientia in hypochondriacis, hystericis, arthriticis. Excipimus nonnulla primarum viarum pathemata, vbi alterantia, dum materiam alterandam immediate attingere possunt, præ aliis quidquam efficiunt.

6. Caute adhibenda sunt eius modi alterantia, quæ non tantum humores alterant, sed etiam simul motus secretorios minuunt vel turbant, e. g. absorbentia terrea, martialia, salia volatilia vrinosa.

7. Alterantia, quæ præ aliis egregium vsum habent & tam humores, quam vias, ad meliorem euacuationis successum præparant, sunt sequentia:

1) temperantia nitrosa & absorbentia ab effectu adstringente libera.

2) Emulsiua, non rancida aut mucida, ad gratum saporem edulcorata, & temperatis aquis carminatiuis atque analepticis instructa.

3) Acida moderata, præcipue succus citri.

4) Tincturæ alcalinæ cum volatilibus mixtæ & moderatis dosibus in chronicis exhibitæ.

5) Diluentia, aluum humectantia, vrinæ ardorem demulcentia, somnum non stupidum aut delirum, sed placidum promouentia.

TABVLA XIII.

DE INCRASSATIONE.

I. *DEFINITIO.*

Incrassatio dicitur ille actus therapeuticus, quo humores ex acredine salino-sulphurea, vel intermixta nimia aquositate, plus iusto tenuiores, subtiliores & orgasticis commotionibus ansam præbentes, in consistentiam crassiorem pulposam, & euacuationi aptiorem, rediguntur. Vnde remedia eiusmodi *incrassantium* vel *condensantium* titulo efferri solent.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Incrassatio differt ab *adstrictione*; hæc enim vias & partes solidas adficit, illa humores & partes fluidas variat & immutat.

2. Incrassatio ipsa bene distinguenda est; alia enim est consistens, pulposa, volubilis, alia magis lenta, tenax, viscosa, mucida. Prior tantum naturæ est conueniens, quam artifex intendere debet; posterior vero penitus aduersa & noxia, hinc a Medico non instituenda.

3. Illa incrassatio duplici modo ab artifice perficitur, nempe

1) *positiue*, dum humoribus nimis tenuibus & subtilibus reuera interponuntur res condensantes, vt gummi arabicum, tragacantha, saccharum, glycyrrhiza, amylum.

2) *Pri-*

2) *Priuatiue*, dum nimia aquoſitas diaphoreticorum ope diſpergitur; vel acredo, ſanguinis maſſæ inhærens eamque colliquans, per acida quaſi ligatur, quo nomine etiam abſorbentia nonnumquam incraſſant. Referenda quoque huc eſt incraſſatio per anodyna.

4. Porro incraſſatio dici poteſt *vniuerſalis* & *particularis*. Illa qualitatem maſſæ ſanguineæ valde fluidam & orgaſticis expanſionibus obnoxiam reſpicit; hæc materias ſeroſas, bilioſas, nimis tenues & ſubtiles ſeorſim congeſtas, & modo in capite, modo in pulmonibus, modo in inteſtinis hærentes inuoluit & ad euacuationem diſponit.

5. Denique incraſſatio alia inſtituitur per interna, alia per externa remedia, quæ ad obſtipationem fluxus ſanguinis, vel ſeri acris ex vulneribus, aut vlceribus per varia adminicula perficitur.

III. *INDICANTIA.*

1. Licet humores ea ſint conditione, vt potius in ſpiſſiorem quam fluidiorem conſiſtentiam abeant, occurrunt tamen etiam tales caſus, in quibus moderata incraſſatio & neceſſaria & vtilis exſiſtit. Exigunt vero eam

2. Humores nimis tenues, volatiles, qui vel leuiter impulſi orgaſticis commotionibus ſubiecti deprehenduntur.

3. Capitis & pectoris adfectus catarrhales, acres; præſertim tuſſis impetuoſa, ſine exſcreatione, & quidem pulmonalis, non autem hypochondriaca.

4. Acrimonia bilioſa, inflammatorias ſtimulationes in ventriculo & inteſtinis producens, choleramque morbum generans.

5. Alui nimia lubricitas.

6. Modum excedens ſudoris excretio.

7. Diabetes, ſeu hydrops ad matulam, quæ ex nimia humorum reſolutione originem ſumit.

8. Fluxus ſanguinis, vel ſeri acrioris ex vulneribus aut vlceribus.

IV. *INDICATA.*

1. *Vegetabilia.*

1) *Simplicia.*

Rad. Althææ
Liliorum alborum
Liquiritiæ
Maluæ
Symphyti
Tuſſilaginis
Herb. Maluæ
Flor. Liliorum alborum
Maluæ
Verbaſci
Violarum
Fructus, nuclei & ſemina mucilaginoſa, e. g.
Amylum
Auellanæ nuces.
Auenæ cremor
Citri ſuccus
Cydoniorum ſemen
Dactyli
Ficus
Hordei cremor
Iuglandes nuces
Iuiubæ
Lini & Milii ſemen
Oryza
Paſſulæ maiores & minores
Pineæ nuces
Piſtaciæ
Pira exſiccata
Poma exſiccata
Pſyllii ſemen
Sebeſten
Sem. quatuor frigida maiora & minora
Gummata e. g.
Ammoniacum
Arabicum
Ceraſorum
Elemi
Iuniperi
Maſtichis
Tragacanthæ
Terebinthina

2) *Præparata.*

Diacodium *Montani.*
Maſſa pilularum de cynogloſſa.
Ol. Amygdalarum dulcium
Hyperici
Lini
Oliuarum
Nucis
Panis bis coctus ſimplex & ſaccharatus.
Rob. Berberum
Ceraſorum
Cydoniorum
Diamorum
Dianucum
Granatorum
Ribium
Saccharum hordeatum.
Species de Carabe.
Diatragacanthæ
Syrupus florum papaueris
Tinctura florum bellidis.
Roſarum vitriolata

Externe

Farina volatilis

Glu-

Gluten opificum.
2. *Animalia*
Butyrum
Caro Anguillæ
Cochlearum
Oſtrearum
Gelatinæ
Ichthyocolla
Lacticinia
Medullæ
Mel
Oſſa animalium varia.
Oua ad duritiem cocta.
Pulmenta.
Sperma Ceti
Ranarum
3. *Mineralia.*
Abſorbentia, terrea & mucoſa
Acida, e. g.
Spiritus Nitri
Vitrioli ſimplex & dulcis.
Salis
Clyſſus antimonii.
Cryſtallus montana
Nitrum
Sulphur citrinum
Sulphuris flores.

V. *MODVS OPERANDI.*

1. Ipſa natura ſuos habet incraſſandi modos, quibus partes fluidas, nimium attenuatas & reſolutas, emendat & ſpiſſiores reddit. Modo enim diaphoreſin eum in finem inſtituit, vt ſubtiles orgaſticas particulas cum ſero ſuperfluo e corpore eiiciat, ne reliquam maſſam humorum in eamdem fluiditatem & tenuitatem rapiant. Modo humores ad certas corporis regiones congerit, & aliquamdiu in iisdem detinet, vnde euenit, vt ſanguis fluiditatem ſuam amittat & ſpiſſum atque nigricantem colorem induat. Modo ex partibus exterioribus ad interiora eosdem reſtringit & in alueis capacioribus detinet, hic ob impeditum tranſitum per partes poroſas ſpiſſeſcunt & fluiditate ſua priuantur, id quod *coctiones* in febribus nos docent, quæ materiam febrilem inuoluunt atque incraſſant. Quid? quod frequentes diarrhœæ ſpiſſitudinem humorum inducunt, quia ſubſtantia fluidior nimis copioſe educitur atque egeritur.

2. Remedia autem, quæ condenſandi ſcopo adhibentur, triplicis ſunt conditionis. Quædam principiis ſuis gelatinoſis & mucilaginoſis tenuibus & rapacibus particu-

lis se interponunt, easque ligant atque figunt, vt debitum consistentiæ gradum nanciscantur. Hoc faciunt gelatinosa, farinacea, mucilaginosa, gummata, pinguia, lacticinia, pulmenta, emulsiua, oua dura cocta.

3. Alia particulas subtiliores acres biliosas causticas coagulant, earumque fluiditatem impediunt. Id maxime faciunt acida, & præcipue nitrum prudenter adhibitum, quod nimiæ tenuitati, ab acrimonia dependenti, admodum efficaciter opitulatur; quæ vero sit ratio, cur acida mucilaginosa & pinguia subiecta, quæ vappidam indolem subierunt, inspissent, nondum aperte liquet, atque e chymia vlterius indagandum est.

4. Nonnulla terreis & mucidis substantiis tenuiores materias obuiscant, nimis acres & causticas impuritates absorbent; quorum in numero sunt terræ sigillatæ, testacea vsta & præparata.

5. Adiuuant quoque incrassationem frigus, quies, animi temperies. Quemadmodum enim motus caloris gelatinosas moleculas distrahit & humorum fluxilitatem auget, ita sub motu frigoris eædem moleculæ coalescunt, & reliquæ tenuiores particulæ in idem coagulum transferuntur. Hinc homines multum in frigore degentes sanguinis spissitudinem nanciscuntur. Referimus quoque huc frigida ingesta, remedia refrigerantia & balnea frigida.

6. Scimus quoque, quod ii, qui vitam sedentariam gerunt, numquam de sanguinis fluiditate, sed potius de eiusdem crassitie conquerantur. Data propterea est homini quies nocturna, ne per vegetiorem & perpetuatum motum nimiæ corporis resolutiones & attenuationes fiant; culpandi vero sunt ii, qui omnem plane corporis motum respuunt, & nimiam spissitudinem humorum sibi attrahunt.

7. Animi pathemata actiuiora, gaudium, libido, ira, humores nimis exagitant & attenuant, contra animi temperies exagitatos humores condensat & spissiores reddit.

8. Sed

8. Sed paullo alia ætilogia formanda eſt, vbi de incraſſatione per anodyna ſermonem inſtituimus. Hæc enim cum humoribus nullum habent commercium, ſed motus vitales retardant & cohibent, e. g. *Maſſa pilularum de Cynogloſſa*, *Diacodium Montani*. Notum autem eſt, omnia ea, præſertim anodyna, narcotica, ſedatiua, quæ motus refrenant, ad ſpiſſitudinem humorum inferendam apta eſſe. Sic motibus retardatis indidem humorum ſpiſſitudo incrementa capit. Fluiditas autem eſt motus inteſtini auctior gradus, inteſtinus vero motus progreſſiui ſodalis eſt. Subiunguntur itaque congrua hæc anodyna reliquis incraſſantibus, ad ſenſum irritationis obtundendum & adfluxum minuendum, ſeu, vt vocant, catarrhum acrem ſuſpendendum.

VI. *MODVS PROPINANDI.*

1. In incraſſandis humoribus tenuibus lenia euacuantia ſemper ſunt præmittenda, vbi ſic dicta cholagoga conueniunt.
2. Reſiduæ tenuiores portiones per diaphoretica, diuretica & proportionatos corporis motus, ad tolerantiam repetitos, euaporentur & educantur.
3. Optimum ferme ſolatium ad corrigendos tenues humores ex fonte diætetico petendum eſt. Hic primas tenent nutrientia iuscula pinguia, gelatinoſa, carnes frixæ & aſſæ, farinacea, panis bis coctus, dulcia, ſaccharata, paſſulata. His ex pharmaceutico fonte iunguntur emulſiua cum gummi tragacanthæ.
4. Inſpiſſationem denique inferunt tam acida, quam abſorbentia. Si orgasmus ſit coniunctus, incraſſatio etiam perpetratur per acidum vitrioli, nitri, optime vero per nitrum purum cryſtalliſatum, aut regeneratum.
5. Materia acris incraſſata in corpore relinquenda non eſt, ne vias impediat & ſtaſibus magis anſam præbeat; quare præparata quantocyus educenda eſt.

VII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. In hoc actu præcipue attendendum eſt, ne methodus per-

peruertatur, & humoribus adhuc acredine inquinatis incraſſantia fortiora ſtatim ab initio opponantur, aut viis adhuc impeditis incraſſatione materiæ noxiæ ſtaſibus ſimul anſa præbeatur. Semper itaque lenia euacuantia ſunt præmittenda, ſic reliqua humorum correctio eo melius ſuccedet.

2. Hoc eo magis in catarrhalibus pectoris adfectibus ſedulo obſeruandum eſt, ne partes acres in pulmonibus remaneant & exulcerationis labem iisdem affricent.

3. Sic eamdem ob cauſſam materia correcta ſtimulo euacuatorio indiget, ne nouis morbis aditus aperiatur.

4. In tuſſi contumaciori ſicca attendendum, an re vera a materia acri, circa pectus hærente & irritante, illa proueniat, an vero hypochondriaca ſit. In caſu enim poſteriori vulgaria illa becchica, ſpiſſiusculam ſubſtantiam inferentia, plus damni quam emolumenti adferrent.

5. Dulcia, quæ nulla inſigni acrimonia coniuncta prædita ſunt, vti paſſulæ, glycirrhiza, ficus, ſiliqua ceratonia, magis proſunt, quam ſaccharum, quod facile tenacitatem importat.

6. Nitrum temperat acrimoniam ſeri & aliquam mucilitatem inducit; idem præſtat cryſtallus montana.

7. Acida magis ſanguinem & lympham inſpiſſant, & commode adhibentur, vbi horum exæſtuationi occurrendum eſt. Proſpiciendum autem eſt, ne in rheumate acriore aut pectoris vitio dentur, nec alioquin largius concedantur, ne facile cum abſorbentibus & pinguibus coniungantur, quia celerrime incraſſant, & tenacitatem viſcidam inducunt. Idem de terreis tenendum eſt.

8. Et quia pulpoſa illa & mobilis incraſſatio facile in tenacitatem abit, aut euacuatio mox ſubiungenda, aut correctio adiicienda.

9. Humores nimis tenues vix vmquam pure aquoſi, ſed plerumque ſimul acriores ſunt. Tanto magis in incraſſatione humorum ab acribus, attenuantibus & ſtimulantibus

tibus abſtinendum eſt. Abſint itaque omnia ſalſa, aromatiſata, vinum, aliique potus ſpirituoſi, ira, venus, motus fortior.

10. Dyscraſia, vel praua humorum mixtio, omnino incraſſationem reſpuit.

11. Primarum viarum impuritas prius educenda eſt, quam incraſſatio ſuſcipiatur.

12. Nulla fieri poteſt incraſſatio, quin ſimul motus obtundatur.

13. Hoc memori mente tenendum, quod humores ſpiſſiores redditi difficilius moueantur, impeditius quoque ſe- & excretiones ſubeant.

14. RADIX LILIORVM ALBORVM

1) Ad hanc conſtituendam larga mucilago paucis ſulphureis & nitroſis particulis interpolata concreuit, e qua vires eius malacticæ, lenientes & maturantes ſcaturiunt.

2) Quapropter quotidie a chirurgis additur cataplasmatibus, tumores duros mollientibus & ad ſuppurationem perducentibus; nec plane inutilis eſt in clauis pedum & ambuſtionibus.

3) Incertius laudatur ad dolores hæmorrhoidum demulcendos, neque faciei maculas pro vana puellarum cupiditate tam pulcre detergit, neque hæmorrhoides aperire, neque ſanguinem coagulatum reſoluere, neque menſes & fœtum, vt quidam tradunt, expellere reperitur.

4) *Interne* frequentius dantur *flores liliorum albornm*, qui præcipue in aquam deſtillati prodeſſe referuntur in partu difficili, hyſterica paſſione, fluore albo, item in raucedine & pectoralibus morbis, catarrhis capitis & aphonia, *externe* in oculorum malis cutisque fœditate; *ſtamina* florum crocea, ſeu *antheræ*, ictero & pellendis menſibus deſtinantur. Sed notandum eſt, non abſimilem radici facultatem ineſſe floribus, tot tantisque effectibus, vt experientia hodie conſentit, fere vacuam.

5) Neque folia lilii tusa & imposita cancrum mirifice leniunt. Cæterum prostat & *oleum liliaceum*, seu *lirinum*, ad clysteres emollientes, paregoricos & illitu vterinæ regionis ante & post partum, aliosque memoratos vsus adhiberi solitum.

15. RAD. SYMPHYTI seu CONSOLIDAE MAIORIS.

1) Mucilago, cum copiosiore terra & acidulis quibusdam particulis connexa, viscidam huic radici consistentiam subministrat, indeque satis magnam incrassandi, coagulandi & adstringendi potestatem.

2) Non probamus autem eius vsum internum incrassandi aut alio scopo, quamquam encomia eius in fluxu aluino, dysenteria, hæmoptysi aliisque sanguinis profusionibus, vlceratione interna, phthisi, calculo, diabete, gonorrhœa non raro audiantur.

3) Profecto valida constrictione & oppilatione varias turbas inferre potest, sæpiusque infestiora morbo consectaria minatur, nisi quis illam cautissime & parce aliis interiungere norit.

4) Vnde tutior est *externa* huius radicis adplicatio, qua vtique laudabile præsidium suggerit in relaxatione partium, luxatione, fractura, contusione, punctura neruorum, sanguine congrumato, tum alibi tum post venæ sectionem existente. Sed hic quidem sub initio staseos mature admouenda est, antequam humores plane extra circuitum substiterint, alioquin factam stasin grauius stringet & pertinaciorem efficiet.

5) Confert etiam hernioſis, & infantibus præcipue compluries optatum tulit auxilium, non item adultis, quibus diu in dorso cubandi, aut quiescendi necessitas sæpe intolerabilis, interdum etiam noxia & periculosa est.

6) Cæterum & in vlceribus ac vulneribus conglutinandis laudatur; ancipiti vero retrocessionis euentu imponitur membris podagricis & ischiadicis, nec innocentius locis hæmorrhoidalibus, ad dolorem aut fluxum nimium reprimendum.

7) Opti-

7) Optime adplicatur in *cataplaſmate*, deinde in *emplaſtro.* Proſtant alias & *aqua deſtillata* & *ſyrupus* & *conſerua* florum in prænotatis adfectibus vulgo interne commendata.

16. FLORES VERBASCI.

1) Hi pariter ac herba in vſu ſunt, præcipue latifolia vulgaris lutea, quæ & *thapſus barbatus* dicitur, atque e tenui mucilagine temperatis ſulphureis & nonnihil oleoſis partibus intexta, ad effectum lenientem, paregoricum, emollientem & aliquantum reſoluentem inclinat.

2) *Interne* autem rarius hodie adhibentur, ex quo fit, vt allegata paſſim experimenta de vtilitate huius herbæ & partim radicis in pectoralibus morbis, catarrhis, dyſenteria, ictero, tympanitide, menſium promotione, quartana, peſtilentia, hæmorrhagiis, admodum ambigua & obſcura ſint, a frequentiore proinde vſu lucem acceptura.

3) *Extus*, & ſecundum nonnullos *interne* etiam, magna his auctoritas eſt in doloribus hæmorrhoidum cœcarum & tenesmo; vbi aptiſſime effectu leni quidem, ſed tamen egregio neruino admouetur *liquor*, in quem flores verbaſci, in vitro conditi, æſtu ſolis, vel in vitro maſſa panaria obuoluto, clibani calore fatiscunt. Hoc liquamen leuiſſime euaporatum per ſe in tenesmo, alias cum oleo ouorum illinitur.

4) Idem valet in procidentia ani non plane deſperata & ſordibus cutis ſerpiginoſis, & aliquantulum in contuſione tendinum ac neruorum; non æque in doloribus podagræ & dentium, aut in tympanitide; etſi huius morbi ſpecificum eſſe celebretur.

5) Dubie tandem hæc herba extus laudatur ad ſtaſes ſanguinis, vlcera, fiſtulas, ſtrumas, morſus ſerpentum. Cæterum ad vſum proſtant *aqua deſtillata*, *ſpiritus*, *oleum ex floribus*, quod præcipue ad clyſteres emollientes, itemque ad defluuium capillorum inhibendum & flauum his colorem conciliandum adhibetur.

17. MILIVM.

1) Siccius habetur hordeo, cæterum & inuoluere, incrassare, temperare, satisque eupeptum & bonum nutrimentum adsuetis præbere deprehenditur, præsertim si cum lacte vel iusculo carnis in pultem decoquatur.

2) Sigillatim hæc pulmenta quidem destinant aciculis, frustulis vitri deglutitis inuoluendis, vt sine noxa intestina transeant.

3) Celebratur alias decoctum milii sub nomine *syrupi S. Ambrosii* ad sudorem in febribus intermittentibus, variolis, immo in arthritide & hydrope salubriter euocandum; quod tamen an hordei decocto palmam hic præripiat, euidentioribus experimentis adhuc euincendum est.

4) *Externe* sacculi ex milio, cum sale tosto, laudantur in catarrhis capitis, cephalalgia feminarum, tinnitu aurium, surditate, torminibus ventris & pedum tumoribus.

18. ORYZA.

1) Qualitate & principiis parum abhorret a nostratibus auena vel hordeo, nisi quod nonnulli effectum alui paullulo magis stipandæ ei adscribant.

2) Inseruire igitur potest diætetice ad acrimoniam rheumaticam, bilioſam, phlogoses, ardorem vrinæ corrigenda, & commendatur præcipue dysentericis, fluxu cœliaco, lienteria, nimia hæmorrhoidum profusione, mictu cruento debilitatis; porro aliis hæmorrhagicis, hæmoptyicis & phthisicis, quos pulmenta eius probo temperatoque alimento reficiunt.

3) *Externe* farina oryzæ cum lacte detergit sordes in superficie cutis hærentes, & subinde clysteribus antidysentericis incoquitur.

4) Indi ex oryza *potum vinosum* parant, vti Tartari e milio eumdem sibi conficere traduntur.

19. PANIS.

1) Cum panis biscoctus etiam ad incrassantia diætetica vul-

vulgo referatur, placet hac occaſione de panis indole & vſu medico quædam ſubiicere.

2) Enimuero vt principiis abundat ad nutritionem neceſſariam ſufficientibus; ſic probe fermentatus non tantum principalem cibum præbet diuino teſtimonio probatum, concoctu facilem, naturæ acceptum, minimeque omnium faſtidium parientem, ſed & ad roborationem & analepſin quamdam ægris offertur.

3) Quo ſcopo laudatur panis ſimilagineus toſtus, & vino generoſo imbutus, ad vires vbique propemodum recreandas, & abortum præcauendum. Ac teſtantur auctores, vltimum hoc periculum in feminis iam ſæpius abortum perpeſſis, ſolo hoc euporiſto, quotidie mane ſumto, irritis aliis interdum fuiſſe auerſum. Sic & *Boerhauen* decoctum ex pane triticeo, cum furfuribus fermentato, bis cocto & aqua, additis vino Rhenano, paullulo ſucci citri, aquæ cinnamoni & ſacchari, vt analepticum in febribus, & alii ientaculum ex pane butyro illito in ſtomachi malis, vertigine, cephalalgia, debilitate virium, febrium epidemicarum peſtilentium graſſante contagio commendant.

4) Neque *externe* inefficax eſt, nam & lipothymicos odore ſuo reſocillare & e philoſophis *Democritus*, inſtantem vitæ finem ſentiens, in gratiam ſororis ſuæ odore panis recenter cocti mortem ad triduum remoratus celebratur. Certe *Beccherus ſpiritum*, e clibano, dum coquitur panis, auolantem, perlatis aquis omnibus analeptica virtute anteponit.

5) Porro inter domeſtica panis cum carui ſemine coctus & e furno recenter extractus diſſectusque, ac auri calide adplicatus, habetur præſtantiſſimus ad ſurditatem. Eiusdemque cruſta, additis vino & aromatibus, in vomitu, torminoſo alui fluxu, abortu præcauendo non minimam laudem meretur; neque ignotum eſt, quod tali vſui deſtinatur *emplaſtrum de cruſta panis* itemque *panis mellitus*, Pfefferkuchen;

quamquam ſatis adpareat, hic ſoli pani tantum effectum non eſſe tribuendum.

6) Cæterum panis primarius ſeu candidus, e flore farinæ confectus, leuiſſimus alendoque aptiſſimus; alter plebeius, ſeu ſecundarius, quem athletarum cibum olim *coliphium* vocabant, ob admixtam partem furfurum ſimul aluum magis abſtergere & aperire cenſetur; tertius furfureus ater eodem ſimul effectu minus alit, ſed tamen adſuetis inſigne robur addit, vt in Weſtphalis videmus.

7) Illud vbique tenendum eſt, panem optime fermentari & percoqui debere; alioquin facile ventriculum grauat, tenerisque pueris obſtructionem glandularum meſeræi, & otioſis feminis menſium vitia infert, præſertim ſi largius & calide adſumatur.

8) Sunt qui *panes medicatos* efficere docent, additis depſendæ maſſæ vel laxantibus, vel carminatiuis diſcutientibus, pro ſcopo, quem ſibi quisque propoſuit, etſi plerique hos auerſentur.

9) Ampliorem gloriam habet panis cum vino [illegible] in virium languore, atonia ſtomachi, flatulentia, vomitu, diarrhœa immo & in dyſenteria, oculorum morbis & in epilepſia, ſi nonnullis credimus. [illegible] panis cum [illegible] parem, [illegible] & [illegible] laudatur.

10) *Farina ſecalina* probe ſiccata cum ſale toſto & floribus ſambuci eryſipelati conducere, cæterum emollire & maturare tumores notatur. *Flos ſecalis*, qui amaricat, in febribus tertianis nothis, vermibus & colica a quibusdam adhibitus legitur.

20. TRITICVM.

1) Eſt pariter nobiliſſimum ſemen, quod optimum nutrimentum præbere cenſetur, etſi panis inde factus ocyus ſecali exareſcere & gratum ſaporem citius amittere quidam animaduertant.

2) In-

2) Inſeruit autem farina medicis ad eumdem vſum, quem præcedens adfert, ſed an in carbunculis peſtilentibus & doloribus podagricis tam mirifice valeat, quam prædicatur, item an pultes inde coctæ arthriticis & nephriticis adeo noceant, dubitamus. *Furfures* ſimiliter abſtergunt varias ſordes, inprimis capitis, & in balneo ſæpe vſurpantur.

3) Cæterum e tritico, per aliquot dies madefacto & emollito, exprimitur medulla, quam ſiccatam vocamus *amylum*, ex quo cocta pulmenta leniunt & incraſſant, ideoque a multis commendantur in rheumate acri, raucedine, tuſſi ſicca, hæmoptyſi, diarrhœa, dyſenteria, immo in quauis vlceratione interna, gonorrhœa, malacia.

4) *Externe* amylum ad intertrigines infantum, fiſſuras cutis, clyſteres lenientes in acrimonia & vlceribus inteſtinorum ſubinde adhibetur.

5) *Oleum* e tritico, inter duas candentes laminas extortum, in tumore malæ, rimis manuum a frigore excitatis, eryſipelate, maculis faciei, impetigine, vlceribus malignis, cancro ſatis amplas laudes habet, quarum fides eſto penes experientiam.

10. Avellana nvx.

1) Ex oleoſis mucilaginoſis & paucis acriuſculis partibus nuclei inuoluunt quidem, nutriunt & incraſſant aliquantum, ſed in faucibus & pectore irritationem efficiunt, in primis vetuſti, & ad medicum vſum rariſſime expetuntur. Recentes præcipue immaturiores diarrhœæ ac dyſenteriæ anſam præbere poſſe, obſeruantur.

2) *Oleum* vero ex his *expreſſum* a quibusdam magni æſtimatur in renum vitiis & calculo pellendo; ſed in his amygdalino haud præcellit, neque vi anodyna dolores arthriticos tollere poteſt. Neque maior fiducia collocanda eſt in *putaminibus* cum cuticula pulueriſa-

ſatis, quæ in pleuritide, diarrhœa & fluore albo proficere nonnulli referunt.

3) De *ligno* huius nucis, ſeu *corylino*, multæ fabulæ narrantur. Nec procul abſunt a ridenda ſuperſtitione, qui *viſcum* eius aduerſus paralyſin, epilepſiam & veneficia collo adpendunt.

4) *Spiritus* huius ligni *acidus*, quem volatilem & ſpiritus vini inſtar ardere perhibet *Ettmüllerus*, vires cephalicas, antiparalyticas, antepilepticas, anthelminticas & anodynas habere narratur. Quas magnas dotes *oleo* ligni deſtillato & rectificato, vtpote quod pro decantato illo *Heraclino Rulandi* reputatur, adhuc magis adſignant, ſed vtique maiore ſpe, quam fidelis experientiæ ſuffragio. Pariter *ſulphuris vegetabilis*, in iulis coryli, non ſecus ac in muſco clauato, reperiundi, incerta eſt commendatio ad epilepſiam, atrophiam, febres.

22. Berberes.

1) Hi fructus oxyacanthæ ſatis valenter acidi ſunt, & qualitate ac effectu non abhorrent a ſucco citri, niſi quod hic paullo gratior & naturæ acceptior habeatur.

2) Itaque plura de iis non perſequemur, contenti monuiſſe, *ſyrupum* de berberibus frequenter in febribus acutis iulapiis immiſceri; cæterum *acinos*, ſeu ſemen fructus, ex adſtrictoria vi diarrhœis vulgo etiam opponi.

3) *Cortex* ligni *intermedius* flaueſcens in vino vel aqua decoctus ad ſtomacacen dentiumque dolorem ac vacillationem laudatur.

23. Cerasa.

1) Ex innumeris pene generibus ad medicum vſum deliguntur *nigricantia acida* & *dulcia*.

2) Pri-

2) Prima præcipue ad hanc classem pertinent, vtpote ad incrassandum ac temperandum non inepta; quocirca illos, qui siccitate oris, siti & æstu immodico, vitiis biliosis, indeque orto languore ventriculi, aut virium fatigantur, ac de reliquo acida bene ferunt, salubriter reficiunt. Quo scopo vsurpantur hæc cerasa vel *condita*, vel *siccata* & *decocta*, vel in *syrupum* redacta.

3) E *dulcibus nigris* parantur *aqua* & *spiritus* cerasorum, ob gratiam & egregiam virtutem analepticam ac neruinam, ab omnibus merito laudata, & pluris adhuc pendenda, si in apoplexia, conuulsionibus, vertigine, maximeque in paralysi & loquela amissa celebratas vires constanter ostenderent.

24. CYDONIA MALA.

1) Habentur pyra & mala. Vtraque incrassant moderateque adstringunt, & iisdem morbis, quibus cerasa acida conueniunt, cum fructu subinde destinantur. Maiorem tamen laudem habent in ventriculi debilitate & fluxu aluino, atque analepsi præstanda.

2) Dubie vero prædicantur in venenis & pestilentia, & qui grauidis ea ad singularem vsum maximeque ad embryonis ingenium & pulcritudinem augendam conferre aiunt, proiicere ampullas videntur.

3) In officinis prostant, *rob*, *miua* seu *panis cydoniatus*, *syrupus*, *vinum cydoniorum*.

4) *Semen* ex mucilagine sua terrestri & cum paullulo acidi permista eamdem petit qualitatem, ac præterea ad leniendum inuoluendumque vtile est. Quapropter haud vane *mucilago* eius, aqua quadam destillata extracta, præbetur in ardore linguæ, inflammatione faucium, gingiuis laxis, fluxu aluino, ardore vrinæ, acri inflammatione oculorum ambustione, fissuris cutis & papillarum, a quibusdam etiam in dysenteria & sudore nimio laudatur. Ce-

terum dolentibus hæmorrhoidibus ea cautione adplicanda eſt, ne adſtrictione, quam ſimul aliquatenus infert, damni quidpiam adportemus.

25. DACTYLI.

1) Palma, quæ hos fructus profert, arbor per totum orbem celebratiſſima, fronde perenni, & in tertium vsque ſeculum viuax, in regionibus Aſiæ maxime aliisque palmiferis tot vtilia fundit, vt ad victum tectumque & alias commoditates ibi ſufficiat, meritoque omnes diuinam benignitatem venerari compellat. De quo pluribus inter recentiores *vid. D. Kæmpfer. amænit. exotic.*

2) Ad vſum medicum autem inſeruiunt *palmulæ* ſeu *dactyli*, qui e partibus mucilaginoſis, ſulphureis & ſalinis acidis conflati indeque ſub dulcedine adſtrictionem quamdam fouentes & ad inuoluendum coagulandumque apti cenſentur.

3) Proinde eos ad cohibendum alui fluxum & hæmorrhagiam commendatos legimus, quamquam liberalius dati ventriculum ſimul grauare aut flatibus diſtendere ſoleant. Moderato autem vſu conueniunt præcipue hæmoptyicis, & in tuſſi acri, tenui, catarrho faucium, ſtranguria & venereo alioque vrinæ ardore leniendo.

4) Incerte laudantur ad fluorem album, arthritidem & roborationem fœtus, ne præmature elabatur; quin Perſæ vſum eorum immodicum oculis nocere aſſerunt, quamquam alii vitia horum ſenſuum ibidem frequentia aliis potius cauſſis, quam dactylorum victui, adſcribere malint.

5) *Extus* Indi *pulpam* eorum inponunt extrahendis e pede feſtucis aut aculeis; *Ioël* autem *oleo* dactylorum partes excoriatas & procidentem anum oblinere iubet.

6) *Os-*

6) *Officulum ſulcatum*, quod palmulæ in eſt, *Foreſtus* ad partum, alii ad calculum pellendum, ſed dubie, prodeſſe referunt.

7) Cæterum veteres hodieque Natoliæ incolæ, ſed clanculum ob Muhammedis interdictum, vinum e dactylis aqua perfuſis fermentant; itemque ſpiritum ex iis parant ad cruditates & tormina laudatum.

26. GRANATA MALA.

1) Sic dicuntur a granis, quibus referta ſunt, alioquin etiam punica adpellantur, & in *acida vinoſa* ac *dulcia* diſpeſcuntur. Primorum ſuccus citreo, reliquorum indoles aurantiis magis accedere videtur, quorum vſum cum ſupra latius indicauimus, quidquid ibidem diximus, non opus erit hic repetere.

2) Etenim nullam hæc in æſtu ſanguinis, dyſenteria, feminis profluuio, febribus malignis, prærogatiuam mereri confirmat experientia.

3) *Grana* ſeu *acini* fluxum aluinum & vterinum ſiſtere, cæterum & calculum pellere & dentes firmare dicuntur. De *cortice* vero granati & balauſtiis alibi loquemur.

4) In officinis proſtant *ſyrupus granatorum*, acidorum & dulcium, itemque *vinum granatorum*.

27. IVGLANS NVX.

1) Arbor horum fructuum ferax præſtantiſſima habetur, cuius nulla fere pars eſt, quin ad ſubſidia medica traducatur; quæ tamen an tantum commodi inde ferant, quantum pollicentur auctores, non pauci hodie ambigunt.

2) Certe *nuclei* nucis, etſi inuoluant, temperent, nutriant; magis ob ſaporem expetuntur, quam vtile & neceſſarium pharmacum præbent, quid? quod vetuſtiores, inprimis ob acrimoniam, quam fouent, pectori & capiti ſæpe nocere deprehenduntur. Alexipharmacam autem eorum efficaciam, quam veteres mirum in modum deprædicarunt, iam *Caſp. Hofmannus* redarguit. Nec minus ſperantem fallit adſcripta vis emmenagoga.

3) *Septum*, quod crucis forma nucleum diſtinguit, laudatur paſſim in colica, epilepſia, pleuritide, fluore albo, tumore vuulæ; ſed nondum ſatis expertum eſt, & a multis pro nomine ſuo nauci fit.

4) *Viridis cortex*, qui acido adſtringente quaſi vitriolico ſcatet, emeticus & ſucco ſuo capillos denigrare cenſetur; *aqua* autem eius deſtillata in venenis, peſtilentia, lumbricis, ſanguine congrumato, hydrope, calculo, epilepſia vertigine & externe in vlceribus, puſtulis oris, ſynouia, aurium ſuſurro, pilorum auferendorum caſu, magnam vtilitatis famam conſecuta eſt, quæ quidem pluribus experimentis inclareſcet. *Succus inſpiſſatus* cum melle, ſeu *rob nucum*, ex hoc cortice pari vſu frequentatur in inflammatione colli, tonſillarum, vlceribus oris, catarrhis, quin & in aſthmate alicubi laudatum proſtat.

5) Pertinent huc *nuces* recentes immaturæ *conditæ*, quas ad analepſin & roborationem præſtandam itemque ad venena commendatas legimus. Sed quidquid efficiunt additis magis aromatibus, quam nucibus tribuendum eſt.

6) Incertius *iuli*, vim emeticam non raro edentes, laudantur in dyſenteria, malo hyſterico, menſibus

bus nimiis, colica. Idem iudicandum videtur de *ſucco radicis* menſe februario poſt inciſionem effluente, quem dolores dentium, nephriticos, podagricos, cephalalgicos mirifice placare quidam perhibent.

7) Cæterum & *cortex intermedius arboris* vomitum ciere, *cortex radicis* veſicam euocare, pulſui febrientium impoſitus; & *oleum* ex aridis nucibus *expreſſum* in fiſſuris manuum, ambuſtione, ſcabie, ſuggillatione, colica, vermibus, ſuſurro aurium conferre dicitur.

28. MORA.

1) Habemus *alba* & *nigra*. Hæc magis nota & vſitata atque ob leues acidas & ſubtiliter terreas partes temperandi, ac paullulum adſtringendi facultate inſtructa ſunt. Quo præcociora autem exſiſtunt, eo magis adſtringunt, præcipue exſiccata. Matura dulciora ſunt, & facile, ſi largius comedantur, ob fermenteſcentem vim, primis regionibus moleſta; ſed præ aliis neutiquam, vt nonnulli credunt, podagricis & arthriticis vtilia.

2) Maxime autem in vſu eſt *rob diamoron* in faucium & oris malis, idque ſæpe cum *rob dianucum* præſcribitur in gargariſmatibus, ſed tamen notare expediet; hoc vltimum in mucoſo ſtatu, rob diamoron autem in calidiore inflammatorio v. g. angina ſanguinea eſſe conuenientius.

3) *Cortex radicis* mori aduerſus diarrhœam, fluorem album, menſes nimios, præcipue vero ad lumbricum latum interficiendum valere prædicatur. *Folia etiam*, bombycum alias pabulum, in morſu venena-

to, dentium dolore, calculo frangendo laudem habent, ſed huc vsque ambiguam.

29. POMA *ſeu* MALA.

1) Varia horum genera ſunt, inſipida magis ſucculenta, acida, dulcia, vinoſa, e quibus ad medicum vſum hæc vltima ſeliguntur, in primis *Borsdorfiana* & alia horum naturæ acido vinoſæ, leui ſimul mucilagine interfuſæ, propiora. Huiusmodi enim poma abſtergere, lenire, inuoluere & temperare deprehenduntur.

2) His ergo cum ſolatio inter cibos frui poſſunt, qui bilis acrimonia, phlogoſi & congeſtionibus ſanguinis, obſtructione alui, motibus hypochondriacis, glandularum meſaraicarum vitiis, ictero, immo & hectica ac phthiſi conflictantur. *Ettmüllerus* quoque *ſuccum* eorum & *ſyrupum* in melancholia, lipothymia & palpitatione cordis præcipueque in phlogoſi & aluina infantum obſtructione commendabilem exiſtimat.

3) *Poma putrida* in cataplasmate, vel *aqua* eorum *deſtillata* in inflammationibus, ophthalmia, gangræna, excreſcentiis & ſordibus cutaneis, pernionibus, ambuſtione, vlceribus non minimum momenti habere cenſentur. Hyperbolice vero illorum vires ad fiſtulas, cancrum, lupum, carbunculos peſtilentes nimis vulgo ampliari nemo fere expertus negabit.

4) Cæterum proſtant ex pomis *ſyrupus ſimplex* & *compoſitus*, *aqua deſtillata*, *vnguentum pomatum*. Neque incogniti ſunt, præſertim in Gallia atque Anglia, *liquores vinoſi* fermentatione e pomis producti, quos *Cidre* vocant. Certe nuper eiusmodi vinum eſo-

e ſolis Borsdorfianis a perito quodam œconomo paratum fuiſſe generoſitate & gratia ſingulari Nicrino æmulum recordamur.

5) *Malis ſylueſtribus* paruis magna auſteritas ineſt, & vis conſtringendi, vſus autem rarior, niſi quod a nonnullis ad varos & ionthos, diarrhœam, dyſenteriam, ſpasmos, bubones peſtilentes, ſed perquam dubie, conferre adlegentur.

6) *Mala* ſeu *poma* ſic dicta *Adami* aurantia magnitudine multum ſuperant, qualitate acida limoniis propiora, ſed minus vſitata.

7) *Melanzana*, ſeu *mala inſana* iam ex nomine ſuo ſuſpecta & noxia habentur, quamquam alii ab Italis ea non refugi, ſed fungorum more cocta ſine nocumento manducari referant.

30. PYRA.

1) Pomis proxime accedunt, ſed tamen pleraque acerbiora magisque adſtringentia exſiſtunt. Inprimis exſiccata, ſine humido comeſta, aluum vehementer conſtipare reperiuntur. Mitiſſima vero ſunt & ob ſuauitatem primas ferunt *Muſcatellina*, quæ propterea condita ægrotantibus ad analepſin quamdam offerri ſubinde videas.

2) Cæterum pyra *cocta* crudis præferuntur, & *ſuccus* eorum, cum ſaccharo probe inſpiſſatus, vtilis ad plebem reficiendam, decoctum e pyris ſiccatis alibi ad febrilem æſtum mitigandum conueniens iudicatur.

3) Galli quoque e pyrorum iuxta ac pomorum ſucco acetum forte itemque ſpiritum cum vinoſo certantem, & Heluetii in Turgouia muſtum durabile, & liquorem nobilem, vinum maluaticum ſimulantem, inde parare dicuntur.

4) De-

4) Denique pyra *putrida* nodis mammarum calide impoſita, nec non ſphacelo adhibita legimus. *Pyraſtra* etiam, ſeu ſylueſtria pyra cum auſteris illis ſylueſtribus malis conueniunt.

31. RIBES ſeu GROSSVLARIA NON SPINOSA.

1) Ribeſia ſunt vel *alba*, vel *rubra*, vel *nigra*. Priora duo ſatis concordant, & rubra præcipue, vt vſitatiora, ſucco acido, acinis adſtringentibus paucisque ſulphureis particulis referta, incraſſantibus haud iniuria adnumerantur.

2) Ad ſpecialem autem vſum inſeruiunt, vt alia huius generis e. g. berberes, ceraſa acida, de quibus paullo ante diximus, cæterum in febribus, hæmorrhagiis, ſeminis profluuio nullam merentur prærogatiuam.

3) Componuntur ex his venalia *rob*, *baccæ conditæ*, *ſyrupus*; iulapiis, electuariis, æſtum ſitimque leaturis, admiſceri ſolita.

4) *Nigra* ribeſia, eorumque *folia*, valde olentia, ad calculum, iſchuriam, ſtranguriam; ſuperſtitioſius autem ad arthritidem, conuulſiones, paralyſin curandam in vſum transferuntur.

5) Hyemali tempore frutex purpureas *gemmas*, ſclaream aut ſambucum redolentes, protrudere narratur, quibus cœnopolas vti aiunt, ad vina ſapore moſchato ſuauiſſimo imbuenda.

32. GVMMI ELEMI.

1) Eſt magis reſina inflammabilis, quam gummi, ac hodie ex Americana quadam arbore ſtillare dicitur, cum tamen veteres ſuum Elemi lacrimam oleæ Aethiopicæ eſſe tradiderint, quæ an cum hodierno noſtro Elemi conſonet, viderint, quorum intereſt.

2) De-

2) Deuehitur ad nos in maſſis cylindraceis, & albicans, clarum, aut paullo flaueſcens, pingue & fragrans, odoris pene fœniculi, aliis præoptatur. Quamquam autem nonnulli efficaciam illi ſarcoticam adiudicent; tamen neſcio quomodo ad incraſſantia relatum ſit, cum vires eius roborantes & reſoluentes magis perſpicue eluceant.

3) Interne nullum, quantum huc vsque innotuit, vſum, *extus* vero præclaram opem fert partibus teneris & exquiſitiore ſenſu gaudentibus, præcipueque capitis & cranii læſionibus, vulneribus punctim inflictis, vulneribus & tumoribus articulorum, tendinum & neruoſarum partium deſtinatur.

4) Aliis laudantibus prodeſt etiam in contuſionibus, ſanguine congrumato, vlceribus, dentium dolore, ac deſtillatum per retortam *oleum* eius in paralyſi, contractura & tremoribus.

32. GLVTEN.

1) Quod ſcriniarii habent, non eſt in vſu medico, ſed ab opificibus tantum ad hæmorrhagiam leuiorem vulnerum compeſcendam adhibetur.

2) Aptior ad vſum eſt ICHTHYOCOLLA ſeu glutinoſa illa & mucida tenax materia, quam ex cute, interaneis, pinnis & cauda piscis cuiusdam, *Huſo* dicti, aqua excoqui, in ſpiras denique cogi & e Moſcovia adportari auctores memorant.

3) Hæc maxime incraſſat, inuoluit & conglutinat, quapropter in tenuibus catarrhis, hæmoptyſi, acrioribus vitiis bilis, indeque orta diarrhœa & torminibus, ſtatu ſanguinis nimium volatili & in ebullitiones prono, gingiuarum cruentatione vtilis prædicatur. Nec minus in fractis oſſibus commodam præbet materiam, quam ad neceſſariam calli geneſin natura impendere poſſit. Appoſite vero hoc gluten gelatinis aliis immixtum porrigimus.

4) *Externe* in vulneribus & vlceribus eo moderatius adhibendum eſt, quo magis ſubinde ob viſcidam na-

turam, nondum perfecta debita repurgatione, infidam conſolidationem accelerare poteſt.

33. MEDVLLA ANIMALIVM.

1) Quod ſi accuratius loqui velimus, hæc eius indolis eſt, vt potius emolliat, demulceat, nutriat & aliquantum expectoret, quam vt vere incraſſantium familiæ inſeri mereatur.

2) Ex prædictis igitur qualitatibus intelligi poteſt, medullam aluum ſiccam lubriciorem reddere & acrioribus malis, pectus eiusque viciniam ac vrinarias vias obſidentibus, cuidam eſſe lenimento, etſi hectici & phthiſici fruſtra hinc efficax ſolamen exſpectent, cum potius largius adſumta ſubtili ſua pinguedine humores nimium commouere poſſit & temperata nutriendi virtute gelatinis multum concedat.

3) *Externe* medulla, cum aliis miſta, ad mitigandos dolores & tumores molliendos ac maturandos vti poſſumus.

34. OVA GALLINACEA.

1) De horum *teſtis* ſupra diximus. *Interiora* vero vti alimentum ſuaue, ſimplex & cito reficiens ſuppeditant; ita de reliquo ad incraſſandum, leniendum, temperandum variosque vſus externos accommodatam materiam continere reperiuntur.

2) Benigna igitur eorum efficacia ſubleuantur illi, qui nimiis excretionibus aliisque de cauſis exhauſti languent, aut qui tenui catarrho, tuſſi acriore, tabe, phthiſi, nephritide calculoſa, bilioſo acri & ſanguinolento alui profluuio laborant.

3) *Ouum crudum*, mane *ſorbillatum*, ad claritatem vocis, *durum* & pauco aceto ſubactum ad diarrhœam ſedandam, *ſorbile* ad molliendam aluum ſubinde vſurpatur.

4) *Vitellus oui* magis nutrit & *albumine* pinguior eſt, atque e gallina mactata exſectus in fluxu menſium rebelli a *Lentilio* commendatur. Neque *pellicula exterior*, inter teſtam & albumen ſita, contemnendum plane ſubſidium eſt ad contuſiones infantum & acrio-

res

res oculorum congeſtiones; licet albuminis in ſpumam probe agitati virtutem adhuc certiorem eſſe plures adfirment. Fruſtra autem quis ſperauerit, a *cicatricula*, prima pulli rudimenta in ouo conſtituente, ſublatum iri ſterilitatem, aut pariendi difficultatem.

5) *Externe* ouorum interiora pariter demulcentem & paregoricum effectum edunt. *Vitellus* etiam abſtergit & ſuppurationem nonnihil promouet, frequenter ideo digeſtiuis vnguentis admiſceri ſolitus, vbi fermenteſcens & in acetoſam corruptelam procliuis mellis indoles ab eo non multo minus quam a terebinthina temperatur. Eodem ſcopo leniendi balſamis vulnerariis adiungitur, & ſæpe clyſteribus inditur. *Albumen* quod & refrigerare & quaſi glutinare quibusdam cenſetur, vti dictum, in inflammatione præcipue oculorum vtile eſt. Vtraque cum oleo lini permiſta in ambuſtione & pernionibus probantur.

6) Inter ouorum præparata eminet *oleum*, poſt aliquam toſtionem vitellorum expreſſum, quod & dyſentericis intus dari & fructuoſe fiſſuris papillarum aliarumque teneriorum partium, ſerpiginoſis ſordibus, achoribus, vſu demulcente, atque vlceroſam ſeceſſionem leniter promouente, adeoque ad conſolidandum & cicatricem denique læſionibus obducendam adplicari poteſt. *Etmüllerus* hoc oleum per colaturam, lotionem, adiecto prius pauxillo ceræ liquefactæ, & digeſtione in ſole purificare docet, idque ad foueas e variolis relictas, vſum cosmeticum, ambuſta, inprimisque herniam egregie valere prædicat.

7) Inuſitatum eſt *oleum ex albumine* per retortam deſtillatum, quod ſolis inſtar fulgere & dolores hæmorrhoidales ſedare, eodem auctore diſcimus; Neque tanti eſt limpidus, albumini ſuppar liquor, qui ex ouis ad duritiem coctis & perforatis in frigore exſtillat, ad fucum cum aliis adhiberi conſuetus; neque

aqua deſtillata, nedum *ſal volatile* & *oleum fœtidum* ſingulares vires obtinent.

35. ANGVILLÆ

1) Harum vſus ad incraſſandum minus innotuit, ne dicam ineptus eſt, certe multis aduerſus, & cum tot meliora proſtent, ſuperuacuus.

2) De *iecinoris* vero & *pellis* anguillæ viribus iam alibi mentionem fecimus. Illud heic adiicimus, tentari poſſe pinguedinis huius piſcis vſum, quem nonnulli in auditu difficili, capillorum geneſi iuuanda, & cum *oleo momordicæ* in doloribus hæmorrhoidum commendant.

36. COCHLEÆ.

1) Conquiruntur ad vſum præcipue cochleæ teſtaceæ maiores, iuxta vites reperiundæ, nec non *rubræ*, quas *limaces* dicimus, rothe Wege-Schnecken.

2) Harum *caro* & *iuſcula* inde cocta, inprimis ſi ante per aliquod tempus ſaccharo & farina paſtæ ſint cochleæ, a quibusdam cenſentur optime ſolari tabidos, hecticos & phthiſicos; ſed quia concoctu difficiles ſunt, multisque faſtidium, nec de cetero inſigne leuamen pariunt, merito his anteponuntur gelatinæ.

3) *Domunculæ* congeneres putantur *cancrorum* fluuiatilium teſtis, atque, vt diureticæ, in hydrope & nephritide vtiles.

4) *Externe* liquori, e contuſis cochleis adiecto ſale emergenti, tribuitur vis refrigerandi & abſtergendi, vnde cutem paullulum nitidam reddit, & podagricos alioſue dolores ardentes ſopire, quin & tumores hydropicos reſoluere prædicatur. At cauendum eſt, ne forte ſubitanea repulſione noceamus.

37. OSTREÆ.

1) Præ cochleis habentur in deliciis; ac temperate alendi reſtaurandique viribus, vt multorum ſententia eſt, refertæ, ad medicum vſum quoque interdum deuocantur. Inprimis autem quidam eas conſecrant hectico & phthiſico ardori, ac maciei reficiendæ; id quod

quod ſalubriter factum eſſe *Lindanus* & *Tulpius* exemplis illuſtrant quidem, ſed imitatores tantæ vtilitatis teſtes paucos omnino habuiſſe videntur. Neque hodie magna illarum efficacia in hiſce malis reperitur, præſertim ſi vera vlceratio præſto ſit, & ſtomachus ad oſtreas, alioquin non ita eupeptas, bene ſubigendas infirmior.

2) De teſtarum vſu ſupra diximus.

TABVLA XIV.
DE
RESOLVTIONE.

I. *DEFINITIO.*

Reſolutio eſt ſpecies therapiæ alterantis, qua humores ſpiſſi, tenaces & lenteſcentes, ad motum liberiorem ineptiores, & varias oppletiones mucidas, ſtagnationes, infarctus & ſcirrhos inducentes, per conuenientia remedia attenuantur, diſſoluuntur, & mobiliores atque fluidiores redduntur, vt & motui progreſſiuo facilius obediant, &, ſi neceſſe fuerit, euacuari poſſint.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Actus hic reſolutorius omnino diſcernendus eſt ab *apertione*, hæc enim partium *ſolidarum* adſtrictioni & occluſioni, reſolutio vero *fluidarum* ſpiſſeſcentiæ & incraſſationi opponi ſolet. Ii vero, quorum animos theoria de *obſtructionibus* nimium occupauit, ſub aperientibus remediis reſoluentia & alia eius generis comprehendunt, & ita hos diuerſos actus pro vno habent. Quamquam autem negari non poſſit, reſolutionem apertioni inſeruire, & ipſam apertionem per modum

reſolutionis tum contingere, cum humores ſpiſſi vias occludant: tamen hi actus inter ſe diuerſi ſunt.

2. Comprehenduntur autem ſub hac therapiæ ſpecie remedia ſic dicta *incidentia*, *colliquantia*, *reſoluentia*, *diſcutientia:* immo quodammodo *præparantia*, *digeſtiua*, *abſtergentia*, *abſorbentia*, *lenientia*, quæ omnia in certum finem pro vitiata humorum conditione ordinantur & ſibi inuicem inſeruiunt. Nam

1) *incidentia* potentioris ſunt efficaciæ, & offeruntur humoribus mucido-viſcoſis, primis viis & pulmonibus tenaciter adhærentibus, qui ſimplici reſolutione, aut dilutione attenuari non poſſunt.

2) *Colliquantia* eiusdem cum incidentibus ſunt efficaciæ; quando enim hæc ſalina remedia cum aliquali humiditate ſoluuntur, tum ope huius vehiculi aquoſi humores mucidos efficacius penetrant, attenuant, eliquant.

3) *Reſoluentia* mitioris ſunt indolis, & ſanguini coagulato, ac lymphæ cohærenti proprie deſtinata; *diluentia* autem adpellantur, quæ ſpiſſiores humores ſimplici *humectatione* reddunt tenues.

4) *Diſcutientia* magis opponuntur ſtagnationibus, ſtaſibus, obſtructionibus & inflammationibus internis, deinde etiam ad *topicum* vſum ſeſe extendunt.

5) *Præparantium* hic quoque mentionem facimus, ſunt autem illa potius remedia generaliora, quæ non tantum ad humores ſpiſſos volubiliores reddendos; ſed etiam fluidiores coagulandos & præparandos apta ſunt.

6) *Digeſtiua* audiunt, quæ mucum & ſaburram primarum viarum, febres intermittentes, anorexiam & diarrhœas generantem, digerunt, præparant & reſoluunt.

7) *Abſtergentia* interna ſpiſſiores & ſimul impuras materias a partibus ſanis & integris, aut etiam ex vlceratis, e. g. pulmonibus, renibus, remouent & vias ſimul exſtimulant, vnde clyſteribus quoque adduntur. Exter-

ne adhibentur in vlceribus, ab inquinamentis fœtidis mundificandis.

8) *Abſorbentia*, præcipue teſtacea, ad ſpiſſitudinem ſanguinis ab acido proſunt, dum tenacitatem materiæ in pulpoſam ac volubilem conſiſtentiam redigunt, non tamen vllo modo abſorbendo, quam potius accreſcendo.

9) *Lenientia* pro ſcopo emolliente & elubricante ordinantur, quæ pinguibus & oleoſis ſuis ſubſtantiis effectum reſolutioni æmulum poſt ſe relinquunt.

3. Dein huic actui therapeutico multum eſt commercii cum diaphoreticis, diureticis, antiſcorbuticis, antiuenereis.

4. Dispeſcitur vero reſolutio

1) in *generaliorem*, quæ toti humorum maſſæ, ſpiſſitudine nimia laboranti, proſpicit.

2) in *ſpecialiorem*, quæ iterum duplex eſt, dum nempe

a) vel partem quamdam ſanguinis, e. g. lympham, vel rubicundam ſubſtantiam plus iuſto ſpiſſiorem, corrigit.

b) Vel ſanguinem, in certo quodam corporis loco ſtagnantem atque coagulatum, priſtinæ fluidiori conſiſtentiæ reſtituit.

III. *INDICANTIA.*

1. Reſolutionem in genere indicat omnis humorum ſpiſſitudo, tenacitas & viſciditas ad motum progreſſiuum & inteſtinum inepta.

2. In ſpecie vero indicantur reſoluentia

1) In craſſitie ſanguinis hypochondriaca, melancholica.

2) In ſtaſibus ſanguinis inflammatoriis internis & externis.

3) In mala mixtione ſanguinis corruptiua ſcorbutica, item in venereis inquinamentis requiruntur quidem etiam reſoluentia, ſed de hac reſolutionis indole ſequente tabula, quæ de *cacochymiæ correctione* agit, dicemus.

4) In obſtructionibus & ſcirrhis glandularum viſcerumque lymphalibus, cachecticis, hydropicis.

3. Par-

3. Particulariter reſoluentia indicantur,
   1) In vitio primarum viarum.
   2) In congeſtionibus catarrhalibus mucoſis ad caput, pectus, ſtaſes lymphales grauedinoſas, aſthmaticas generantibus.
   3) In ſtaſibus mucoſis in & circa partes vrinarias, ad calculi geneſin procliuibus.

IV. *INDICATA ſeu REMEDIA.*

1. *Reſoluentia.*
   1) *Sanguinis grumoſitatem* reſoluunt.
      a) *Vegetabilia.*
         α) *Interna.*

Radix Angelicæ
Apii
Ari
Ariſtolochiæ rotundæ
Bardanæ
Bryoniæ
Carlinæ
Cariophyllatæ
Cichorei
Dictamni albi
Doronici
Galangæ
Gentianæ vtriusque
Helenii
Imperatoriæ
Leuiſtici
Mei
Petaſitidis
Pimpinellæ albæ
Rhabarbari
Rubiæ tinctorum
Taraxaci
Valerianæ
Vincetoxici
Zedoariæ.

Herba Abrotani
Abſinthii Pontici
Beccabungæ
Bellidis hortenſis
Betonicæ
Calaminthæ
Cardui benedicti
Centaurii minoris
Ceterach.
Chærefolii
Cochleariæ
Fumariæ
Geranii maioris
Hepaticæ nobilis
Hyſſopi
Maioranæ
Marrubii albi
Matricariæ
Meliſſæ

Morſus

Morſus Diaboli
Naſturtii
Origani
Pulegii
Rorismarini
Saluiæ
Satureiæ
Scabioſæ
Scordii
Serpilli
Teucrii veri
Flores Anthos
Arnicæ
Bellidis
Calendulæ
Centaurii minoris
Chamomillæ
Cheiri
Croci
Cynani
Galegæ
Matricariæ
Meliloti
Origani
Saluiæ
Sambuci
Stœchados Arabicæ
Vlmariæ.
Semina calida maiora & minora
Cardui benedicti
Mariæ
Carthami
Dauci
Sinapios.
Cortices Aurantiorum
Citri
Cinnamomi
Fructus Piper, &c.
Gummata: Ammoniaci
Galbani
Myrrhæ
Sagapeni
ε) *Externa.*
Radix Bryoniæ
Iridis Florentinæ
Sigilli Salomonis
Herba Chærefolii
Hedera arborescens
Flores Calcatrippæ ad oculos
Lignum Fraxini circa ſolſtitia
Camphora.
b) *Mineralia.*
Lapis Bezoardicus
Oleum Succini
Spiritus fuliginis
Nitri & Salis dulcis tartari.
2) *Lympham & ſerum corrigunt.*
a) *Vegetabilia.*
α) *Interna.*
Radices ſupra iam notatæ
Acori
Aſari
Aſparagi
Brusci
Calami aromatici
Coſti dulcis
Cyperi rotundi
Galangæ
Iridis
Petroſelini
Sarſaparillæ
Squillæ

Zingiberis
Herbæ Capilli veneris
Calaminthæ
Cuſcutæ
Mari veri
Menthæ
Ruthæ
Scolopendriæ
Tanaceti
Thymi
Supra iam allegatæ
Folia Lauri
Flores Anthos
Lauendulæ
Matricariæ
Tanaceti
Thymi
Baccæ Lauri
Iuniperi
Semina Aniſi
Apii
Cumini
Dauci
Fœniculi
Nigellæ
Petroſelini
Lignum Guaiaci
Saſſafraſs.
Cort. Cinnamomum
Fructus Iuiubæ
Manna
Myrobalani
Piper
Tamarindi
Gummata Ammoniacum
Animæ
Bdellium
Carannæ
Elemi
Galbani
Iuniperi
Opoponacis
Sagapenum
Sarcocolla
Tacamahacæ
Succinum
Maſtix
Balſamus Copaiuæ
Peruuianus
Oleum Baccarum Iuniperi
Terebinthinæ
Salia Alcalia, e. g.
Abſinthii
Cardui benedicti
Centaurii min.
Geniſtæ
Ononidis

b) *Animalia.*
Cantharides
Bufones
Lacertarum oleum
Mumia
Sanguis hirci
leporinus, præcipue
menſe Martio col-
lectus
Serpentes & Viperæ
Spiritus C. C. ſuccinatus

c) *Mineralia.*
Antimonium diaphoreticum
eius Clyſſus
Tinctura
Arcanum duplicatum
Bezoardicum minerale
Mercu-

Mercurius dulcis
Nitrum vitriolatum
Antimoniatum
Sal commune
Digeſtiuum Syluii
Epſonienſe
Egranum
Gemmæ, in clyſteribus.
Salis ammoniaci ſpiritus
Succini tinctura
Sulphur.
Tartari Spiritus
Tinctura
Terra foliata

β) *Externa.*

Radix Raphani
Symphyti
Herba Bardanæ it. Rad.
Folia Betonicæ
Geranii Robertiani
Origani
Piperis murarii
Saluiæ
Serpilli
Spicæ
Emplaſtr. de Ammoniaco
Cicuta
Galbano
Meliloto
Tacamahaca
Oleum Chærefolii
Puluis Viperarum

2. *Diluentia.*

Potus aquæ calidæ
Thée
Coffée
Veronicæ
Decoctum Hordei
Auenæ
Serum lactis
Thermæ

3. *Diſcutientia*, interna & externa

Radices Alexipharmacæ, diaphoreticæ & diureticæ, e. g.
Angelicæ
Ari
Carlinæ
Dictamni albi
Gentianæ vtriusque
Helenii
Imperatoriæ
Leuiſtici
Petaſitidis
Pimpinellæ albæ
Rubiæ tinctorum
Valerianæ
Zedoariæ
Herbæ plerarumque harum radicum
Bellidis
Cardui benedicti
Chærefolii
Geranii maioris
Hyſſopi
Morſus Diaboli
Scabioſæ
Scordii
Serpilli
Fores Chamomillæ
Galegæ
Matricariæ
Meliloti

Stœchados Arabicæ
Verbaſci
Vlmariæ
Auena
Furfures
Semina 4. calida
Lini
Baccæ Iuniperi
Lauri
Lignum ſaſſafraſs
Sal commune
Oleum Amygdalarum amar.
Anethi
Aniſi
Chamomillæ deſtillatum
Laurinum
Petræ
Scorpionis
Caſtoreum
Zibeth
Moſchus
Gummi Ammoniacum
Animæ
Bdellium
Carannæ
Copal
Iuniperi
Tacamahaca
Pix
Sulphur
Vnguentum anodynum
Emplaſtrum de baccis Lauri
Diaphoreticum Myn-ſichi.
de ranis Vigonis cum Mercurio
Magneticum *Angeli Salæ*
Spiritus vini camphoratus
Salis ammoniaci
Vinum calidum

4. *Abſtergentia.*

1) *Interna.*

Radix Althææ
Apii
Ariſtolochiæ rotundæ
Bryoniæ
Glycyrrhizæ
Oxylapathi
Sarſaparillæ
Scrophulariæ
Herba Fœniculi
Hederæ terreſtris
Veronicæ
Gummata & Salia media largius data
Pruna
Paſſulæ
Manna
Iuiubæ
Mel
Saccharum
Iuſcula auenacea
Decocta raparum
hordei
C. C.
Serum lactis
Lac
Acidulæ
Thermæ

2) *Externa.*

Radix Ariſtolochiæ rotundæ
Herba

Herba	Abſinthii	Thus	
	Agrimoniæ	Mel	
	Alchimillæ	Oleum ouorum	
	Hederæ terreſtris	Vitellus oui	
	Hyſſopi	Serum lactis	
	Plantaginis	Terebinthina	
	Prunellæ	Vrina	in clyſteribus
	Pyrolæ	Saliua	
	Saniculæ	Sal commune	
	Symphyti	gemmæ	
	Tabaci	Succi herbarum acriorum	
Gummata	Aloes	Succus Apii &c.	
	Elemi	Vnguentum Aegyptiacum	
	Myrrha	Apoſtolorum	
	Opoponax	de Apio	
	Sarcocolla	enulatum	
	Succinum	purpureum *Wurzii*	

V. *MODVS OPERANDI.*

1. Simplicior modus reſolutionis fit per *humida*, quæ maſſam ſanguineam & reliquos humores ſpiſſos attenuant, diluunt & fluidiores reddunt, atque hoc modo progreſſiuum motum ſubleuant. Eximie id perficiunt ac promouent *potiones* temperatæ *calidæ*, *decocta* & *infuſa calida*, *therma*, quæ ope caloris intimius penetrant & mucilaginoſas ſubſtantias a ſe inuicem detinent.
2. Quædam remedia reſoluentia ſubtilibus ſuis *ſulphureo-reſinoſis* principiis, valde *mobilibus*, motum ſanguinis augent & reliquam maſſam penetrant ac craſſiores humores diſſoluunt, atque attenuant. Hanc reſoluentem qualitatem exſerunt remedia *calida*, ſanguinem *diſcutientia*, *alexipharmaca*, *diaphoretica*.
3. Alia particulis *ſalino-ſulphureis* humorum tenacitatem incidunt & dirimendo fluxiliores reddunt. Craſſi enim & tenaces humores quaſi ſcindi ſupponuntur a ſpiculis ſalinis, vt ita connexio tenacitatis diſcontinuetur; vnde *incidentia* adpellantur.

4. Tenacem huiusmodi ſpiſſitudinem ſatis potenter etiam adgrediuntur *acria*, aromatica, *antiſcorbutica*, item *ligna antiuenerea*, quæ particulis ſuis ſalinis acribus humores intime reſoluunt, fluxilitatemque reſtituunt.

5. Nonnulla *fermentatiua* commotione materias mucido-ſeroſo-lymphaticas diſſoluunt, colliquant, attenuant, hasque impuritates a partibus abſtergunt & repurgant; qualia ſunt *dulcia*, ex *melle*, *prunis*, *paſſulis*, *manna*, *tamarindis* & ſimilibus parata. In partibus autem glanduloſis & poroſis *ſalia* incidentia hanc *deterſionem* perficiunt, dum ſoluta viſcoſitates facilius ingrediuntur, hasque eluunt & mobiles reddunt.

6. Alia, vti *abſorbentia*, *terrea*, materias acres, acidas, per maſſam humorum diffuſas eamque coagulantes, in poros ſuos recipiunt; vt ita pernicioſus earum effectus extinguatur.

7. *Lenientibus* vero vim reſoluentem ex nulla alia ratione adiudicamus, quam quod particulis ſuis *pinguibus*, *gelatinoſis* maſſæ humorum ſeſe inſinuant, eamque, ob innatam particularum ſuarum lubricitatem, volubilem reddunt, vias quoque ſtrictas reſerant, relaxant atque elubricant, vt hoc modo reſolutio eo facilius contingat.

8. Reſoluentibus remediis *acida* quoque a nonnullis adnumerantur, quæ vero per ſe hunc effectum non exſerunt, quum potius adſtringant & incraſſent; quidquid autem in hoc actu efficiunt; fit vel *reprimendo*, dum ſubtili ſtrictura ſtagnantes humores repelluntur, vel cum aliis remediis, ſanguinem *commouentibus*, ſunt coniuncta, quæ reſolutionem facilitant & inducunt. Mittimus itaque conceptum illorum, qui aceto ſpirituoſa, ſulphurea principia, reſolutionem promouentia, adſcribunt.

9. Ad *externa* quod attinet, illa principiis ſuis ſulphureis, ſpirituoſis, ſalinis, vel per poros adfectarum partium penetrant, & humores ſtagnantes reſoluunt, vel tonum harum partium roborant, vt humores efficacius transprimi, diſſolui & discuti poſſint. *Abſtergentia* vero externa agunt vel reſoluendo, vel colliquando, vel corrodendo

dendo viscidiores spissas sordes, easque a partibus vlceratis separant.

VI. *MODVS PROPINANDI.*

1. In hoc actu therapeutico sedulo obseruandus est iustus motuum gradus, debitaque horum motuum relatio ad humores & vice versa. Et quem ad modum ipsa natura, dum sponte sua humorum stases & occlusiones recludit, id non violento impetu, sed singulari plerumque moderamine suscipit, ita artifex eo potissimum respiciat, vt horum spissiorum resolutionem eiusmodi blandis remediis obtinere intendat, quæ cuilibet humorum statui sunt accommodata.
2. Ante omnia humorum resoluendorum conditio & causa spissescentiæ probe dignoscatur. Non enim vbiuis quoduis succedit. Simplex spissitudo, vbi dilutio deficit, commode corrigitur per sufficientem *potum*; in plurimis enim feminis, virginibus, & alterius sexus sedentariis, pensitabundis sola parcitas potus turbas dat, vt spissior chylus & inde consistentior lympha & sanguis oriantur. Spissitudo a frigidiore corporis constitutione procedens medicamentis *calidis*, acriusculis, maxime vero concurrente moderato corporis *motu* emendatur. Serosa, salina materia & substantia biliosa, cum muciditate inuoluta, per *incidentia* & *abstergentia* curanda est. Sic alia crassitiem in sanguine, alia in lympha resoluunt.
3. Deinde temperamentorum diuersitas est respicienda, vt in subiectis calidis temperatiora, in frigidis vero penetrantiora aromatica, acria, amara exhibeantur.
4. Semper vero initium resolutionis cum mitioribus fiat, fortiora enim nimium humores commouent & insignes turbas excitant.
5. His resoluentibus euacuantia sæpius interponantur, inprimis talia, quæ simul resoluendi virtute prædita sunt, vti sunt mercurius dulcis, & pilulæ ex gummatibus & extractis amaris paratæ.
6. Artifex resolutioni intentus non nimium festinet, sed debiti temporis rationem habeat, ac prius ægro prospiciat

ciat, vel ſanguinis quantitatem imminuendo, vel laxationibus craſſiores ſordes abſtergendo.

7. Diæta quoque conueniens eſt obſeruanda: nocent enim cibi fumo indurati, omnia cruda ſemicocta. Aromatiſata vero, atque vinoſa diæta maximopere frugi eſt. Vita ſedentaria eſt fugienda, ſalutares corporis motiones, itinera, cœlique mutationes, ſi neceſſitas id exigat, ſuscipienda, vberior potus, præcipue litteratis atque feminis iniungendus eſt.

8. *Externe* non parum promouent tam reſolutionem, quam discuſſionem modeſtæ *frictiones*, ſiue pannis & linteis calidis, ſiue excutia.

VII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Res eſt notatu digniſſima, quod natura humana, ſibi relicta, reſolutiones humorum ſtagnantium non tam per materias, quam per motus abſoluat.

2. Errant, qui ſpiritui vini, aliisque aquis ardentibus virtutem adſcribunt reſoluentem, magis enim inſpiſſant atque incraſſant humores. Sed ſi aliquem produnt effectum reſoluentem, faciunt hoc ſecundario, dum acredine ſua partes ſolidas ſtimulant. Quia itaque ancipitis & effectus & euentus ſunt, omni circumſpectione adhibeantur.

3. Multa vulgo cenſentur reſoluentia, quæ per ſe talia minime ſunt; ſicut *ſpodium*, *ſperma ceti*, *fuligo tenuis*, & *ſanguis birci* vulgi quaſi ſacra anchora ſunt, re vera tamen minus efficacia deprehenduntur, & quidquid præſtant, id a regimine violento ſudorifero, vel ab additis alexipharmacis & ſanguinem commouentibus habent. Idem iudicium eſto de remediorum ſuperius nominatorum diſtributione in peculiares claſſes, e.g. incidentium, discutientium, abſtergentium, licet enim auctorum receptum ordinem conſulto retinuerimus, nonnulla tamen, ſi ad lapidem lydium reuocarentur, in aliam, quam in qua poſita ſunt, claſſem collocari deberent.

4. Reſo-

4. Resoluentibus fortioribus & sanguinis motum potenter augentibus caute vtendum, præsertim vbi plethora vrget, vel morbus febrilis, acutus, malignus imminet. Nulla enim resolutio maiori circumspectione indiget quam sanguinis.
5. *Spiritus tartari*, *fuliginis*, *cornu cerui* rubicundior, & *oleum succini* personis frigidioribus, *spiritus* vero *nitri* vel *salis dulcificati* calidioribus inseruiunt.
6. *Mumia* non nisi in sensibilioribus cum efficacia exhibetur.
7. In humorum spissitudine nequaquam solam *aciditatem* subesse, innotescit ex eo, quod non modo a frigore humores spissescant, sed etiam a motus progressiui defectu & sufficientis dilutionis inopia. Itaque suspecta res est, resolutionem humorum crassorum cum *absorbentibus*, præcipue *terreis*, suscipere velle, vt acidum illud absorbeant; nam contrarius plerumque effectus sequitur. Si vero spissitudo ab acido orta sit, tum absorbentia ostracodermata leni acido semi saturata prosunt.
8. *Tincturæ alcalinæ acriores* resoluente effectu ceteris fere omnibus palmam præripiunt, nam sine vlla commotione incidunt & resoluunt: sed opus est ad feliciorem effectum, vt aliquamdiu continuentur.
9. THEA.
   1) Sunt folia fruticis cuiusdam Chinensis vel Iaponici, tostione supra laminam ferream & manuali voluratione crispata. Differunt autem pro collectione & teneritudine, ex qua bonitas eorum æstimatur. Omnium maxime tenella & nondum integre explicata, quæ primo carpuntur, sunt pretiosissima & vulgo pro floribus aut staminibus florum prrperam habentur. Vnde *flos theæ*, item *thea Cæsarea* & a Sinensibus *thée huu* dicuntur. Reliqua variis gradibus nobilitatis & pretii, prout magis minusque tenera sunt, hæc insequuntur. *Conf. D. Kæmpfer. amœnit. exot.*
   2) Partes seu principia, vt vocant, horum foliorum sunt paucæ sulphureæ volatiles, tum amaricantes & subadstrin-

ſtringentes terreæ; in qualitatibus autem *infuſi* deſignandis discordant auctores. Manifeſtius diluit, temperat, relaxat & excretiones promouet, adeoque multiplicem vſum quibusdam adferre poteſt; ſed an vulgo celebratas ſingulares aliisque leniorum herbarum infuſis multo præſtantiores virtutes obtineat, non pauci ambigunt.

3) Illud ipſi proprium eſſe plurimi conſentiunt, quod præ aliis plantis, tanta copia in decocto vel infuſo adſumtis, ventriculum minus grauet, facile ſecedat, aut ſaltem rarius pariat faſtidium; etſi plerique Europæi idem, niſi ſaccharo imbutum, bibere recuſent.

4) Cæterum vt quotidianus Chinenſium potus eſt, & in cœlum vsque ibidem extollitur, modo herba per anni ſpatium adſeruata ſit; ſic a multis noſtratibus laudatur ad cruditates ſtomachi, cephalalgiam, vertiginem, immo conuulſiones depellendas, memoriam omnesque animæ facultates roborandas, ſomnolentiam arcendam & lucubrationes ſuſtinendas; porro ad dolores ſpaſticos, febres, omnes pectoris morbos, crapulam, bilioſam dyscraſiam, colicam, obſtructiones viſcerum, ſcabiem, grauidarum mala. Quæ omnia quousque vera ſint, & magis ab aqua calida, quam ſpecificis herbæ thée viribus pendeant, iudicent prudentiores.

5) Inprimis nobile cenſetur nephriticum & podagricum tam ſpasmos leniendi, quam potiſſimum præcauendi vſu. Et narrant Medici, Chinenſes & Iaponenſes, qui perpetuo hoc infuſo vtuntur, raro aut numquam a podagra vel calculo infeſtari; contra eos, qui cereuiſiam vernaculam, ex oryza coctam, ibidem potant, ab his malis non plane liberos viuere.

6) Relinquimus hæc ſuo loco & monemus tantum, infuſo thée ſalubriter ſibi eos conſulere poſſe, qui vel ſani alia temperata potulenta auerſantur, aut nimis parce adſumunt, vel languidi & ægri diluente, temperante, vt ſupra diximus, remedio indigent.

7) Po-

5) Poſtremo notandum eſt, quosdam in locum théе indigenas herbas ſic infundendas ſubſtituere, eumdemque vel etiam meliorem inde effectum polliceri; cui ſcopo, alii *veronicam*, alii *betonicam*, *agrimoniam*, vel *rorem marinum*, vel *ſaluiam*, vel *teucrium verum* deſtinant. Neque hoc conſilium inutile eſt, at, quoniam delicatorum palato, vulgari perſuaſioni & mori iam inueteraſcenti non arridet, plerisque repudiatur.

10. COFFÉE.

1) Baccæ, quæ hoc nomine inſignimus, proferuntur ab arbore quadam Arabica paruæ ceraſo, ſeu Euonymo ſimili, vtque e ſulphureis, vaporoſis & oleoſis pauciorибus, larga vero mucilagine & terra contextæ ſunt, ſic magis perſpicue ad incraſſandum & temperandum aptæ ſolum videntur.

2) Longe vero illuſtrioribus dotibus imbutum cenſetur *decoctum*, e fabis hiſce toſtis confectum, vtpote quod multi potui théæ æquiparant, non nulli etiam anteponunt; rati, omnes eas virtutes, quas modo de thea prædicatas eſſe adlegauimus, prætereaque maiorem ſtomacho imbecilli & nauſeæ ſuccurrendi facultatem huic potui deberi.

3) Euenit inde, vt, cum Turcæ ſe quotidie in id ingurgitare ſoleant, reliqui etiam Europæi ditiores magis magisque ſorbillandi conſuetudini ſe adſtringant, multique vitam ſibi acerbam putent, niſi ſemel aut bis per diem hasce delicias liberalius deguſtandi locus ſit.

4) Cæterum idem, quod de *thea* propoſitum eſt, hic quoque iudicium valet; nam ſine *decocto calido*, quod vtique multis proficuum eſt, parum leuaminis hauriretur ex hisce fabis, quarum virtutes luxurioſus peregrinarum rerum adpetitus indeque nata perſuaſio & credulitas exaggeraſſe videntur.

5) Illud ſatis perſpicuum eſt, *coffée* grana per ſe magis obſtruere, quam aperire, decoctumque illorum ſatura-

rius minorem vſum adferre, quam probe dilutum, & quamquam pro conſuetudine iam magis ſolemni frequenter, ac ſaturate bibitum, non adeo, vt quidam metuunt, neruoſum genus adoriri ac violare, neque viſcera oppilata relinquere comperiatur, tamen idem hypochondriacos & feminas otioſas ſubinde in angores quosdam internos, palpitationem cordis, vel tremorem artuum, præcipue ſi in conclaui frigido hoc decocto vtantur, coniicere.

6) Certior adhuc valetudinis offenſa puellis imminet, quæ *puluerem* decoctarum fabarum cupide vorant, ad *pallorem* faciei, ſcilicet venuſtiorem, ſibi gignendum. Hic ſane, ſi inde reportetur, deformior erit naturali rubore, & vecordiæ iuxta ac læſæ ſanitatis argumentum.

II. RADIX CICHORII.

1) Habetur cichorium *hortenſe* & *ſylueſtre*, quod priori amarius eſt; eiusque radix valde vſitata abſtergere, aliquantum reſoluere, ac temperare notatur, id quod ſucco eius nitroſo, quo abundat, & paucis ſulphureis partibus intermiſtis, abſcribendum eſt.

2) Cum ergo lenem vtique temperiem accepit, tum teneris debilioribus, quos validiore medicatione adgredi intutum eſt, commodum in variis morbis præbet auxilium aut leuamentum; præcipue in obſtructionibus viſcerum incipientibus, vitiis hepaticis, bilioſis, ictero, atrophia, catarrhalibus acribus ſeroſis malis, vlceratione interna, hectica, aut phthiſica, quam non valde prouectam detergente ſuauiter ac temperante qualitate ſua radix decocta cum lacte caprillo optime identidem ſolatur.

3) Tantam autem huius radicis virtutem non animaduertimus, vt confirmatiorem talium morborum ſtatum corrigere poſſit, niſi efficaciorum adminiculo ſuffulta porrigatur. Neque etſi ſpecificum hepaticum adpelletur, votis reſponder celebrata vulgo efficacia in inflammatione iecoris, fluxu hepatico, maculis illis

in

in cute efflorescentibus, quas veteres ex hepate calido deriuant, quartana, hydrope, malo hypochondriaco.

4) Multo minus cruditate aut infirmitate stomachi, vermibus, gonorrhœa, spasmis, caligine oculorum laborantibus singularem opem promittit; & anilis plane fabula est, hac radice corpus inuulnerabile reddi.

5) *Flores albi*, vti & radix certo tempore collecta, ad hæmorrhagiam narium & sputum sanguinis, vt secretum, *flores vulgares* destillati ad oculorum adfectus, *semen* ad febres, sed prorsus incerte, laudatur.

6) Adhibetur radix in *substantia*, *succo* vel *decocto*. Cæterum prostant illius *aqua destillata*, *conditura*, *extractum*, *syrupus simplex* & *de cichorio cum rhabarbaro*, qui tum alibi, tum vtilissime infantibus obstructis & acri biliosa impuritate grauatis præscribitur.

12. RADIX TARAXACI.

1) Exuberat succo lacteo amaro, atque vt ob externam formam *cichorium syluestre luteum* quibusdam vocatur; sic propter conuenientiam virium dicatur iisdem morbis, quos a cichorio leuari diximus. Merito tamen adhuc validior censetur, magisque diuretica, vnde *Lobelio herba vrinaria* audit.

2) De speciali itaque vsu non multa addemus, optantes, vt laudata eius facultas in malis hepaticis, hypochondriacis, scorbuticis, cachecticis, hydropicis felici experimentorum successu secundetur. Id supra iam notauimus, aquam ex integra hac planta & agrimonia certo modo rite euocatam in tumoribus frigidis mirabiliter interdum profuisse.

3) Cæterum primarum viarum vitiis quidem nonnihil succurrit, sed non æque febribus intermittentibus mederi solet. Nec probatior exstitit eius aquæ vsus in febribus pestilentibus, aut dentitione infantum ad conuulsiones præcauendas. Quid vero in oculo-

rum morbis & maculis faciei rubris valeat, vlterius adhuc experiundum eſt.

13. HERBA HEPATICÆ NOBILIS.

1) Odorem non inſuauem ſpirat, magnamque gloriam ex virtutibus reſoluendi, aperiendi, confortandi, quas nonnulli in ea ſe comperiiſſe putarunt, ſibi comparauit. Verum hæc quidem ab aliis non agnoſcitur, qualitatem abſtergentem præcipue & paullulum roborantem huic herbæ admetientibus.

2) Quamuis igitur in viribus deperditis reſtaurandis, & hypochondriacis, ſcorbuticis, ictericis reſtituendis vota non impleat, neque ex nomine ſuo *ſpecifici hepatici* honorem mereatur; tamen haud contemni, ſed in talibus morbis nec non in pectoralibus, tuſſiculoſis & aſthmaticis cum aliis remediis vtiliter coniungi poteſt. Fruſtra autem difficultati pariendi, aut ſpaſmis plerumque opponitur.

3) *Externe* vulneraria habetur a *Solenandro*, & in vlceribus, herniis, ſtomacace, inflammatione faucium vtilis exiſtimatur. *Aqua* e floribus *deſtillata* oculorum inflammationem ſolari creditur, ſed ſuperflua eſt, cum tot alia certiora ſuppetant.

4) Frequentius præſcribitur *conſerua* e floribus, licet *infuſo* etiam, aut *decocto* herbæ commode vti poſſimus.

14. SATVREIA.

1) Ob indolem aromaticam in culinis expetitur, cæterum reſoluentem & roborantem effectum edit, hyſſopo & ſerpillo non plane abſimilis; ſed raro a Medicis adhibetur, ideoque ſpeciales eius vires *internæ*, vti paſſim decantantur, in morbis capitis, pectoris, vteri non ſatis perſpectæ habentur.

2) *Externe* cum vino decocta laudem meruit in atonia, motuum defectu, tumoribus frigidis, in primis etiam in ſtatu ſoporoſo, aurium dolore & tinnitu, denique in vlceribus, aphthis, faucium adfectibus.

15. TEVCRIVM VERVM.

1) *A*

1) *A Ludouico* vocatur chamædrys femina, a *Turnefortio* veronica chamædryos folio fruteſcens, atque tum in ſiccioribus montanis tum etiam pratenſibus locis vltra ſemicubitalem altitudinem aſſurgit floſculis innumeris cœruleis monopetalis, in erectam denſamque ſpicam congeſtis, id quod ideo præmittere voluimus, quia vulgo minus cognita & tamen ex fide *actorum Berolinenſium* multis viribus dotata videtur A nobis *veronica teucriifolio* habetur.

2) Decerpta enim folia & flores menſe Iulio & in vmbra exſiccata, vti ſpirant odorem Theæ, eamque & figura inprimis ſub inferiore ſtipite referunt; ſic quoque in formam *infuſi Theæ* præparata eadem gratia plerorumque guſtum adficiunt.

3) Præſtantior autem hæc cenſetur Thea ob virtutes magis diaphoreticas & diureticas, ideoque morbis rheumaticis, arthriticis, ſcorbuticis, quin etiam, vt veronica, læſis visceribus conuenientior exiſtimatur. *Vid. Acta Berolinenſia.*

4) Et certe digniſſima hæc plantula eſt, vt vberiori culturæ & inquiſitioni ſubiiciatur, meritoque optamus, vt cum tam ſuauitate quam virtutibus ſe commendet, Europæis placeat eam, aut aliam congenerem in locum Theæ ſurrogare, vtpote cui tantum pretium magis raritas & peregrinorum admiratio, quam vera vtilitas ſtatuiſſe videtur.

16. FLORES MELILOTI.

1) Creberrimo in vſu ſunt ob qualitatem emollientem, lenientem & paregoricam, e temperata largiore mucilagine, qua ſcatent, cum ſubtilibus terreis paucisque ſulphureis partibus arceſſi ſolitam. Quotidie enim his ſcopis Chirurgi eos emplaſtris, clyſteribus, fomentis, cataplasmatibus cum fructu admiscent, neque incommode etiam in balneis vſurpantur.

2) Rarius dantur *interne*, etſi *flores* præcipue *albos* cum vino decoctos in fluore albo (ſed incerte) item in diar-

arrhœa & *aquam deſtillatam* in capitis & memoriæ debilitate, ac renum vitiis, *extus*, vbi probatior eſt, in oculorum doloribus, inteſtini recti tumore inflammatorio commendari legamus.

3) E præparatis magnam exiſtimationem adeptum eſt *emplaſtrum de meliloto*, in tumoribus viſcerum obſtructorum, colli, genarum aliisque dolentibus vtile, dummodo alia efficacius discutientia ei adſocientur, aut interponantur.

17. STOECHAS ARABICA.

1) Quæ hodie in officinis proſtat, non amplius ex Arabia, ſed e Gallia vel Italia, vbi abundanter creſcit, ad nos defertur, atque ob ſimilitudinem quamdam Germ. etiam welſcher Lavendel cognominatur.

2) Præſtans autem floribus eius qualitas aromatica, neruina & reſoluens tribuitur, vnde auctores illorum vſum paſſim commendant in vertigine, tremore, paralyſi, quin & in melancholia, ac epilepſia, ſed in his vltimis dubie, porro in viscerum & menſium obſtructione ac pectoralibus catarrhis. Sed niſi ſubiectorum discrimen habeatur & parciore doſi præbeantur, ob calefacientem vim maiora ſubinde incommoda pariunt.

3) *Externe* vtiliores ſunt in dictis capitis morbis, atonia, luxatione, tumoribus ſeroſis & catarrhis frigidis, vbi fomenta vel ſimilia ex iis adplicantur. *Interno* vſui ſubſeruire poteſt *ſyrupus de ſtœchade ſimplex* & *compoſitus*.

18. STOECHAS CITRINA.

1) Tam ſponte apud nos prouenit, quam in hortis colitur, ac de ſalinis magis, quam ſulphureis principiis participat, indeque reſoluentem fœneratur facultatem.

2) Etſi autem flores, qui in vſu ſunt, a quibusdam laudatos videas in catarrhis, ictero, renum vitiis & præcipue in lumbricis occidendis; tamen *internus* eorum

rum vſus rarior eſt, longeque adhuc iacet infra præconiorum vbertatem.

3) Certius eos in *ſuffitu* adhibemus ad ſpasmos mitigandos. Cæterum etiam ad tineas e veſtimentis,& pediculos fugandos, itemque ad capillos flauo calore tingendos, & in *emplaſtro* vel *amuleto* ad necandos vermes interdum adplicantur.

19. MVMIA.

1) Officinalis ex Aegypto aduehi dicitur e cadaueribus ibidem aloë, myrrha, pice cedrina, aut piſſaſphalto conditis deſumta. Hanc autem cum parum in receſſu habere iudicet *Ettmüllerus*,ſuadet idem mumiam patibuli, e ſtrangulatis corporibus, fumo ſiccandis, & aloë, myrrha, croco, cinnamomo, opobalſamo, camphora &c. condiendis, præeunte *Paracelſo*, præparare.

2) Sed dubitamus, tanti intereſſe ad vſum medicum, nam ex conſeruato, vt putant, ſpiritu vitali mumiali magnas vires alexipharmacas, balſamicas, antepilepticas,antiparalyticas proficisci,facilius creditur,quam demonſtratur.

3) Euidentius patet,mumiam vulgarem ex additis balſamis ſuscepiſſe discutientem & roborantem qualitatem; vnde extus in contuſione,ſtaſi humorum ſuperficiali circa vulnera,leuiore partium atonia & languore adhiberi poteſt; etſi aliis huius generis parabilioribus pharmacis neutiquam præcellat.

4) Neque *tinctura* vel *eſſentia mumiæ* palmam mereri deprehenditur in ſanguine congrumato, obſtructione lienis diſſoluenda, aut menſibus reuocandis. Commouet enim ſanguinem, ſed rarius optato cum ſucceſſu. Quapropter multi eam aliis poſtponunt, *Paræus* etiam mumiam, vt horridum & ſubinde infidum medicamen,e tabernis pharmaceuticis plane relegandam eſſe autumat.

20. HERBA GERANII.

1) E plurimis Geranii ſpeciebus in officinas tantummodo receptum eſt *Robertianum*, flore magis purpureo inſigne, quod ſicut auſtero & adſtringenti ſapore traumaticam ſuam indolem prodit, ita vulneribus maxime, vlceribus & fractis oſſibus conſolidandis adminiculatur.

2) Idem nonnullis in vſu eſt in mammis inflammatis, tumoribus pedum, & cum butyro frixum in fauis & achoribus infantum; ſed cauendum eſt, ne ſubitanea repulſione maius periculum intentemus.

3) De reliquo dubie adhibetur in oppilationibus vteri, ischuria, calculo, cancro.

21. RADIX SCROPHVLARIAE.

1) Facultatem quandam reſoluentem & abſtergentem edit, e coniunctione ſalino-ſulphureorum principiorum, quæ tenet, ſibi ingenitam, vnde pariter ad vlcerum inueteratorum, fiſtuloſorum, ſcabiei ſimplicis & ferinæ, tumorum, paronychiæ itemque lentiginum curationem ſubinde traduci cœpit.

2) Sigillatim vero ob ſignaturam nodoſam & tuberoſam multi hanc radicem in omnibus nodoſis tumoribus, ſtrumis, ſcrophulis, vnde nomen accepit, glandulis induratis, hæmorrhoidibus cœcis, ficubus & mariſcis, ex quo etiam *ficaria* audit, plurimum valere putarunt, neque deficiunt experimenta, quibus id euictum dare conati ſunt.

3) Merito autem dolemus, eadem hæc rarius hodie magno ægrotantium ſolatio confirmari. Haud tamen indigna hæc radix eſt, vt frequentiorem in vſum vocetur & ſolerti magis indagationi ſubiiciatur, vbi eam interne in *decocto*, extus autem vt *amuletum*, vel in *fomentis* & *cataplaſmate* adplicare conueniet.

22. PRVNA.

1) Ingentem prunorum domeſticorum turbam eſſe iam *Plinius* notat. Ad vſum medicum vero præcipue ſeligun-

liguntur ſic dicta Damaſcena valde cœrulea, olim Damaſco, iam vero ex Hungaria adferri ſolita, quorum vicem interdum quoque noſtratia explere poterunt.

2) Quemadmodum autem hæc ſalinis ſubacidis, cum tenui ſuauique mucilagine temperatis partibus, exuberant & muſtaceam pene indolem referunt, inprimis a copioſo aqueo humore liberata, ſeu exſiccata; ita vtilia omnino ad abſterſionem & lenitionem præſtandam reperiuntur.

3) Quapropter, vt ſalubre euporiſton, dari queunt in ſiccitate alui, bilioſo ardore, tenui humorum acrimonia volaticos æſtus ſæpe inferente, internisque exulcerationibus, neque facile periculum eſt, ne, vt *Syluius* metuit, ſi modo exſiccatæ adhibeantur, prouentum vermium augeant:

4) In officinis proſtant *pruna condita laxatiua*, *pulpa* illorum & *electuarium;* quæ pariter ac *decoctum* præſcribi ſolent.

5) Cæterum de *albis* & *cereis* prunis, tam maioribus, quam minoribus (Epillinge) adhuc monendum eſt, quod longe peiorem acriter fermenteſcentem vim in corpore noſtro exercere, ideoque largius comeſta tempore autumnali diarrhœas & ſæpe dyſenterias concitare obſeruentur. Tuta vero & ob ſuauitatem pluris æſtimata ſunt pruneola illa, quæ enucleata & exſiccata ſub nomine *prunellorum* Galli ad nos transmittunt; his enim cholericos, hecticos, febricitantes, aliosque orgaſmis humorum ſubiectos aliquatenus refici deprehendimus.

23. GVMMI ANIME.

1) Pellucet quodammodo, fractu facile, ſaporemque reſinoſum, & ſi accendatur, ſuauem odorem habet, vulgoque diuiditur in occidentale pallidius & nitidius, ac orientale, quod magis opacum exſiſtit.

2) Compos autem qualitatis discutientis, resoluentis ac tonicæ censetur e principiis sulphureis, paucis oleosis cum largiori terrea portione deuinctis.

3) Proinde haud ineptum est ad laxitatem partium, vbicumque obueniat, corrigendam, præcipueque in morbis capitis catarrhalibus, contusionibus, tumoribus, paralysi, aridura, contractura & luxationibus adhibetur.

4) Salubritatem quoque eius interdum experiuntur vlceribus & synouia laborantes, non item arthritici & podagrici, etsi his etiam conducere quidam asserant.

5) De reliquo probe notandum est, internum huius gummi vsum nondum innotuisse. Itaque extus duntaxat in prædictis malis adplicatur vel *suffitus*, vel *linimenti*, aut *emplastri* forma.

24. GVMMI CARANNAE.

1) Perperam sic vocatur, cum mera fere resina sit tenax, si recens, friabilis, si vetusta, colore cinereo nigricante, intus splendente, sapore viscido subamaro, fragrantia, si inflammetur, Tacamahacam æmulans.

2) Sudat autem ex Americana quadam arbore, vtque ex acribus oleosis & acidis, itemque sulphureo-vaporosis partibus coaluit, sic generatim non dissimilem antecedenti facultatem corpus nostrum adficiendi sortita est.

3) Vnde & tumoribus frigidis, præcipue circa articulos, resoluendis inseruit, & partes teneriores neruosas languidas roborat, ideoque iuncturarum vulneribus, catarrhisque oculorum ac dentium dolentibus & recursantibus, vbi forma emplastri temporibus admouetur, apta iudicatur.

4) Plurimi insuper eam cum tacamahaca conuenire contendunt, alii etiam præstantiorem censent in vomi-

tu

tu nimio, colica, cardialgia, ſpaſticis artuum doloribus & contuſionibus.

5) Dubie vero laudatur in hemicrania & cephalalgia, neque podagricis, nedum faſcinatis, auxiliari poteſt. Cæterum externe ſolum hac reſina vtimur.

25. GVMMI COPAL.

1) Itidem minus Gummi eſt, quam reſina candidiſſima, vel ſubflaua translucida e moleculis ſulphureo-oleoſis & terreis coagmentata, tonicæque ac reſoluentis qualitatis particeps.

2) Rariſſime autem a Medicis adhibetur, & ſatis adhuc incompertum eſt, ipſius efficaciam virtutibus gummi animæ poſſe comparari. Quapropter hac reſina facile carere poſſumus, præſertim cum ea ſincera & perſpicua magno plerumque conſtet, & certiore vſu artificibus ad nobilem pulcerrimamque vernicem parandam ſubſeruiat.

3) Cæterum *Langius* ex Piſone refert, omnes reſinas odoriferas ab Indis Copal nuncupari.

26. OPOPANAX.

1) Optimum hoc gummi ducitur, ſi ſit recens, purum, e granulis conglutinatum, extus colore croceo, vel aureo, intus, ſi frangitur, pallidum, aut ſubflauum, nitidum, pingue, amarum & graueolens.

2) Effluit vero e caule & radicibus ſauciatis plantæ Panacis, quod Heracleum dicitur, olim in Syria ſolum & Achaia, hodie etiam in Sicilia, Apulia & Gallia creſcentis; idemque gummoſam mucilaginem cum partibus ſulphureis coniugatam continet.

3) Ex his vires mutuatur reſoluentes, lenientes atque detergentes; propterea in euacuanda pituita lentiore, flatulentia, torminibus, tuſſi & aſthmate humido, quin & in viſcerum oppilatione, menſium retentione, hydrope, nephritide calculoſa, epilepſia & venenis paſſim commendatum.

4) Sed alii tardam agendi vim, alii internum eius vſum plane nondum rite perueſtigatum & expertum arguunt, quare merito ipſi gummi ammoniacum præferendum eſſe arbitramur.

5) Externe probatiorem efficaciam oſtendit in tumoribus frigidis emolliendis ac diſſipandis, itemque in ſpaſticis doloribus interdum nonnihil permulcendis. Sunt etiam, qui idem vlceribus antiquis & virulentis morſibus, at incerto effectu, adplicant.

27. PIX NAVALIS.

1) Sic vocatur ob vſum, quem præſtat in nauibus picandis. Alias prouenit ex arboribus reſiniferis abiete, picea & pinaſtro, vtpote quarum e corticibus, vel arte inciſis, vel ſponte manat *reſina* ſeu *tæda* poſtmodum deſtillanda; quod ſi fiat, per alembicum inde euehitur *oleum tædæ*, ſeu *templinum*, per deſcenſum vero ex ollis figulinis tæda repletis & in fundo perforatis pix eliquatur.

2) Ad vires medicas quod attinet, pix digerere, mollire & discutere dicitur, ideoque variis emplaſtris & ceratis ſolet admiſceri, ac tumoribus duris, pedumque clauis imponi. In arthriticis autem doloribus, nedum interne in hæmorrhagiis, prociduo ano, ſanguine concreto, vtilitatem ſuam minus comprobauit.

3) Neque de oleis eius deſtillatis varii coloris & fortitudinis pulcrior quidam effectus inclaruit. Paullo verosimilius eſt, membra, ſi pice illinantur, a noxia frigoris aſperitate poſſe defendi.

28. TACAMAHACA.

1) Hæc odorem, ſi fricetur, aut adoleatur, ſpargit ſuaueolentem, guſtatu aromatica amariuscula, colore nigricans & Galbano fere ſimilis, punctulis ſubflauis, aut ruffis paſſim interſtincta; & ſicut ex Indiis ad nos in cylindris, plerumque foliis inuolutis transuehitur, ita præcipue in noua Hiſpania & Mexico ex arbore populi inſtar aſſurgente ibidem ſtillare traditur.

2) Gau-

2) Gaudet autem principiis ſulphureis & mucidis, tenacibus, quæ ipſi & reſoluentem ac tonicam facultatem & maiorem adhuc virtutum famam conciliarunt.

3) Celebris enim, nec inefficax eſt in tumoribus, ſed non adeo duris, multo minus inflammatis, atonia partium, luxatione, dolore ventriculi, flatulentia, colica, nimio vomitu & diarrhœa.

4) Præterea vis demulcens & anodyna illi tribuitur in febrili præcordiorum angore, ſpaſticis pathematibus, malo hyſterico, arthritico, ischiadico, cephalalgia, & odontalgia, in qua poſtrema tum denti carioſo inditur, tum temporibus adplicatur. Sed hæc omnia minus adhuc probata & pluries irrita comperimus.

5) Atque hæc de topico vſu. Interne rariſſime datur tacamahaca, etſi quidam eſſentiam illius in pectoralibus dictisque ſtomachicis morbis collaudent. Vſitatiſſimum autem & aptiſſimum eſt *emplaſtrum* ex ea confectum, nec ſpernendum plane *oleum* per retortam deſtillatum, quod, modo parce illitum, apprime multis conuenire docet *Ettmüllerus*.

29. SALIVA.

1) Indolem fermentescentem habet, paullulumque reſoluere & abſtergere obſeruatur, vnde eam, præſertim ab homine ſano ieiuno reiectam, ad vſum cosmeticum, vlcuscula cutis ſerpiginoſa, lichenes, leues tumores & hordeolum in oculo commendari legimus.

2) *Zac. Luſitanus* etiam hunc humorem laudat in vulneribus & morſibus venenatis, ſed infirmum medicamen præbet, & ſuperuacuum, ſi alia digniora, quæ fere vbilibet facile parantur, ad manus ſint.

30. VRINA.

1) Hæc quoque ob ſalino-oleoſam mixtionem, inprimis ſi calefiat, idonea eſt ad diſcutiendum, reſoluendum & abſtergendum.

2) Exinde, vbi gratiora deſunt, vtiliter adplicatur ſtaſibus humorum in ſuperficie magis hærentibus, tumoribus

bus frigidis e cauſa externa natis, inflammatoriis incipientibus, e ſugillationibus, porro ad ſcabram cutem nitidiorem & molliorem reddendam, emundationem vlcerum & fiſſuras manuum ac pedum, itemque podagricos dolores in pediluuio, ſed incerte, leniendos adhibetur.

3) Parum autem facit ad viperarum virus arcendum, & ſordidus plane minimeque laudibus conſentaneus eſt vrinæ potus in peſtilentia, ictero, ſcyrrho lienis, hydrope. Neque vrina mariti hauſta parturientes tam feliciter expedit, vt non ſæpius fallat.

4) De magnetica vrinæ, recens excretæ, virtute magna multorum exſpectatio eſt, & negari nequit, per eam transplantationis quodam modo podagricos aliosque morbos abactos fuiſſe; ſed momentoſa adhuc quæſtio reſtat, an tutum ſit hoc pacto morboſas commotiones vincire, quaſi & ſuſpendere.

5) E præparatis vrinæ excellit *ſal volatile* & *ſpiritus* valde penetrans & ſalutaris, ſi intra iuſtos terminos, vt ſupra diximus, vſurpetur, fruſtra autem in febribus, inflammationibus, ſcorbuto, podagra, calculo, ischuria celebratus.

6) Præter hæc *ſalis fixi* ex vrina, *ſpiritus volatilis* ex vrina & vitriolo deſtillati, *lapidis* ſic dicti *animalis*, ſeu *mercurialis* ex vrinæ ſpiritu & alkohol vini, aliorumque ex hoc liquore ſperatorum arcanorum efficaciam medicam non ſatis fidam adhuc ſtabilierunt documenta.

TABVLA XV.

DE HVMORVM PRAVITATE PECCANTIVM, SEV CACOCHYMIAE CORRECTIONE.

I. *DEFINITIO.*

Correctio humorum, prauitate peccantium, est species therapiæ alterantis, qua heterogeneæ & noxiæ materiæ, quæ humoribus intermixtæ sunt, & crasin eorum naturalem atque temperiem euertunt, certis remediorum generibus ita subiguntur & alterantur, vt non solum noxius illarum effectus præcludatur, sed etiam postmodum eo facilius ac tutius euacuari possint. Remedia eiusmodi in scholis Medicorum vulgo dicuntur *edulcorantia*, *absorbentia*, *obtundentia*, *præcipitantia*, *mundificantia*, *balsamica*.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Cacochymiæ correctio differt ab *incrassatione*. Licet enim & hæc correctionis humorum species sit, non tamen cum *peregrinis*, sed sanguini *propriis* materiis occupata est, nempe cum aquositate in humoribus excedente. Interea negari non potest, hanc nimiam humorum serosorum quantitatem sine omni vitiosa qualitate raro reperiri.
2. Pari ratione cacochymiæ correctio distinguenda est a *resolutione*, siquidem nec hæc humoribus alienis & peregrinis, sed sanguini propriis resoluendis & attenuandis, correctio autem cacochymiæ rebus heterogeneis, ad sanguinis mixtionem plane non spectantibus, ideo-

que noxiis, ſubigendis & deſtruendis deſtinata eſt. Iterum autem monemus, humores ſimpliciter ſpiſſos non ſemper eſſe ſolos, ſed interdum cum heterogeneitatibus complicari.

3. Eiusmodi heterogeneitates commode diuiduntur
   1) in *benigniores*, videlicet *ſeroſo-mucidas*, *ſalſas*, *bilioſas*, &
   2) in *maligniores*, quas in *lepra*, *lue venerea*, *cancro*, *ſcorbuto*, offendimus.
4. Atque hæ impuritates vel in corpore noſtro generantur, vel per miaſma quoddam cum illo communicantur.
5. Pro varietate autem partium heterogenearum ipſa remedia, vti infra dicemus, variant, & pro diuerſo reſpectu diuerſis quoque nominibus a ſchola medica ſalutantur. Huc pertinent *abſorbentia*, *antacida*, *edulcorantia*, *obtundentia*, *antiſcorbutica*, *antiuenerea*, *balſamica*.
6. Notandum autem eſt, per edulcorationem medicam non intelligi eiusmodi humorum dulcedinem, quam v. g. in ſaccharo & melle guſtu percipimus, ſed conſiſtentiam gelatinoſam, lubricam, inſipidam & corpori noſtro tolerabilem.
7. Denique diſtinguimus correctionem cacochymiæ in
   1) *internam*, quæ vel vniuerſæ humorum maſſæ, vel certo cuidam corporis loco, dyscraſia eiusmodi adfecto, deſtinatur, &
   2) *externam*, ad quam pertinent remedia digeſtiua, mundificantia, vlceribus abſtergendis conſecrata. *Conf. tabul. chirurg. de vlceribus.*

III. *INDICANTIA.*

Non eſt, quod de *indicantibus* fuſius hic exponamus, cum partim ſub *differentia*, partim ſub *indicatis* hac de re ſpeciatim dixerimus.

IV. *INDICATA ſeu REMEDIA.*

Hæc, vti ſub *differentia* iam diximus, variant pro cacochymiæ varietate

1. *Seroſo-*

1. *Seroſo-mucida* & *vappida* cacochymia corrigitur *reſoluentibus*, de quibus præcedente tabula diximus, & temperate *balſamicis*.

2. *Lymphatico-ſalſa communis* humorum deprauatio, quæ v. g. in ſcabie, tuſſi acri & adfectibus vlceroſis reperitur, expoſcit partim *reſoluentia catarrhalia*, partim *diluentia*, *gelatinoſa*, *mucilaginoſa* & *abſorbentia*, quæ infra ſequuntur.

3. *Lymphatico-ſalſa venerea* corruptio alteratur per *antiuenerea* e. g.

Rad. Bardanæ
Chinæ
Petaſitidis
Pimpinellæ albæ
Sarſaparillæ
Vincetoxici
Herb. Saponariæ
Lign. Fraxini
Iuniperi
Pini
Saſſafras.
Tinct. antimonii
Mercurialia. *Vid. tab. de ſaliuatione.*

4. *Acida*, tam primarum viarum, quam humorum corruptio requirit *abſorbentia* & *alcalia*.

1. *Abſorbentia* vel ſunt
a) *Animalia*, e. g.
Teſtæ Cochlearum
Concharum
Matris perlarum
Ouorum
Chelæ & lapides cancri
Cornu cerui vſtum & philoſophicum
Spodium, ſeu ebur philoſophice præparatum
Dentes ~~variorum animalium~~
~~Mandibulæ lucii piſcis~~, vel
b) *Mineralia* v. g.
Corallia
Creta
Cryſtallus montana
Vnicornu foſſile
Terræ bolares
2) *Alcalia* ſunt e. g.
Salia Abſinthii
Cardui benedicti
Centaurii minoris
Cinerum clauellatorum
Tartari
Volatilia ex animalibus deſtillata
Tinctura antimonii tartariſata,
Salis tartari & oleum huius per deliquium
Spiritus fuliginis

5. *Bilioſa acrimonia* & *cauſus* apte mitigatur & obtunditur *nitroſis*, *abſorbentibus*, *mucilaginoſis*.

1) Ad *nitrosa* pertinent
Nitrum crystallisatum, seu depuratum regeneratum
Lapis prunellæ
2) *Mucilaginosa* sunt e. g.
Ptisanæ
Cremor hordei
auenæ & aliæ tenerę mucilagines
Gummi Arabicum
Tragacanthæ
Iuscula pullorum gallinac. & gelatinæ.
3) *Absorbentia* superius indicata sunt.

6. *Sanguinea semi-putrida*, seu *scorbutica* corruptio corrigitur, partim per *generaliora resoluentia*, de quibus præcedente tabula locuti sumus, partim per *antiscorbutica*, e. g.

Rad. Allii
Armoraciæ, seu raphani rusticani
Ceparum
Cichorii
Raphani nigri
Herb. Acetosæ
Acetosellæ
Beccabungæ
Chærefolii
Chelidonii minoris
Cochleariæ
Fumariæ
Nasturtii
Piperitidis
Sedi minoris
Trifolii fibrini
Flor. Acaciæ recentes
Succ. Berberum
Citri
Ribium

7. *Sanguinea magis putredinosa labes* emendatur per *balsamica*, quæ sunt vel

1) *Vegetabilia* e. g.
Radices alexipharmacæ omnes
Herb. Basilicæ
Chamædryos
Hyperici
Hyssopi
Maioranæ
Mari veri
Melissæ
Menthæ crispæ
Pulegii
Rorismarini
Satureiæ
Scordii
Serpilli
Teucrii
Thymi & reliquæ, quæ *coronariæ* vocantur
Flor. Caryophyllorum hortensium
Croci
Lauendulæ
Liliorum conuallium

Pri-

Primulæ veris
Sambuci
Spicæ
Tiliæ
Sem. Anethi
Aniſi
Carui
Fœniculi
Sileris montani
Baccæ Iuniperi
Lauri
Lignum Aloës
Saſſafras
Aloë
Gummi hederæ
Maſtiche
Myrrha
Sagapenum
Sandaraca
Sarcocolla
Terebinthina
Olea ex balſamicis herbis aromatibus & ſeminibus deſtillata, e.g.
Caryophyllorum
Cinnamomi
Iuniperi
Lauendulæ
Meliſſæ
Rorismarini
Serpilli
Strobulorum pini
Balſamus de Copaiua
Peruuianus, vel
2) *Animalia* e.g.
Tinctura mumiæ
Ol. Ceræ
Ouorum, vel
3) *Mineralia* e.g.
Succinum & illius eſſentia, oleum
Rubinus ſulphuris ex balſamo ſulphuris paratus.

V. *MODVS OPERANDI.*

Vti varii generis ſunt remedia, cacochymiam corrigentia, ita variis quoque modis hunc effectum præſtant:

1. Alia enim ſufficiente aquoſitate acida diluunt, & hac ratione ſtimulum eorum infringunt, atque ad faciliorem excretionem illa præparant, e.g. potus calidus thée, coffée, veronicæ.

2. Alia, qualia ſunt abſorbentia, moleculis ſuis terreſtribus acidum coagulans corrigunt, dum humorum maſſæ adhærendo hanc ex lenta ſpiſſitudine in pulpoſam ac volubilem conſiſtentiam permutant, vel poroſiore ſua ſubſtantia partes acidas abſorbent, & cum illis in ſal medium abſtergens abeunt.

3. Alia coagulante ſua efficacia bilioſam acredinem quaſi figunt,

gunt, nempe acida & nitroſa; alia particulis ſalinis eamdem a partibus ſolidis abſtergunt, e. g. ſalia media.

4. Alia particulis ſuis oleoſis & pinguibus humores acres obtundunt: alia mucilaginoſis ſuis partibus eosdem inuoluunt & ad naturalem craſin reducunt.

5. Alia qualitatibus ſuis reſinoſo-ſulphureo-balſamicis corruptionem putredinoſam inhibent. At licet horum modus operandi phyſicus negari non poſſit, plura tamen phænomena, & præcipue exiguæ remediorum portiones, ſatis teſtantur, quod moralis ratio principatum hic teneat; anima enim gratis balſamicorum remediis excitatur, vt miaſmata talia e corpore ſuo animoſe proſcribat, id quod eo ſollicitius tenendum eſt, quo magis propter vulgarem conceptum error practicus in *calidis* præſcribendis facile committitur.

6. Alia, præcipue *abſorbentia*, effectu magis phyſico materias ſubtiles, agiles, fermenteſcentes & contagioſas obuiſcant, coagulant, irretiunt & inuoluunt.

7. Alia particulis ſuis acribus coagulatos humores vel generice, vel ſpecifice reſoluunt. Huc ſpectant *reſoluentia* priori tabula enarrata, *antiuenerea* & *antiſcorbutica*.

8. De modo operandi *mercurialium videantur notæ in tab. de ſaliuatione generali.*

VI. *MODVS PROPINANDI.*

1. Ante omnia primæ viæ per blandum aliquod euacuans ſunt expurgandæ: hæ enim quando impuritatibus ſcatent, vel acidis, bilioſis, acribus, vel mucidis, tum correctio, quæ humorum cauſſa ſuſcipienda eſt, irrita foret, & remedia ante, quam ad maſſam ſanguineam pertingerent, in primo ſtatim limine virtute ſua ſpoliarentur.

2. Deinde impuritatum ſpecies rite perueſtigetur, atque adpropriata corrigentia ei opponantur e. g.
   1) Mucidis reſoluentia
   2) Salino-acribus & bilioſis abſorbentia, gelatinoſa, mucilaginoſa, nitroſa.
   3) Scorbuticis antiſcorbutica

4) Ve-

4) Venereis antiuenerea.
5) Putridis & vappidis balſamica.

3. His alterantibus euacuantia vel coniungantur, vel interponantur, alias omnis correctio irrita erit. In hunc finem conueniunt
1) Laxantia, præcipue per epicraſin operantia.
2) Diapnoicæ & diureticæ euacuationes.

4. Plethoræ & hæmorrhagiarum naturalium tanto magis ratio habeatur, quanto frequentius præcipuum hoc momentum negligitur. Certiſſimum enim eſt, quod plurimorum cacochymia a quantitate humorum nimia originem habeat & per eamdem ſuſtentetur.

5. Denique tonus partium roboretur, & diæta conueniens imponatur; præcipue placidus corporis motus illis commendetur, quorum & corporis & morbi indoles illum tolerant. Dantur enim nonnulli, licet pauciſſimi, morbi chronici, inter quos luem veneream numeramus, qui a motu voluntario plus detrimenti, quam vtilitatis reportant.

VII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Magni quondam habita fuit, & adhuc dum habetur *pathologia cacochymica*, præcipue *falſa*. Principes nouæ huius ætiologiæ medicæ fuerunt *Tachenius* & *Syluius*, qui *Hyppocratis* effatum de *mille ſaporibus* ſiniſtre interpretati plus quam ſexcenta ſalium genera, omnium morborum cauſſas, accuſarunt. *Affectæ* eorum longe pertinacius ipſis præceptoribus huic ſententiæ inhæſerunt & diuerſos acores, atque ſalino-ſulphureas acrimonias, genus neruoſum diuerſo modo adficientes, pro omnium morborum auctoribus ſtrenue venditauerunt.

2. Hæc figmenta auream illam veritatem de humorum *ſimplici abundantia morbifera*, item de morbis ex *meris commotionibus* & ſanguinis *translationibus* ita obſcurarunt, vt pauci hodie meliora perſpiciant, complures vero adhuc abſtruſa illa hypotheſi, ex ignotis & obſcuris rerum figuris, atque qualitatibus morborum cauſſas arceſſente, dele-

delectentur & hisce ſuppoſitis remediorum oppoſitorum operationes per figurarum conſtitutiones contrarias ſibi fingant.

3. Equidem non prorſus inficiamur, ſalina & alia inquinamenta & poſſe & ſolere maſſam ſanguineam conſpurcare, atque non nullos morbos producere. Vſus enim acidorum, ſalſorum, dulcium non poteſt non prauam humorum mixtionem inferre, niſi quidem ſecretiones & excretiones vegete ſuccedant: hoc autem culpamus, plerosque & tantum non omnes morbos ex hisce ſalium fontibus deriuari, cum tamen hæc ſententia nulli demonſtrationi; ſed meræ opinioni innitatur, &, quod præcipue dolendum, in methodo medendi, practice adplicata, plus detrimenti, quam vtilitatis adferat.

4. Vbi autem cacochymia vere peccat, ibi omnino alterantia, ſupra commendata, requiruntur. At quemadmodum alterantes therapiæ reliquæ omnes exposcunt, vt euacuantia congrua, ad felicem effectum conſequendum, mox ſubiungantur, ita in cacochymiæ correctione hoc præcipue eſt obſeruandum. Quoniam enim deprauati humores, quocunque modo correcti, cum reliquis in gratiam redire non poſſunt, neceſſe eſt, vt per aluum, diureſin & diaphoreſin quantocyus eiiciantur.

5. *Scordium* in prauitate humorum putrida vt egregium balſamicum *interne* ſe commendat, id quod *myrrha* in læſionibus putridis *externe* præſtare in dies obſeruatur.

6. *Abſorbentia* vti præ aliis cacochymiam corrigentibus abuſui expoſita ſunt, ita tanto magis cautelas obſeruari neceſſe eſt, quas in *conſpectu medicinæ practicæ* hac de re paſſim inculcamus.

7. Optime miſcentur *abſorbentia* cum *ſalinis digeſtiuis*; quod ſi vero *ſola*, & in maiore quidem quantitate ingeruntur, tum cum materia peccante in paſtam abeunt, & tam in primis viis, quam in ipſis humoribus, peregrinos plane exſerunt effectus. Vbi autem abſorbentia acredinem bilioſam & acidam immediate attingere poſſunt, vt in effu-

effuſione bilis & ſoda; ibi *vt talia* optime ſe gerunt, id eſt, materiam peccantem in ſuos poros reſorbent.

8. Contra ſi acres bilioſæ impuritates *maſſam ſanguinis* conſpurcarunt, tum *nitrum* omnium eſt præſtantiſſimum.

9. ACETOSA.

1) Eſt vel *vulgaris ſylueſtris*, vel *rotundifolia hortenſis*, vel *Hiſpanica maxima*, pariter apud nos in hortis coli ſolita, atque vt ſucco acidulo non inſuaui exuberat, ita plurimos ægrotantes reficere poteſt.

2) Inprimis commode deſtinatur nimio æſtui, tam ſimplici, quam febrili, bilioſo ardori, ſiti clamoſæ, ictero leuiori, inflammationibus, tum aliis, tum præcipue faucium, phlogoſibus vagis cholericorum, hypochondriacorum & ſcorbuticorum, vbi & primas vias abſtergit & diureſin nonnihil promouet.

3) In his vltimis aptiſſime tota hæc planta cum aliis validioribus antiſcorbuticis e. g. cochlearia, armoracia miſcetur, quippe quorum acrimoniam, nimiæ interdum ebullitionis humorum concitatricem, blande temperat.

4) Veteres *radicem* maxime in omni ſanguinis commotione, febribus acutis & malignis, viscerum obſtructione & atonia plurimi feciſſe frequentiſſimeque adhibuiſſe conſtat. *Herba* tamen ob maiorem teneritudinem radici præferenda videtur.

5) Incerte vero laudantur aduerſus morſum canis rabidi, aut ſtrumas, neque *ſemen*, pariter incraſſantis & ſubadſtringentis qualitatis conſors, tam pulcrum remedium præbet in variis hæmorrhagiis, dyſenteria, febrium acutarum diarrhœa, quam vulgo celebratur.

6) Proſtant ex acetoſa *aqua deſtillata*, *ſyrupus* & *conſerua*. Crebrius autem *decoctum* præſcribitur ad iulapia, quod ſi e radice ſiccata, additis vel omiſſis herbæ foliis, fiat, gratus rubicundus liquor acquiritur.

10. ACETOSELLA.

1) Vocatur etiam *trifolium acetoſum*, ac præcedentem virtuti-

tutibus adæquat, teneritudine ſuperat; vnde ad eosdem vſus conuenientiſſima eſt, dummodo ægri acida tolerent. Cæterum haud participes cardiacæ & ſingularis cuiusdam analepticæ facultatis, quam ipſi ex foliorum, cordis figuram æmulantium, ſignatura competere quidam opinantur.

2) Proſtant hinc eadem præparata, nec non *ſal eſſentiale*.

II. BASILICVM, ſeu OCYMVM CITRATVM.

1) Variat pro foliorum magnitudine & colorum, quibus hæc picta ſunt, diuerſitate, rariſſimeque, excepto eius *ſemine*, ad vſum medicum transfertur.

2) Spargit autem ſuauiſſimum odorem quaſi aromaticum, licet ſucculentum ſit, meritoque vires quasdam roborandi & reſoluendi habere cenſetur. Vnde ſunt, qui hanc herbam ad capitis morbos, vertiginem, lypothymiam, triſtitiam, catarrhos frigidos, diureſin iuuandam, menſes obſtructos & pariendi difficultatem commendant.

3) *Externe* neruinum quoque effectum edit, & aduerſus venenatorum animalium morſus valere, itemque exſiccata vt egregium prarmicum prædicatur.

4) *Semen* veteres ſpeciebus roborantibus quibusdam addiderunt, ac hodie idem aliqui laudant in angina, aphthis, fiſſuris cutis & papillarum, clauis pedum, pectoris morbis. Sed nihil eſt, quod de virtute illius indubia proferre liceat.

5) Cæterum ex hac herba, lateribus duobus in medio excauatis interiecta, radiisque ſolaribus aliquamdiu expoſita, ſcorpiones gigni multi tradiderunt, hodierni autem plerique phyſici abnuunt.

12. CHELIDONIVM MINVS

1) *Ettmüllerus* hanc herbam tum inſipidam fere, tum acriorem obuenire monet. Vltima hæc ad vſum capitur & ſcorbuticis præcipue manducanda præbetur, quamquam promiſſis ſatisfacere raro experiantur practici.

2) Inte-

2) Integra autem plantula nempe cum radice ſpecificam reſoluentem & abſtergentem vim habere creditur in hæmorrhoidibus tumentibus, turgentibus, mariſcis ani, vnde etiam *ficaria* audit. Sed cautius applicanda eſt, ne maior inflammatio, vlceroſus denique & fiſtuloſus ſtatus ſubſequatur. Vt amuletum vero minime hæc mala aufert, neque alias vel ſanguinem coagulatum, vel ſtrumas discutit, neque duris tumoribus, vlceribus, nedum cancro inſigniter ſubuenit.

13. MARVM VERVM.

1) Penetrantem odorem atque acrem aromaticum ſaporem prodit, & a Gallis *Maſtichina*, forte ob ſimilem pene fragrantiam & effectum, quo mandendo largiorem mucum elicit, adpellatur.

2) Suppar autem maioranæ & neruinarum præcipue virium fœcunda habetur, ac licet rariſſime a medicis præſcribi ſoleat, tamen a quibusdam magnam ei efficaciam in capitis & vteri morbis tribui legimus, id quod vberior experientia planum faciet.

14. FLORES CARYOPHYLLORVM HORTENSIVM

1) Ob ſuaueolentiam & iucundam colorum varietatem exquiſitiore cultura digni exiſtimantur, & ſature *rubentes* præcipue medicis inſeruiunt ad roborandum & moderate incraſſandum.

2) Speciatim vero caput debilitatum recreare autumantur, propterea vulgo laudati in epilepſia, apoplexia, vertigine, ſyncope, oculorum caligine, palpitatione cordis, porro in diarrhœa, dyſenteria, vomitu nimio, febribus.

3) At, quod dolemus, experientia hodierna tantis encomiis minime aſſentitur, neque adſcriptam virtutem alexipharmacam, neque ſingularem cephalicam in vulneribus capitis vllo modo confirmat.

4) In officinis parantur ex his *aqua*, *ſpiritus*, *ſyrupus* & *conſerua*, quibus analeptica quædam vis haud derogari poteſt. Longe vero ieiuniora ſunt & *acetum*, & *tinctura* per acidulum vitrioli phlegma confecta,

& *oleum* per infusionem extractum, ad vlcera inueterata & fistulas, vt putant, accommodatum.

5) *Caryophyllus syluestris*, seu *montanus* (non aliter ac flores hortenses commendante *Theodoro*) a rusticis in decocto sumitur ad diuresin promouendam.

15. PRIMVLA VERIS

1) *Flores* huius herbæ etsi leuiter solum fragranti oleoso principio imbuti sint, tamen magnam virtutis opinionem habent in roborandis neruis, discutiendis stasibus, aut saltem stagnationibus, ac doloribus demulcendis.

2) Quippe cumulatæ passim exstant eorum laudes in paullo ante dictis capitis adfectibus, maximeque in paralysi, spasmis, arthritide, podagra, & malis veterinis; at quantopere experientes hodie deserant, non attinet pluribus euinci.

3) *Radix*, quæ amaricat, ad lumbricos infantum, febres, arthritidem, calculum & hernias valere perhibetur, quamquam vix prosperiore euentu.

4) Inter præparata vero e floribus *spiritus* reliquis præcellit, sed tamen ad aliorum vere neruinorum efficaciam non accedit. In aulis etiam interdum *vinum* ex his floribus paratur suauis & temperatæ indolis, quod magnates ad curam, vt loquimur, Maialem zu einer Frühlings-Cur subinde expetunt.

16. SEMEN ANETHI.

1) Qualitate & principiis non procul recedit a cumino, magis tamen anodynam & somniferam virtutem accepisse simul creditur.

2) Sicut igitur temperata sua semiaromatica indole resoluit & roborat, ita hoc scopo varia stomachi & mucidorum humorum vitia emendare potest, quamquam cumino aut caruo frequentius vti soleamus.

3) Speciatim singultum cum dolore coniunctum mire sedare, libidinem vero exstinguere & oculis quoque nocere, sed incertius, putatur.

4. *Ex-*

4) *Externe ſummitates*, quibus iuſtius anodyna quædam vis competit, doloribus capitis tum in cataplaſmate, tum in pediluuis conuenire, quidam docent. Cæterum & oleum anethi coctum, itemque deſtillatum ad ſupra dictum vſum commode poſſunt adhiberi.

17. LIGNVM ALOES.

1) An ita dicatur ob odoramentum, an propter amaritudinem aliasue cauſſas, disputent, quorum intereſt; nobis ſcire ſufficit, illud haud a planta, quæ aloën ſuggerit, ſed a peculiari arbore Indica prouenire, atque a quibusdam ad pellari *lignum paradiſi*, vel *agallochum*, etſi alii agallochum a ligno aloës diſtinguant & *Langius* verum agallochum raro ad Europæos exportari, ſpurium autem frequenter ſub huius ligni nomine venumdari ex A. N. C. alleget.

2) Probatur autem ſolidum, ſpadicei coloris, ſtriis ferme nigricantibus notatum, ſaporis ſubacris & amaricantis, odoris, dum accenditur, aut frictione caleſit, fragrantis; indeque principia eius aromatica, reſinoſo-terrea & qualitates reſoluendi, discutiendi ac roborandi ſtatuuntur.

3) Atque has virtutes plerique hodie tanti æſtimant, vt ipſum hoc lignum inter cephalica, cardiaca & ſtomachica præcipuum quemdam locum mereri videatur. Proinde eius laudes proſtant in cerebri, memoriæ, ac viſus debilitate, in lipothymia, palpitatione cordis, cruditate, vermibus, colica, cholerica, dyſenteria, morbis vterinis, cachexia.

4) Sed, licet haud plane inefficax ſit, tamen *interno* vſu minime tantis encomiis reſpondet, & ſalubrius *externe* adplicatur in catarrhis capitis, ſuſurro auritum, flatulentia & atonia inteſtinorum aut alibi occurrente, itemque ad fœtorem oris paullo corrigendum manducatur.

5) Hoc ſcopo ſatis eſt idem, vel *vino decoctum cataplaſmatis* inſtar, vel in *ſuffitu* adhibere. Alias in officinis proſtant *ſpecies*, *trochiſci*, *eſſentia*, *extractum*, id

quod nonnulli *confectioni alchermes* conferendum esse viribus duxerunt.

18. LIGNVM PINI.

1) De domestica arbore, quæ nuces pineas circa Rauennam præcipue profert, hic non loquimur, sed de nostrate syluestri, seu pinastro fructifera, ab abiete & picea distinguenda, cuius *ligno* resoluendi & mundificandi efficaciam scorbuticis & malo Neapolitano delumbatis subuenientem quidam adiudicant.

2) Præcipue autem *coni* resinosi *turiones* & *folia* pini æque ac abietis *decocta* celebrantur in scorbuto, indeque nata paralysi & arthritide vaga, colica, at cum acri oleo turgeant, grauiorem facile humorum ebullitionem & nisi parce vsurpentur, talium malorum exacerbationem inferunt.

3) *Externe* certius conferunt ad sordes cutis scabiosas & vlcerum inquinamenta, itemque, vt nonnulli volunt, ad paralyticam & atrophicam membrorum debilitatem, menses ciendos, & in cataplasmate ad tenesmum.

4) Ad huiusmodi vsum etiam vocatur *oleum tædæ*, seu *templinum* ex hac arbore eductum; aliis quoque placent vel *rob* ex decocto strobilorum paratum, vel *spiritus* per fermentationem inde confectus, vel *aqua destillata*.

5) Cæterum *puluis* ille *flauus*, qui in iunioribus conis subinde reperitur, conuenit cum sulphure vegetabili musci clauati in phthisi, aliisque morbis, sed frustra, laudatus. De *Pice* alibi actum est.

19. GVMMI HEDERÆ.

1) Mirum plerisque videri posset, hoc gummi reliquis huius familiæ adnumeratum fuisse, cum vulgo tantum *externe* ad capillos erodendos, pediculos eorumque ouula, seu lendes, exstinguendos & claritatem oculis adferendam commendetur.

2) Sed omnino, si quis genuinum orientale, cuius notas autores obscure admodum tradunt, sibi compa-

ret

ret & prudenti vſui ſubiiciat cum nobis haud adeo aduerſum fore credimus.

3) Neutiquam autem illud probamus, quod iuxta vulgarem deſcriptionem ſaturo virore aut nigredine infectum acrem & adſtringentem ſaporem linguæ imprimit, omnis ferme odoris expers; ſed ſollicite conquirendum eſt gummi hederæ flauo-rubellum hyacinthino ſplendore, ſuaueolens & fragrans, inprimis ſi conteratur, ſapore non ingrato, nec acri valde, nec ſtyptico præditum, baccis & feſtucis ligneis hederæ paſſim adhærens, atque hoc ab omnibus impuris moleculis nigricantibus, quæ ſemper & fere copioſius interiacent, ſegregandum.

4) Tale gummi, reſinoſo-terreis principiis vber, aliis conuenientibus remediis adſociare in plerisque morbis chronicis vtile compertum fuit; namque egregiam humores fundendi, reſoluendi & laxiores fibras roborandi poteſtatem ſæpe oſtendit, neque tamen modo iuſta doſi exhibitum, orgasmum ſanguinis, aut alias turbas vnquam excitaſſe notatur.

5) Itaque in cacochymica & vappida ſanguinis intemperie, morbis frigidis cachecticis, chloroticis, mucidis catarrhalibus commode poteſt adhiberi, idque in forma vel vino cum aliis ſoluta, vel pilulari.

20. SARCOCOLLA.

1) Adparet in granis ſpongioſis & friabilibus, colore ſubrufo interpoſitis quandoque micis ſplendentibus, ſubpallidis, ſaporis ingrati, odoris per ſe nullius, ſi vero accendatur, aduerſi, atque ab arbore quadam Perſica, *quam Hermannus tithymalum arboreſcentem ſpinoſum* eſſe putat, funditur hoc gummi mucidis terreis abundantius, paucioribus ſalinis & ſulphureis partibus repletum; vnde cum inſpiſſet, glutinet, & nonnihil abſtergat, tum ad vulnera & vlcera conſolidanda, & cicatricem inducendam iam diu, vel ipſo nomine teſte, vſurpari conſueuit.

2) Neque tamen epuloticum ſolum eſt, ſed etiam luxatis

aut

aut fractis artubus adplicari, nec non oculorum vulneribus & vitiis frigidioribus albugini & nubeculæ dicari poteſt, modo hic præcepta autorum teneamus, vt ob acrimoniam in eo ſimul latentem, qua oculis nocumentum minatur, lacte temperatum modice imponatur.

3) Pauci *ſuffitum* ex eo & terebinthina in tenesmo laudant, nonnulli quoque *internum* eius vſum in diarrhœa, dyſenteria, hæmoptyſi aliisque ſanguinis profluuiis adprobant, ſed non eſt, quod ſuadeamus imitamentum.

21. FVLIGO.

1) Eſt ſubſtantia e tenui terra, acido & reſinoſo lignorum principio motu igneo concreta & eleuata, indeque reſoluentem, ac ſudoriferam præcipue qualitatem habere iudicatur.

2) Itaque alii fuliginem, nempe ſplendentem, cum aceto miſtam porrigunt in ſanguine grumoſo, caſu ab alto, partu difficili, & febribus, alii ex ea per alcali tinctu-ram extrahunt in malo hyſterico commendatam, *Glauberus* etiam decoctum illius rubeſcens aſperrimo frigori exponendum & deinde liquorem ſalino-oleoſum penetrantem, qui in centro aquæ congelatæ reſidet, ad vſum adſeruandum eſſe præcipit.

3) An vero plerisque ſubiectis aptum ac tam ſalubre medicamen ſit, quam paſſim extollitur, dubitamus, præſertim cum largius datum facile orgasmos ſuscitare & vterinos ac febriles motus acriter intendere ſoleat.

4) Vlteriore ignis agitatione ex hoc concreto elicitur *ſal volatile* & *ſpiritus vinoſus*, qui vtique omnes alios fere ſubtilitate antecedit, adeoque ad varium vſum, vti alia huius generis, idoneus eſt; ſed vulgo prædicatam ſingularem virtutem in colica, podagra, nedum in pleuritide & febribus malignis neutiquam tuetur. Neque *oleum flauum* & *rubicundum*, quod poſt ſpiritum deſtillatione prodit, fidum ſe præſtat in ſuffocatione hyſterica, pellendo fœtu, externe in lepra,

lepra, doloribus podagricis. Idemque ridicula & vltra ſesquipedem tumida hyperbole animam agentes mirifice refocillare perhibetur. *Confer. Ettmüllerus.*

22. CARBONES TILIAE.

1) Crudum & incertum remedium ſuggerunt, licet *Helmontius* & *Hartmannus* eos cum aceto datos lapſis & vulneratis ſuccurrere opinentur.

2) Præſtantior eſt *florum* tiliæ qualitas, vt ſupra monuimus. *Cortex intermedius* vero perquam leue auxilium promittit in ambuſtionibus & vlceribus; neque idem cum vel ſine gemmis & foliis decoctus arthriticos, calculoſos, feminas obſtructione laborantes adeo ſubleuat.

3) Pari modo hæc arbor epilepticos ſcilicet reſtituit; certe, niſi alia meliora accedant, neque vmbra ſua, neque granis, ſeu baccis ſubadſtringentibus, neque visco, neque ſucco, neque carbone vix vmquam tam optatum effectum editura.

4) Quod ſi autem tiliacea adhibere quis hoc ſcopo cupiat, ille ſuccum e trunco, circa radicem tempore verno ſauciato, manantem excipere ac tentare poterit, ab *Ettmullero* aliisque cæteris omnibus antelatum.

23 CHELAE CANCRORVM.

Cum aliis oſtracodermatis conueniunt, ac tuto eorum vice, ſi ita neceſſitas ſuadeat, fungi poſſunt, ſaltem cuncta terrea bolaria & abſorbentia ex animalibus terreſtribus deſumta, virtutibus ſuis longe anteire obſeruantur. Plura vide ſupra de *lapillis cancrorum.*

24. DENS APRI.

Hic tenuiſſime comminutus ad abſorbentium ſubtiliorum claſſem pertinet, meritoque in vſum vocatur in febribus inflammatoriis, hecticis, ſed tamen generali magis efficacia agit, quam ſpecificam virtutem in pleuritide & angina laudatam demonſtrat.

25. CORALLIA.

1) Concreta hæc, e mari præcipue mediterraneo piscatione extrahi ſolita, veteres inter vegetabilia marina, alii inter lithodendra, multi recentiores etiam inter mere lapidea referunt & vulgari de mollitie illorum ſub vndis opinioni contradicunt.

2) Proferuntur autem maxime *alba*, *rubra* & *nigra* compluraque alia coloribus ab his plus minusue recedentibus inſignia, neque deſunt *ſpuria*, quæ oſteocollæ ſpeciem repræſentant, & quoniam veris coralliis poroſiora ſunt, a phyſicis *Pori* varie figurati adpellitantur.

3) Cæterum Medici inprimis in vſum vocant vera rubicunda, iisque multas virtutes adſcribunt. Neque negari poteſt, ipſa ob craſin terream & limoſam multum valere in abſorbendo, ac tonum languentem nonnihil reſtaurando; vnde apta & ſalubria ſunt ægris orgasmo ſanguinis, acrimonia bilis, fluxu cholerico, diarrhœa, dyſenteria, ſpaſtico artuum dolore correptis, itemque torminoſa inteſtinorum acrimonia cruciatis infantibus,

4) Mirificam tamen facultatem medendi nusquam fere præ aliis huius generis probatis edunt, omninoque illos, qui ob *ſulphur* ſcilicet *ſolare* ſpeciales analepticas, confortatiuas, alexipharmacas & antepilepticas vires a coralliis rubris præſtolantur, deludunt. Futilius vero adhuc & ſuperſtitioſius adpenſa prædicantur in fascinationibus & lemurum terriculamentis abigendis.

5) Ad ſupradictum vſum ſimplex coralliorum *puluis* ſufficit, vtpote, ſi cum aliis conuenientibus misceatur, ſatis polychreſtus, certe fidelior illis artificialibus *tincturis*, quas inde a *Paracelſi* temporibus ſummo quidem honore adfectas, acriterque quæſitas, ſed, deficiente illo potentiſſimo Alkaheſt, a nemine adhuc dum rite inuentas nouimus.

6) Ple-

6) Pleræque autem ſic dictæ tincturæ coralliorum ſunt tantum ſubtiles corporis integri ſolutiones, e quibus illæ ad vſum paullo magis roborantem & ſubadſtringentem deligi poſſunt, quæ blandioribus acidis vegetabilibus v. g. ſucco citri, berberum, item ſpiritu mellis perficiuntur. Altius quiddam in receſſu habere videtur coralliorum recluſio per menſtruum ex mercurio ſublimato ac ſpiritu ſalis factum, & a *Cnöffelio* commendatum, nec non per longiorem triturам, quam *Langelottus* & *Borrichius* extollunt; ſed magna his laboribus eruta vis medica nondum hucusque inclaruit.

7) Pariter vel friuola, vel incerta ſunt pleraque *magiſteria*, vtpote quæ ſimplici pulueri cedunt, opera & ſumtibus indigna.

26. CRETA.

1) Terra hæc compacta & valdopere macra copioſe in Brabantia aliisque locis effoditur, ac differt præcipue pro vario colore, quippe non albicat ſolum, ſed & ochrea, cinereo violacea, braune Kreide, cœrulea, viridis, nigra, ſubfuſca conſpicitur.

2) In medico foro famoſum eius nomen eſt inter abſorbentia, exſiccantia & incraſſantia remedia, ideoque commendatur maxime in ſoda, ardore vrinæ, bilis acrimonia & vermibus; at profecto crudum medicamen præbet, oſtracodermatis craſſius & virtute inferius; nam vt alias creta cum acidis in ſtypticum crama abit, ſic in corpore noſtro, præcipue inteſtinis, cum talibus humoribus coaleſcendo noxam inferre poteſt, quam ſane euidenter a largiore cretæ vſu puellæ, formoſi (verius deformis) palloris aucupes, experiuntur.

3) *Externe* laudem habet in hæmorrhagia narium, vlceribus, quin & in inflammatione & podagra. Sed his vltimis poteſt inde retroceſſio periculoſa euenire, & in vniuerſum tutiora nobis ac præſtantiora ſuppetunt.

TABVLA XVI.
DE
ADSTRICTIONE.

I. *DEFINITIO.*

Adſtrictio eſt actus therapiæ alterantis, quo motus tonicus, in partibus ſolidis relaxatus, per conuenientia remedia ita intenditur, atque augetur, vt fluidarum, quas continent, progreſſus & æqualis diſtributio promoueatur, hæmorrhagiæ quoque excedentes refrænentur, immo nonnumquam euacuanda exprimantur. Huc referuntur remedia *repellentia, reprimentia, adſtringentia, tonica, traumatica, ſtyptica.*

II *DIFFERENTIA.*

1. *Adſtrictio* differt ab *incraſſatione;* hæc enim ſolum in *humores* agit, illa vero cum *motu* partium *tonico*, rarius cum *humoribus* commercium habet.

2. Eſt autem adſtrictio vel

1) *grauior*, quæ repente & fortiter effectum ſuum exſerit, ac diſtingui poteſt in

a) *directam*, quæ immediate fibras ſolidarum partium coarctando & conſtringendo qualicumque humorum adfluxui & effluxui obices ponit; & in

b) *indirectam*, quæ iterum duplex eſt, dum vel

α) *humores* incraſſando ſeſe exſerit, vel

β) *motus* peculiariter prouocando euentum eiusmodi producit.

2) *Leuior*, quæ iuſtum atque naturalem partibus conciliat *tonum;* quo lenius vero huius toni augmentum eſt, eo magis partes roborantur.

3. Deinde adſtrictio eſt vel

1) *interna*, quæ per repellentia, reprimentia, tonica perficitur; vel

2) *externa*, quæ per traumatica, ſtyptica obtinetur.

III. *IN-*

II. *INDICANTIA.*

Expoſcunt vero adſtrictionem

1. *Fortiorem*,

1) viæ vltra modum patulæ.

2) Efferæ ſanguinis profuſiones, præcipue lochiales, vterinæ.

3) Humores nimium fluxiles & ſeroſi.

4) Alui fluxus enormes, qui aliis euacuantibus & abſtergentibus cedere recuſant, ſed impetu feroci continuant.

5) Febres intermittentes, fixam nactæ ſedem, & remota materia peccante ſolis motibus anomalis contumaciam exſerentes.

6) Violenti externi fluxus a ſoluta vnitate pendentes.

7) At quibus cautelis hæc omnia circumſcripta ſint, infra dicetur.

2. *Leniorem, tonicam*

1) cuiusuis partis laxitas, ſeu atonia, & ex hac proficiſcentes ſanguinis

a) vel effluxiones,

b) vel ſtagnationes.

2) Diabetes.

3) Sudores nimii.

4) Debilitas viſceris cuiusdam a morbo prægreſſo ortum trahens.

5) Euacuationes per viſcus quoddam, e. g. per renes, pulmones factæ.

IV. *INDICATA ſeu REMEDIA.*

A. *Vegetabilia.*

Rad. Biſtortæ
Bugulæ
Conſolidæ maioris
Filipendulæ
Lapathi
Pentaphylli
Pimpinellæ ſanguiſorbæ
Plantaginis
Pſeudoacori
Rhabarbari toſta
Rubiæ tinctorum
Sigilli Salomonis
Tormentillæ

Herb.	Agrimoniæ
	Alchymillæ
	Anſerinæ
	Auriculæ muris
	Bellidis vulgaris
	Bugulæ
	Burſæ paſtoris
	Equiſeti
	Gnaphalii variæ ſpecies
	Hederæ terreſtris
	Herniariæ
	Hypericonis
	Matriſiluæ
	Millefolii
	Nummulariæ
	Pentaphylli
	Perfoliatæ
	Perſicariæ
	Plantaginis
	Polygoni
	Pyrolæ
	Saniculæ
	Scabioſæ
	Veronicæ
	Vincæ per vincæ
	Virgæ aureæ
	Vrticæ minoris
	Vuulariæ.
Muſcus	Cranii humani, ſeu vsnea
	Quernus
Semen	Acetoſæ
Flores	Balauſtiorum
	Hyperici
	Portulacæ
	Roſarum rubrarum
	Sophiæ Chirurgorum.
	Folia querna
Lignum	quernum
	Santalinum rubrum
Cortices	Chin-Chinæ
	Fraxini
	Granatorum
	Tamariſci.
Viſcum	quernum.
Fungus	Crepitus lupi
	Cynosbati
Fructus	Berberes
	Caſtaneæ
	Corna
	Cupulæ glandium
	Cydonia
	Gallæ Turcicæ
	Grana Kermes
	Meſpila
	Mora
	Myrtilli
	Nux Cupreſſi
	Pruna &
	Pyra ſylueſtria
	Ribeſia
	Sorba.
Gummi	Laccæ
	Maſtichis
	Sanguinis draconis]
	Sarcocollæ
	Thuris ſeu Olibani.
Succus	Hypociſtidis
	Terræ Catechu.

B. *Animalia.*
Cochinella
Cornu Cerui vſtum
Ebur vſtum
Hippopotami dens
Manati lapis
Os ſepiæ
Pili leporis
Priapus ceti
Tela araneorum
Vnicornu foſſile.

C. *Mineralia.*
Acida mineralia
Alumen
Bolus Armena
Corallia rubra & alba
Gemmæ
Hæmatites
Hyacinthus
Martialia & præcipue crocus martis adſtringens
Minera martis Haſſiaca
Ochra
Saturnina, e. g. ceruſſa, lithargyrium, minium, plumbum vſtum, ſaccharum ſaturni
Terra Lemnia Sigillata
Vitriolum

V. *MODVS OPERANDI.*

1. Motum adſtrictionis a principio vitali interno dependere, tam ex ſtatu hominis ſano, quam præternaturali, ſatis ſuperque edocemur. Sicut enim illud leniore ſtructuræ gradu, quem toni naturalis augmentum vocamus, omnes euacuationes ordinarias promouet; ita eodem valde intenſo tantas ſubinde conſtrictiones & occluſiones patrat, quantæ vix vllo pharmaco efficiuntur, vti videre licet in hæmorrhagiis e terrore ſuppreſſis, itemque in ſpasmis & conuulſionibus vias maximopere coarctantibus.

2. Idem euidenter in oculos quaſi incurrit, vbi languenti naturæ ſubſidiis adſtringentibus ſuccurrere iubet neceſſitas. Quotidiana namque experientia teſtatur, remedia huiusmodi primo omnium in primas vias delata & dehinc chyli ope per totum corpus diſtributa, non in quouis corporis loco, licet circulationis lege quemuis attingant, ſed plerumque & præcipue in parte læſa, vel relaxata conſtrictoriam ſuam exercere virtutem. Itaque merito concludimus, tam diſtributionem, quam effectum

ctum eiusmodi remedii adscribendum esse principio rationali, tale quid percipienti, ac ad necessarium locum consulto dirigenti.

3. Immo ne quidem semper necessarium est, vt hæc remedia oblata ad illum locum peruehantur, in quo adstrictio fieri debet; sed natura in aliquo loco cum euacuatorio actu operosa & occupata, effectum adstrictionis per remedium oblatum sentiens excitatur, vt eumdem in eum locum transferat & administret.

4. Excitationes autem, quas ipsa remedia adstringentia efficiunt, diuersa ratione fiunt: Alia enim sale suo crasso & austero fibras teneras ita molestant & offendunt, vt natura ad hunc molestum sensum, partium flexilitati maxime infensum, excutiendum, mox fibrillas musculares crispatorio motu contrahat, & adhærentes particulas austeras ac terrestres amouere adlaboret.

5. Quo vehementioris vero atque magis drasticæ indolis sunt oblata eiusmodi remedia adstringentia, eo validius quoque & obstinatius constrictorium suum motum prosequitur natura. Contra quo temperatioris sunt indolis, eo plus emolumenti adferunt, & suo tempore exquisita temperie adhibita aperientem quoque & exoptatissimum post se relinquunt effectum.

6. Alia certis partibus sensibiliter aliena sunt, & in iisdem citius, quam in aliis operantur; sic quædam magis membranaceas & tunicaceas, nonnulla musculosas partes citius alterant. Sunt e. g. remedia, quæ in ore detenta narium hæmorrhagias & hæmoptysin adstringente effectu compescunt.

7. Alia dantur remedia, quæ secundario humorum incrassatione adstringentem edunt effectum, qualia sunt terrea bolaria & gypseo-calcareæ indolis, quæ humores nimis fluidos inspissando, ad adfluxum & effluxum ineptiores reddunt.

8. Sunt denique alia, quæ externe adplicata, vel humores in superficie cutis coagulant, vel ipsam cutem cum acidosali-

ſalino principio moleſtius adficiunt, vt contrahatur. Hunc effectum ſulphur externe adpoſitum præcipue poſt ſe relinquit.

VI. *MODVS PROPINANDI.*

Vbicumque adſtrictione opus eſt, ibi proſpiciendum

1. ne vllo magno impetu, ſed gradu ſenſim progrediente & increſcente tentetur, alias ſtricturæ tam pertinaces inferentur, vt multa damna inde proueniant.
2. An *vires* & reliqua ægri conditio eam perferre poſſint; ſubiecta enim tenera a leuiſſima adſtrictione in motuum turbas coniiciuntur.
3. Vt *regimen* aptum ſubiungatur: quies enim & frigus vti adſtrictionem promouent, ita motus corporis & blandus calor nimias quc que ſtricturas moderari poſſunt.
4. Vt denique ſuo tempore & loco debita atque congrua materiæ illius, per adſtrictionem aliquo modo correctæ, euacuatio contingat. Hinc vbi adſtringentia neceſſaria videntur, conuenit illa modo digeſtiuis, abſtergentibus, discutientibus comitari, modo ipſorum vſui hæc & leniora laxantia ſubiungere.

VII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. De adſtrictione generatim notandum, repentinos effectus & præcipites motuum alterationes per eamdem produci poſſe, cum nullus actus tam facilis & leuis ſit, quam hic adſtrictorius. Sed loca adſtricta denuo reſerare, vinculaque hac medicatione inducta reſoluere, vel tantum relaxare, magni laboris opus eſt.
2. Magno enim ſæpius cum damno contingit, vt ſtrictoriis motibus ſemel adſueta natura eosdem quaſi mordicus retineat, nec niſi operoſa medicatione, longo tempore, imo ſubinde nunquam ab illis ſe reuocari patiatur.
3. Poſuimus quidem indicata adſtrictionis validioris, ſed prudente atque circumſpecta æſtimatione in iis morbis decernenda ſunt. Neceſſitas enim vſus adſtringentium admodum circumſcripta eſt, niſi hæc mala ſummum ſui gradum attigerint.

4. *Hæmorrhagiæ* iuniorum, floridorum, plethoricorum, qui de reliquo ſatis vegeti, alacres & viuidi ſunt, licet ſæpius aut affatim eueniant, adſtringentibus compescendæ non ſunt; niſi quidem per periculoſa loca e. g. per pulmones, ſummo cum impetu erumpant, & mortem minentur.

5. Adſtrictoria cohibitio ſanguinis *hæmorrhoidalis* non audacem ſed prouidum vtique exposcit artificem. Quam cito enim in pertinacem abeat ſuppreſſionem, & quæ damna huius fluxus adſtrictio relinquat, quotidiana teſtatur experientia.

6. Eamdem dexteritatem deſiderant nimiæ hæmorrhagiæ feminarum. Non ſufficit enim ſanguini congeſto *exitum* præcludere, id quod facile poteſt obtineri, ſed artis eſt, vt etiam *aditus* & vlteriores *congeſtiones* prudenter reuellantur.

7. Sic e triſtibus exemplis frequentius intelligitur, *febres intermittentes* famoſo illo febrifugo, *cortice Peruuiano*, ita coërceri, vt ex intermittente lenta & tandem hectica oriatur.

8. In dyſenteria, febribus bilioſis, vomitu cruento, aſthmate, febre lenta, hectica, phthiſi, gonorrhœa maligna, ſoda, adfectibus ſpaſtico-arthriticis, vrinæ incontinentia directus adſtringentium fortiorum vſus non eſt concedendus.

9. Tutioris autem vſus ſunt tonica, quæ vel neruinis maritata, cuius generis eſt mixtura tonico-neruina *Stahlii*, vel lenibus anodynis coniuncta, in cohibendis ſanguinis, præcipue menſtrui, fluxibus multum poſſunt.

10. Adſtringentia *externa* æque cautum exposcunt vſum. Præmatura enim vlcerum adſtrictio & materiæ ichoroſæ in corpus repulſio, ſcabiei per ſulphurata linimenta repercuſſio, œdematum & vlcerum manantium diuturniorum repreſſio, numquam bona fide & ſecuritate fieri poteſt.

11. FILIPENDVLA.

1) Herba & radix, quam & *ſaxifragiam rubram* vocant, in vſu ſunt, atque abſtergere pariter ac adſtringere dicuntur, a quibusdam exinde laudata in nephritide, iſchuria, hæmorrhoidibus dolentibus & dyſenteria.

2) Sed imitantes plerumque ſpe ſua excidunt, vnde certiora præſidia merito huic plantæ anteponimus.

12. PENTAPHYLLVM.

1) Hæc planta itidem manifeſto obſtipat & adſtringit, perperam exinde magnis encomiis in tertiana, quartana, hectica, obſtructione hepatis, paralyſi, podagra, epilepſia, calculo, a quibusdam onerata; quippe ſpecificum ſalubrem effectum nusquam edit, generali autem ſua vi maius plerumque damnum adportat.

2) Neque audiendus eſt *Tabernæmontanus*, qui radicem huius plantæ comparat radici *Chinæ*. Et cum omnia hæc minus cognita ſint, ſufficere poteſt vſus *externus*.

13. PIMPINELLA SANGVISORBA.

Maiori minor præfertur, cuius folia teneriora ad acetaria ſubinde expeti videas. Cæterum cum hanc, præter adſtringentem, alia ſingulari medendi facultate donatam eſſe nondum innotuerit, nihil opus eſt plura attexere.

14. PLANTAGO.

1) Hæc, vti & ſemen eius, ex ſalino, acido & terreſtri principio ſatis manifeſto adſtringit, tam interne ſumta, quam extus adplicata.

2) Vnde intelligi poteſt, qua circumſpectione accipiendæ ſint huius herbæ laudes in hæmorrhagiis, dyſenteria, gonorrhœa, fluore albo, morbis hepaticis, quartana, ictero, hydrope, phthiſi, ſingultu. Certe niſi parce detur, maiora facilius damna iniunget.

3) Neque ſatis perſpecta eſt vis alexipharmaca, quam multi ex hiſtoria illa de *bufone*, ab araneæ ictu ſe foliis plantagins defendente & curante, probare contendunt.

4) Neque *extus*, etſi vulnera conſolidet, in igne ſacro, ſpasmis, podagrico dolore & tumore conducere animaduertitur.

5) Denique nec *radix*, quæ ex parco nitroſo principio leniter abſtergit, celebratam vtilitatem ſui in peſtilentia, febribus, renum vitiis huc vsque oſtendit.

15. PSEVDOACORI RADIX.

1) Eſt *iris paluſtris* flore *luteo*, probe diſcernenda ab *iride* ſeu *gladiolo cæruleo*, folia quidem ſimilia, ſed longe aliam qualitatem nacto; nam hic ad purgantia pertinet, cum pſeudoacorus plane diſſonam & ſat magnam conſtringendi poteſtatem exercere videatur.

2) Quapropter vel ſolum de collo ſuſpenſa dyſenteriam ſedare dicitur. Nos certe virtutem huius radicis in profuſiſſima narium vetulæ cuiusdam hæmorrhagia, quam detenta in ore, irritis aliis omnibus, præſenter coërcuit, aliquando vidiſſe meminimus

16. SIGILLVM SALOMONIS.

1) Huius radix præcipue in vſu eſt, facultate ſua adſtringendi ac detergendi inſignis, ſed tamen rariſſime intro ſumitur, cum publicatis eius laudibus in fluore albo, hernia, iſchuria nullum fere pondus accedat ab hodiernis experimentis.

2) *Externe* vero cum aliis miſta egregie ſe gerit in congeſtionibus humorum, ſtaſi recente, tumore adhuc molli, inflammationibus; inprimis in omni contuſione & ſugillatione, vbi eam, quia acrior eſt, cum radice *ſymphyti* admixta temperare ſuadet *Ettmüllerus*.

3) De reliquo fruſtra laudatur ad teneſmum, podagram & malum iſchiadicum, neque cosmeticum illum effectum edit, ad quem virgines fuci ſtudioſæ ſuſpirant.

4) Præſtat [illegible], alias & in *decocto*, *gargarismate*, *fomento*, *ſacculis ſiccis*, vel *cataplasmate* adhiberi poteſt.

17. ALCHYMILLA.

1) Præter adſtringentem, qua pollet, facultatem, etiam motum humorum inteſtinum augere, & inflammationem,

tionem, ſi quæ præſto ſit, exacerbare notatur, vnde cum *interno* eius vſu cautius mercandum eſt, v. g. in vomica pulmonum, exulceratione dyſenterica, herniis, vbi vulgo commendatur.

2) *Extus* autem egregie conuenit eius decoctum, cum aliis permiſtum, in vulneribus & vlceribus; laxitatem partium quoque corrigit, experimento Italorum in mammis pendulis vſitato.

18. ANSERINA.

1) Auſterum & acrem ſaporem prodit, ac præter quam, quod vt adſtringens in variis fluxibus & vulneribus commendabilis exiſtimetur, ſpecificum hepaticum & anti-ictericum audit, itemque ſingulare arcanum in nephritide calculoſa.

2) Maior autem experientia requiritur, vt pro nobilibus hiſce virtutibus quis ſpondere poſſit. Non minus incertum eſt, hanc herbam, in calceamentis geſtatam, ſupprimere menſes & dyſenteriam, planeque intutum tentamen eſt, illius ope paroxyſmos febriles coercere.

3) *Externe* laudatur in intertriginibus, vlceribus, mobilitate dentium, hæmorrhagia narium, morbis oculorum, maculis faciei & lentigine; quæ omnia, an ſatis firmo talo nitantur, diligentius adhuc excutiendum eſt.

19. BVRSA PASTORIS.

1) Satis valide adſtringit, ideo caute vſurpanda, tam in internis morbis, quam externe in dyſenteria, inflammatione, podagra, tumoribus, febribus, & certe tutius hic omittitur, cum nihil veri leuaminis adferre queat.

2) Meliorem efficaciam promittit in vulneribus, vlceribus oris & dentium vacillatione. Cæterum plantis pedum ſuppoſita, nec ictericos, nec cephalalgia adflictos percurat.

20. EQVISETVM.

1) Huius vſus, ob adſtrictionem, quam efficit, pari indi-

get circumſpectione, ſpecificas autem vires nusquam adhuc comprobauit.

2) In mictu cruento, præmiſſis aliis, viſa eſt hæc herba ſubinde operæ pretium feciſſe, nec effectum noxiæ adſtrictionis reliquiſſe. De cætero rarius adhibetur.

21. GNAPHALIVM.

Generatim, vt cætera huius claſſis, adſtringit, ſed ſpecialem & probatam in dyſenteria efficaciam, vt nomen eius Germanicum vult, non oſtendit, neque oculorum mala inſigniter leuat, neque de collo ſuſpenſa lumbricos infantum interficit.

22. MATRISYLVA.

1) Mitioris traumaticæ & abſtergentis etiam qualitatis conſors, inprimis iecinori amica, vlcerumque internorum & icteri medela iudicatur; id quod vlteriori experientiæ relinquimus, vehementerque optamus, vt *hepaticæ ſtellatæ* cognomen vere tueatur.

2) Dubie vero nonnulli adſerunt, ab hac herba mœrorem animi, palpitationem cordis, & venenorum vim depelli, vel pedibus ſuppoſita partum adiuuari.

23. NVMMVLARIA.

1) *Centummorbia* etiam adpellatur, quamuis illam præter virtutem vulnerariam magnis aliis dotibus inſtructam eſſe nondum conſtet.

2) *Ettmüllerus* quidem hanc inter antiſcorbutica refert, alii in ſtomacace ſaltem itemque in tuſſi ſicca, ſanguine congrumato, hæmoptyſi valere prædicant, nonnulli denique ipſam in hominibus curare, quibus contra inferre phthiſin opinantur; ſed finem talis efficaciæ nondum firmauit vberior experientia.

24. PERFOLIATA.

Experta ſatis vulneraria eſt, & non magis ad externum vſum, quam internas potiones recipi ſolita. Hæ vltimæ tamen parcius adſumi debent, tum in læſionibus vlceroſis, tum etiam in hernia, ad quam ſanandam herba & ſemen vulgo magnopere conducere perhibentur.

25. PER-

25. PERSICARIA.

1) Piperatam exſerit acrimoniam, vnde & *hydropiper* vocatur, & non tam adſtringit, quam incidendo, reſoluendo & detergendo operatur.

2) Quapropter non ingloria, vtinam tam conſtanter ſalubris! exſiſtit in morbis frigidis ſeroſis, cachexia, hydrope, ictero, ſcorbuto, aſthmate humido, lue Gallica, quin & in arthritide vaga & malo hypochondriaco. Sed cum probatiora ad manus ſint, non eſt, quod quemquam ad huius herbæ vſum adeo cohortemur. Saltem vbique nos decebit, iuſtum ſubiectorum discrimen & circumſpectionem adhibere.

3) *Externe* cum rubefacit, ac præcellens habetur in vlceribus malignis & inueteratis, paronychia, clauis pedum & tumoribus frigidis.

4) Inprimis vero ad *magneticam* plurimorum malorum curationem transfertur, vbi quidem plantam recentem, frigida ablutam, parti læſæ imponunt, donec probe incalescat, tum adhuc tepentem in fimeto, aut alio loco, vbi cito putrefieri poteſt, ſepeliunt, atque hoc ſæpius facto vulnera quælibet, vlcera, ſugillationes, odontalgiam rebellem, podagricos & ischiadicos dolores euanescere pollicentur.

5) Cæterum datur eius *decoctum* vel *aqua deſtillata*, in calculo & ſupradictis morbis celebris, in variolis autem & febre petechiali merito excludenda.

26. POLYGONVM.

Adſtrictoria qualitate gaudet, ſingularium virium, quantum conſtat, inops; nam in calculo & vermibus idem valde prodeſſe adhuc incertum eſt; quare, hoc relicto, ad alia properamus.

27. PRVNELLA.

1) Dicitur & *conſolida minor flore purpureo*, atque a *Paracelſo* internis etiam vulneribus curandis deſtinata legitur.

2) Frequentior autem vſus eius eſt in angina, tonſillarum inflam-

inflammatione, vlceribus oris & aphthis, rarior & minus probata in peſtilentia, dyſenteria, phthiſi.

3) Creſcit & apud nos prunella *cærulea*, ſeu *conſolida media*, ſeu *bugula*, pari fere traumatica virtute inſignis, ſed internis morbis, vt quidam laudant, non æque adcommodata.

28. PYROLA.

1) Eſt temperata traumatica & inteſtinorum aliisque vlcerationibus internis conſolidandis ſubinde deſtinatur, quin & ab intra e vulneribus varia heterogenea, oſſa, ligna expellere dicitur.

2) Nonnulli eam cum vino albo decoctam & calide admotam commendant in aridura membrorum; ſed an ſufficiat, dubitamus.

3) Ceterum hanc plantulam, vti & præcedentes aliasque vulnerarias adhibemus, vel decoctam, vel melius rite, vti ſtatim monebimus, deſtillatam.

29. SANICVLA.

1) A ſanando nomen adquiſiuit, atque inter traumatica chorum fere ducit, adeo vt non modo *extus* ad emplaſtra & iniectiones, ſed & ad *internas potiones vulnerarias* ſæpiſſime recipiatur.

2) Et docet vtique experientia, ab hac herba colliquationem ſimul promoueri, atque, ſi iuſto tempore in phthiſi & vomica pulmonum præbeatur, effectum nonnunquam edi plane ſingularem.

3) Quid porro valitura ſit, ad meliorem vſum pectoralem, & in vlceribus internis, ſi vino infuſa & macerata, quemadmodum de veronica indicauimus, deſtilletur, operæ pretium erit diligentius explorare; præſertim cum *Stahlius* omnia vulneraria ſic potius, quam vulgari modo decocta, propinare ſuadeat.

30. VINCA PER VINCA.

1) Vt vim traumaticam poſſidet, ſic præcipue ad anginam & faucium morbos leuandos apta prædicatur.

2) Inſuper alii ipſam menſes prouocare & lactis prouentum

tum augere putant, alii ab externo vſu hæmorrhagias compeſci, abortum præcaueri, incantamenta propulſari aiunt, ſed paucis hodie perſuadent.

31. VSNEA CRANII HVMANI.

1) Muſcus hic, in cranio cadauerum & præcipue hominum rota vel laqueo interemtorum, ſubinde creſcens, ex ſingulari vegetatione mirum quid fouere & prodigioſis viribus pollere multis exiſtimatur.

2) Præterquam enim, quod adſtrictoria ſua qualitate fluxus ſanguineos inhibeat, *extus* adplicatus internas hæmorrhagias ſiſtere, dyſenteriam, & ſynouiam compeſcere, itemque conuulſiones quascumque, pauores & inquietudinem infantum atque incantamenta propulſare quibusdam viſus eſt; niſi forte vel credulitas, vel alius error, vt videtur, auctores deceperit.

3) Porro ad corpus impenetrabile reddendum & certum e bombarda ictum experiendum a venatoribus adhiberi traditur; cæterum ad *vnguenti* illius *armarii ſympathetici* ingredientia etiam pertinet.

32. FLORES BALAVSTIORVM.

1) E *granato ſylueſtri, flore pleno*, nam *domeſtica* ſimplici tantum flore conſpicua dicitur, colliguntur, atque e partibus ſuis acido-terreo-ſtypticis ſatis apti ſunt ad adſtrictionem, vbicumque hæc tuta & ſalutaris eſt, perficiendam; vnde hoc ſcopo frequens eorum vſus eſt in *gargariſmatibus*, *iniectionibus*, *puluere dentifricio* ad firmandos dentes, *linimento* ad eundem vſum & gingiuarum cruentationem inhibendam.

2) Ob congruentiam principiorum & effectuum adponendus his eſt *cortex granatorum* ſeu *malicorium*, vtpote quod adhuc valentius adſtringere cenſetur. Itaque ad eosdem caſus reſeruari poteſt. Cæterum decoctum eius ad nares & oculos in variolis defendendos, itemque lumbricum latum interficiendum prodeſſe, quin & a *Bartholino* fluxum menſtruum prouocaſſe citatur; ſed ancipiti experimento.

3) Longe alia *fructuum granati* indoles est, vt supra ostendimus.

33. SOPHIA CHIRVRGORVM.

Hanc herbam *Paracelsus* maximi quidem fecisse dicitur, sed vsum singularem reticuit. Neque, hodie magnæ quædam, egregiæ ac tanto nomine dignæ virtutes eius inclaruerunt, etsi vulnerariam non temnendam esse nemo ignoret.

34. CHINAE CORTEX.

1) Salutatur variis nominibus, inter quæ *cortex Peruuianus*, *Iesuiticus* & *China Chinæ* vsitatiora sunt, & decerpitur ex arbore quadam Peruuiana *Gannanaperide* dicta, distinguendus a *cortice Cascarillæ*, seu *Chinæ*, vt quidem vocant, *spuriæ*, de quo supra diximus.

2) Amaricat autem & austerum saporem offert; ex quo pariter atque ex aliis phænomenis haud difficulter colligitur, principia eius maximam partem acido-terrea & pauciora resinosa, indeque qualitatem magis adstringentem exsistere.

3) Quapropter mirum non est, hoc cortice febres intermittentes cohiberi, vtpote quod & alia adstringentia patrant; sed quæstio mouetur, an specifica virtus antifebrilis huic cortici tribuenda sit, id quod multi expertissimi viri hodie inficiantur.

4) Concidunt ergo magnifica præconia de singulari eius vi, contumacissimæ quartanæ domitrice, cum ne quidem simplicem tertianam sine aliorum ope solide percurare, sed grauiorem noxam inferre soleat, si præmature & largius ingeratur.

5) Certe e promiscuo illius vsu in febribus, postquam tot auctores ad decantandas eius laudes consenserunt, multiplex damnum fluxisse & adhuc fluere notatur. Alibi enim intermittens in continuam, tertiana in quotidianam, simplex in duplicem inde conuersa est, alibi constrictio alui, recidiua grauior, præcordiorum angores, color icterodes, oppilationes viscerum, tumores, pallores, obstructiones mensium, cachexia,

chexia, hydrops denique, vel hectica ſubſecuta ſunt. *Confer. Stahl. diſſ. de febr. interm. turbatis atque corruptis.*

6) Tanto minus in febribus acutis continuis porrigendus eſt, vbi certe grauius periculum & mortem, præcipue puluis eius, maturat. Hectici quoque citius ab eo intereunt & variolarum reliquiæ, vt nonnullis placet, nequaquam hinc probe ſubiguntur. Neque tutius tentamen eſt vermes eodem interficere.

7) Præmiſſo emetico hic cortex cum aliis datus a febre intermittente quandoque robuſtos vere liberat, ſed plerumque tamen, niſi materia morbi ante ſublata ſit, nocet, numquam autem neceſſarius eſt, cum ſine eius interuentu lenior methodus ſe ſatis efficacem præbeat.

8) Cæterum a fautoribus plerumque maiore doſi præſcribitur in *puluere*, *electuario*, *extracto*, *eſſentia*, quæ reliquis minus adſtringit, quin & *clyſteres* inde parari docentur.

35. CORTEX TAMARISCI.

1) Deſumitur ex arbuſcula huius nominis in Gallia, prope Rhenum quoque & alibi in Germania creſcente; vtque paullum ſuaueolet & amaricat; ſic ex acido terreis tonicam, ex aliis ſalinis & nonnihil ſulphureo-reſinoſis partibus ſuis abſtergentem & reſoluentem facultatem combibiſſe creditur.

2) Proinde citant auctores hunc pariter ac *lignum*, tamquam ſpecificum ſpleneticum, alii quoque *corticem* in malo hypochondriaco, ictero flauo & nigro, quartana, arthritide, cachexia, fluore albo, ſcabie conducere atque ab Aegyptiis non ſecus ac guaiacum ad luem veneream curandam adhiberi referunt.

3) Pleraque autem hæc maiorem ſpeciem grandiloquentiæ habent, quam fidei; vnde accuratius examen ſubire iubenda ſunt. Cæterum hic cortex in decocto dari poteſt, extractum vero grauius adſtringit.

36. CREPITVS LVPI.

1) Fungus hic ouatus, qui & *bouiſta* dicitur, puluerem ſubtiliſſimum ſalino-terreum & ſtypticum continet, oculis adeo infenſum, vt ſi forte iis adfletur, grauem ſane inflammationem & noxam adferre poſſit.

2) Inſeruit autem Chirurgis ad ſtypſin, ſeu ad ſanguinis fluxum e vulneribus, præcipue carnoſarum partium ſiſtendum, nam in maiorum vaſorum læſionibus minime ſufficit.

3) Cæterum vlceribus manantibus cautiſſime inſpergendus eſt, quia ſubito quaſi repellit. Eadem de cauſa hæmorrhoidum fluxui & narium hæmorrhagiæ minus conuenit. Neque etiam pernionibus vtilis videtur, neque aptus ad feſtucas vulneribus infixas extrahendas.

37. CASTANEÆ.

1) Non tam adſtringunt, quam ad incraſſandum & inuoluendum aptæ ſunt, ob ſpiſſam mucilaginem, pinguibus quibusdam moleculis temperatam; quam, vt texturæ ſuæ materiam, acceperunt.

2) Exinde in laxitate alui & raucedine vſurpari poſſunt, ſed robuſtiora & laborioſa ſubiecta deſiderant; nam paullo difficiles concoctu ſunt, & teneris flatulentiam, obſtructiones, aliasque moleſtias pariunt, præſertim immoderatius comeſtæ.

3) *Cortex interior* adſtringit & infide in fluore albo ſumitur. Cæterum nucleus in defectu panis ſanos & valentes probe ſaturare & famelicos reficere poteſt.

38. CORNA.

1) Auſtera ſunt, indeque incraſſandi & adſtringendi qualitate imbuta, ſed rariſſime præſcribi ſolita.

2) In quibusdam officinis parantur *rob de cornis* & *electuarium cornelium*, ſeu *diacornon*, in diarrhœa & variis ſanguinis profluuiis paſſim laudata; ſed certe meliora habemus.

3) *Flores* arboris corni adſtringunt; cæterum *oleum* ex ligno

gno eius duriſſimo deſtillatum fruſtra cancro opponitur.

39. GALLÆ.

1) Proprie non ſunt fructus quercuum, ſed tubercula magis excrementitia, vt *Malpigius* detexiſſe viſus eſt, a certa muſcarum ſpecie, quarum ouula ad folia arboris deponuntur turbata folii compage ſenſim quaſi formata, quæ in hoc domicilio tamdiu ſibi ex arbore alimentum quærunt, donec ſatis nutritæ aliorſum auolent, perforato prius hoc hoſpitio, vnde gallæ ſemper foramine vno aut pluribus pertuſæ conſpiciuntur.

2) Ad vſum autem expetuntur gallæ Turcicæ minores magis nigricantes & multis verrucis obſitæ, quas in calidioribus regionibus ex quercu humiliore, quam noſtras eſt, colligunt. Noſtrates enim gallæ ad vſum magis ineptæ habentur.

3) Sicuti vero plenæ ſunt acido magis vitriolico & terra ſtyptica; ſic validam adſtringendi ac repellendi poteſtatem exercent. Quapropter conſultius eſt, eas *externo* ſolum, quam *interno* vſui deſtinare.

4) Pertinent huc alia ex quercu deſumta, ſed omnia magis minusque adſtringunt, adeoque intus caute vſurpanda ſunt. *Arbor* ipſa ad transplantatorias morborum, vt arthritidis, podagræ, dentium & capillorum caſus, ac hecticæ curationes adcommodata quibusdam videtur, ſed infide. Fruſtra quoque *lignum* guaiaci vices ſupplere poſſe, aut *decoctum* ex eius *raſura* tumores hydropicos tollere creditur.

5) Dubie item *carbones* ex hoc ligno in ictero & ſanguine congrumato, nec non *vermiculi* inter lignum & corticem errantes præparati in tinnitu aurium & ſurditate laudantur.

6) Neque *folia* conferunt ad peſtilentiam amoliendam, aut colicam. Quid vero *tenella* ea valeant in halitu fœtido & ſoda, vlterius adhuc experiendum eſt.

7) *Glandes* vulgo commendantur dyſentericis, calculoſis, pueris lectum permingentibus, aut a venenato animali morſis; ſed ruſticis merito relinquendæ. Neque *calyculi* earum, ſeu *cupulæ*, ſingulare quidquam præter adſtrictionem efficiunt. Idem valet de *cortice*, *vua quercina*, *muſco*.

40. KERMES GRANA.

1) Vocantur & *grana infectoria*, ob vſum, quem tinctoribus præſtant. Proueniunt autem ſupra fruticem arboris cuiusdam humilis, *ilicis coccifera* dictæ, quæ in Hiſpania & Gallia Narbonenſi ſtudioſe colitur; & maturæ factæ ſcatent vermiculorum turba, qui poſtmodum auolant & folliculum inanem relinquunt; de reliquo magnitudine & colore rubro bacculis aſparagi ſimiles.

2) *Cocci*, ſeu *grana* hæc amaricantem & adſtrictorium ſaporem linguæ offerunt, ideoque vulgo commendantur in diarrhœa, dyſenteria, ſanguinis profluuiis, & abortus periculo.

3) Præter hæc vero in eorum ſucco reſidere putatur eximia virtus cardiaca, analeptica, exhilarans; vnde plurimi ipſum ingentibus elogiis in debilitate capitis & memoriæ, virium defectu, ſyncope, palpitatione cordis, metu, terrore & triſtitia melancholica, abortu imminente, iam pridem condecorarunt.

4) Sed hodie multi ſpe tam optabilis effectus ſe deludi queruntur, & *Ludouici* noſtratium roſarum ſuccum ſubſtituit, magno ſane argumento, non tantopere fidendum eſſe pulcerrimo colori.

5) Profecto rarius ſe euidenti vtilitate præ aliis adprobat, neque in febribus ſanguinem a corruptione vindicare, neque extus hic ſuccus adplicatus cor inſigniter roborare, aut variolas expellere poteſt.

6) In officinis proſtat famoſa illa *confectio alkermes* minus per ſe, quam ex aliis additis nonnihil analeptica. Ab aliis etiam *ſyrupus* vel *tinctura* ex his granis conficitur.

41. MES-

41. MESPILA.

1) Ex mixtione ſua acerbiore ſalino-terreſtri coagulant, incraſſant atque adſtringunt, inprimis cruda & immaturiora, nam quæ adſeruatione per aliquod tempus mollescunt, paullo mitiora obſeruantur.

2) Speciatim iis quidam vtuntur in diarrhœa, quam valde contumacem *Foreſtus* ſe mespilis domuiſſe teſtatur, variisque alui & vteri profluuiis, itemque in vomitu nimio, & pica grauidarum; ſed crudum medicamen præbent rarius vtile, teneris vero & debilibus ſæpe etiam noxium. Periculoſius adhuc eſt ea dyſenteria *maligna* laborantibus largius indulgere.

3) *Officula*, ſeu *lapilli*, quos figura triquetros, numero quinos in fructu hoc reperimus, vt diuretici laudantur in calculo, vrinæ difficultate, menſibus albis; ſed euentu pariter ambiguo. Neque *lignum* meſpili adpenſum, vt multis placet, abortum auertit, aut hæmorrhagias præ aliis cohibet; Cæterum in officinis proſtant meſpila condita.

42. MYRTILLI.

1) *Recentes* largius ingurgitatæ fermentescunt & diarrhœas ſuscitant; vid. A. N. C. *ſiccatæ* vero magis coagulare & adſtringere deprehenduntur.

2) Vnde ſunt, quæ in hæmorrhagiis & dyſenteria eosdem propinant, quod tamen in tenerioribus vix tentandum eſt, niſi plane meliora deficiant.

3) Pariter ſtomacacem & pectoris morbos leuare, ac *radix* carnem luxuriantem in vlceribus abſumere, ſed dubio prædicatur. Certiore effectu tinctores ſucco vtuntur ad lintea obſcuro cœruleo colore inficienda.

4) Ad vſum paſſim proſtant *ſyrupus* & *rob myrtillorum*.

43. CYPRESSI NVX.

1) Cypreſſus arbor, olim funeribus ſacrata, hortorum noſtrorum ornamentum, in Italia læte crescit & lignum ſuaueolens durabile diutiſſimeque a carie inuictum ſuppeditat; cuius fumus, ſæuiente peſtilenti

con-

contagio, *asseres calidi* in apoplexia & surditate, *spiritus destillatus* in splenis obstructione, vermibus, epilepsia, sed frustra, laudantur.

2) *Coni* autem, seu *nuces* adstringunt, cautius ideo sumendæ, nec speciatim in vrinæ incontinentia, aut polypo efficaces.

44. SORBA.

1) Duplicia, seu triplicia potius obueniunt, nempe *satiua* domestica, seu esculenta, quæ in hortis coluntur, *torminalia*, quæ sponte passim crescunt, & *aucuparia* syluestria colore flauescente rubro, Vogel-Beeren. Vltima prioribus posthabentur, minusque vsitata sunt, nisi quod mulieres interdum ex eis succum spissiorem, seu *rob* conficiant, in ventriculi morbis, inflatione & adpetitu deperdito, vt creditur salubrem, itemque a nonnullis in dysenteria sedanda, mensibus & hæmorrhoidibus prouocandis commendatum.

3) Præstantiora autem his plerumque censentur *torminalia*, quæ vtique in laxitate alui conferunt, vbi sine insigni obstipatione subsequente plura comedere licet, pauca vero in diarrhœis & dysenteria, facta iam diuturna exoneratione, ad sistendum denique sufficiunt.

3) Cæterum mespilis qualitate accedunt; adeoque & in vomitu nimio vsum quemdam adferre possunt. *Fungum* sorbi aucupariæ *Hagendornius* laudat in dysenteria.

45. GVMMI LACCAE.

1) De rubicundi huius splendentis concreti generatione dissentiunt adhuc auctores, cum alii ipsum e poris corticis arboris cuiusdam Indicæ sudare, alii a certis formicis, vt mel ab apibus, elaborari, paratumque arboris ramis circumiici, ibique condensari putent.

2) Aduehitur ad nos partim insincerius, ramulis admixtum, quod lacca in *baculis*, vel *su matri* vocatur, partim purius in granis & pulcerrimum pellucidum in *massis*, Lacca *Comberti* nuncupatum: De reliquo hoc gum-

gummi a *lacca Florentina*, massa nimirum artificiali probe distinguendum est.

3) Sicut autem sulphureis eius principiis præponderant salina & terrestria, ita leuius resoluere & abstergere, validius autem roborare deprehenditur; idque frequentissime externo solum vsu, quo inprimis confert ad mobilitatem dentium, corruptelas gingiuarum putridas simplices ac scorbuticas & earum cruentationem.

4) In aliis vlceribus vero non æque vsitatum est, multo minus interno vsu veterum medicorum laudes confirmat, quippe nec debili ventriculo, obstructionibus viscerum, hydropi, renum vitiis, nec obesitati tollendæ, nec variolis & morbillis expellendis idoneum; vti recentiorum experientia decidit.

46. SANGVIS DRACONIS.

1) Huic nomen impositum est non ab animali, vt quondam creditum fuit, sed ab arbore sic dicta *dracone*, in vtraque India crescente, e cuius cortice sauciato transsudare velut alia lacrima refertur, quam vel foliis inuolutam, vel in panes formatam, deinde ad nos deuehunt mercatores.

2) Quamquam autem scateat multis salinis acidis & terreis particulis, vnde sat strenua vis adstringendi exoritur, tamen resinosorum etiam principiorum innexorum præsentiam ostendit illius in ignem iniecti inflammatio, vt *Langius* indicat.

3) In vsum hinc maxime vocatur in vulneribus, vlceribus, synouia, variis sanguineis & serosis profluuiis; sed quoniam repellit & potenter adstringit, caute hunc succum adhibendum, *internum* vero vsum in hæmorrhoidibus nimiis, hæmorrhagia vteri, hæmoptysi, dysenteria ancipitem, certe minime necessarium & sæpe noxium fore arbitramur.

4) Tutius *externe* adplicatur ad sanguinem recentium vulnerum sistendum, cruentationem gingiuarum dentiumque mobilitatem tollendam, nec non ad efferam

narium hæmorrhagiam, vomitum ac diarrhœam, vbi cum oui albumine miſcetur.

5) Cæterum *Ettmüllerus* hunc ſuccum crebris adulterationibus obnoxium, incertique & nullius fere vſus medici eſſe pronunciat. E recentioribus vero *Kæmpferus* diſſenſum de natalibus huius concreti pluribus memorat, & quidem *ſanguinem draconis*, quem *in glebis* officinæ exhibent, ex vtraque India adferri ac ſub huius nomine frequenter ſuppoſitum quendam ſuccum arte compoſitum proſtare, pro encauſtis & pictoribus; *alterum* autem, qui *in guttis*, vt aiunt venditur, longe puriorem ex fructibus palmæ coniferæ ſpinoſæ orientalis elici, & in folliculos ex arundinaceis foliis complicatos recondi teſtatur.

47. HYPOCISTIS.

1) Hic ſuccus e concremento quodam fungoſo, e radicibus ciſti Hiſpanicæ vel Italicæ ſuccrescente, exprimi & deinde inſpiſſatus ad nos transmitti narratur.

2) Eſt autem valde acidus, auſterus & adſtringens, ſpecialis vſus, quantum conſtat, expers; vnde, cum ſæpius adulteretur, acaciæ noſtratis ſuccum in illius locum ſubſtitui poſſe merito cenſet *Ettmüllerus*.

48. TERRA CATECHV.

1) Quid proprie ſit, controuerſantur inter ſe naturæ ſcrutatores; de quo confer *Langium*, qui tandem definit, eſſe ſuccum e *fructibus Areck* (quos alias cum foliis eiusdem arboris *Betel* dictis & calce miſtos perpetuo mandere ſolent Indi) & corticibus immaturis arboris ſpinoſæ Indicæ, *catſchu* dictæ, expreſſum & calore ignis in maſſam redactum. Hæc ex mente Langii. Verum Doctor *Cnollius*, Miſſionis Danicæ apud Malabaros Medicus, die ſeptimo Ianuar. 1735. ſequentia ad me ſcripſit; die Pflantze Betel iſt ein a partes Gewächs, Wettilei-Codi, planta ſcandens, conuoluulo ſimilis (caulibus enim vt conuoluulus ſcandet) flores ſtaminoſos, in ſpicas congeſtos, plantaginis inſtar, gerens, & ſapore aromatico gaudens. Der Areck Baum heißt Camugo, arbor arundinacea, nucem Areck dictam largiens.

2) Dif-

2) Differt autem puritate & ſincerior quidem intus, dum frangitur, rubet ac ſupra linguam detenta liqueſcit ſapore primum ſatis auſtero, in receſſu dulciore.

3) Scatet hic ſuccus præter acidas terreſtres & gummoſas, etiam reſinoſis particulis, vnde & per ſpiritum vini rectificatum ex eo tinctura ſtyptica elicitur, licet alias quoque ſoluenti aqueo plane obediat.

4) Cæterum omnes facultatem adſtringendi ei tribuunt, quæ cum ſatis valida ſit, cauere nos oportet, ne interno eius largiore vſu damnum pariamus; id quod facile futurum eſt, ſi libere hunc ſuccum phthiſicis, hæmoptyicis, dyſentericis & mictu cruento, fluore albo, gonorrhœa, incontinentia vrinæ adflictis pro laudum vulgarium modulo propinare lubuerit.

5) Itaque, licet *internum* vſum non plane reprobemus, extus tamen tutior eſt in vacillatione dentium, repentino faucium aliarumque partium tumore & inflammatione, vbi mature adplicanda eſt, itemque in hæmorrhagiis.

6) In vſu eſt *eſſentia*; item *gargariſmatibus* additur, aut cum ſaccharo, ambra & mucilagine tragacanthæ in *trochiſcos* paruulos cogitur, vulgo *Caſchu*, qui ſub lingua detinentur ad ſtomacacem & grauiorem anhelitum corrigendum.

49. HIPPOPOTAMI DENS.

1) Bellua, ex qua hic dens deſumitur, in boreali oceano & terra, nam amphibia eſt, verſari & capi narratur.

2) Simili autem poteſtate, paucis etiam granis, adſtringit, vt terra catechu, adeoque ad varia ſanguinis profluuia & hæmorrhoides compeſcendas laudatur. Sed idem quoque iudicium valet.

3) Cæterum annuli ex hoc dente confecti ſpaſmos inſigniter haud mitigant; nec puluis intro ſumtus certum auxilium pollicetur. Ipſe dens, quia diutius ebore ſuum alborem retinet, commode aptatur ad inanes edentulorum alueolos replendos, etſi hoc

ſcopo etiam hodie dentes humani recentes & integri adhibeantur.

50. MANATI LAPIS.

1) Minus proprie ſic vocatur, nam haud lapis, ſed os quoddam caluariæ eſt, ex amphibio illo & deformi animali manato, quod Belgæ *vaccam marinam* adpellant, depromtum.

2) De effectu autem nihil aliud dicere habemus, quam ipſum antecedenti prorſus conuenire, ac tantum pretio maiorem exiſtere.

3) Antiſpaſmodica certe virtus cautius adhuc indaganda, anticolica dubia, lithontriptica nulla eſt. Hæmorrhoides vero aliosque fluxus præſenter cohibet, magna ſæpe valetudinis offenſa, vt exempla docuerunt; quapropter iuſtam vbique circumſpectionem adhibere iterum ſuademus.

51. SEPIÆ OS.

1) Sepia eſt piſcis exſanguis cum *polypo* & *loligine* multum conueniens, cuius dorſo hoc os innatum reperitur.

2) Pertinere autem creditur ad potentiſſima abſorbentia, vnde nonnulli id κατ' ἐξοχὴν *præcipitans magnum* ſalutant, at, quia ſimul adſtringit, hoc ſcopo cautius idem vſurpandum eſſe arbitramur.

3) Inprimis in gonorrhœa virulenta & fluore albo magnam dignitatis famam obtinuit; ſed in poſteriore rarius ſatisfacit & grauiora ſæpe mala infert; ſeminis fluxum autem ſæpe citius reprimit, quam par eſt, vnde, niſi alia conuenientia remedia ſatis præmiſſa ſint, præmaturo ſui vſu non minus periculi minatur.

4) Incongruentius ad vitia thoracis & arthriticos morbos leuandos præſcribitur, neque extus etiam vlceribus manantibus licentius largiusque inſpergi, neque oculorum malis & ſynouiæ ſine prudenti moderamine

ramine deſtinari debet. Cæterum inſeruit dentifriciis.

52. CETI PRIAPVS.

1) Eſt fuſcus & corneæ texturæ, præcipueque adſtringentem edit efficaciam, vnde pro arcano antidyſenterico haberi non debet, cum, ſi febris & materia nondum correcta adſit, facile maius inferre queat detrimentum.

2) Ob eamdem vim caute dandus eſt in hæmorrhagia vteri, inprimis in hæmorrhoidum fluxu immoderatiore, vbi vulgo in abuſum pertrahitur.

53. ALVMEN.

1) Excoquitur e variis mineris & lapidibus plerumque prius calcinandis, & ſub coctione ſæpe vrina adiicitur, ad craſſiorem terram ſeparandam; vel etiam natiuum effoditur.

2) Conſtat autem vulgare & rupeum ex acido vitriolico & terra cretacea, indeque adſtringentem repellentem & incraſſantem facultatem oſtendit, propterea in inflammatione faucium ad gargariſmata adhiberi ſolitum, nec non ad liquores ſtypticos iſchæmos vſitatum.

3) *Vſtum* vero abſumit carnem luxuriantem & ſordes vlcerum ac ſtomacaces.

4) Cæterum *crudum* infide ſubuenit ſcabiei & tumoribus pedum, niſi ex mera cauſſa externa nati & plura conuenientia remedia præmiſſa ſint; multo minus tuto interne datur, vel ad febres intermittentes, vel ad fluxus ſeroſos & ſanguineos cohibendos.

5. *Plumoſum alumen*, quod ab *amiantho* ſeu *asbeſto lapide* non niſi gradu differre dicitur, & in filamenta tenuia, igni diu reſiſtentia, ſeparatur, pariter adſtringit, ſed fruſtra aut noxie ad fluorem album & tineam commendatur.

6) Eamdem vim exercet *alumen ſciſſile*, quod cum priori ſæpe confunditur, ſed tamen ignem non tam diu ſuſtinet, nec viridiusculum, ſed albicantius eſt. Parem igitur vſum habere creditur, at palmarium in hæmorrhagiis, dentium mobilitate, fluxu narium, pruritu, pterygio, pernionibus, ambuſtione, pediculis, ſudore fœtido pedum & alarum. Quis vero non videt, hic ab adſtrictione grauius ſæpe periculum exſiſtere, ſaltem Medicum in aluminoſis adplicandis bifrontem eſſe oportere?

7) *Spiritus aluminis* æqualem ſpiritui vitrioli mixtionem & poteſtatem tenet, ſed, quia longe difficilius per deſtillationem expellitur, rarius in vſu eſt. *Spiritus vrinoſus*, qui, addito alcali fixo, ex alumine exſurgit, præ alio eiusmodi volatili nihil ſingulare ſibi vindicare poteſt. *Magiſterium, ſaccharum aluminis* aliaque friuola arcana conſulto reticemus.

54. HÆMATITES.

1) Terreſtrem huius mineralis & ferream indolem color, pondus & chymicum examen demonſtrant, ſtypticam autem vim illi experiuntur, quibus hunc lapidem in hæmorrhagiis & febribus intermittentibus ſumere adlubeſcit.

2) Sed talis *internus* vſus minus probatus, ac ſæpe noxius eſt. Neque *flores hæmatitæ* cum ſale ammoniaco ſublimati, licet croceum odorem ſpirent, tam egregiæ virtutis ſunt, vt pro *arcph*, ſeu philoſophico *Paracelſi* aromate, aut ſingulari remedio in cachexia, malo hypochondriaco, phthiſi, tertiana, dyſenteria venditari mereantur. Euidenter potius exigua doſi adſtringunt, ac niſi tali qualitate debitis enchireſibus plurimum exuantur, acriorem plerumque noxam parturiunt. Nec diſparem cenſuram ſubire debet extracta hinc vulgaris *tinctura*, vtpote ſtyptica & nauſeoſa; monente iam *Langio*.

3) Tutius

3) Tutius eſt in hæmorrhagiis, præcipue narium ſiſtendis, hunc lapidem manu firmiter detinere; qui quidem compeſcendi effectus adeo decantatus eſt, vt & nomen Germanicum, Blutſtein, ei impoſuerit; ſed rariſſime, niſi in ſubiectis teneris & credulis, adparet.

55) MINERA MARTIS HASSIACA.

1) *Solaris* nomen huic impoſuit quorumdam opinio, inde ſibi vel aurum, vel quiddam eo carius, menſtruum nempe vniuerſale, promittentium; ſed coruos deludit hiantes.

2) Eſt potius minera ſulphureo-martialis rotundi lapidis inſtar compacta, in terra figulina Almerodæ Haſſiæ inferioris reperiunda, quæ ſub dio fatiſcit, & euolante ſulphuris phlogiſto, in vitriolicam faciem redigitur. Cum autem genuina pure ferrea ſit, & proinde ad vſum internum adcommodata, tum cauendum eſt, ne huius loco forte ſpuriam, quæ Salfeldiæ & alibi eruitur, ac ſubinde venereis particulis inquinata eſt, accipiamus.

3) Ex hac itaque educitur *vitriolum martis* ſatis elegans & ſincerum, de cuius virtute ſupra diximus, itemque liquor eiusdem indolis.

4) Cæterum notandum eſt, poſt cryſtalliſationem vitrioli ex hac minera remanere magma fuſcum, non cryſtalliſabile, nec dulce, vt vitriolum martis eſt, ſed oppido auſterum & adſtringens, quæ quidem differentia ex alio acido, atque vt nos putamus, ſalis marini, aut communis admixto deriuanda eſt. *Conf. Stahlii diſſ. de vitrioli elogiis.*

56. OCHRA.

1) *Natiua* hæc flaueſcens terra, ab *artificiali* illa *calce ſaturni flaua*, Bleygelb, discernenda eſt; cæterum & pro locis natalibus pinguiore & ſicciore ſtatu, & fortaſſe etiam pro intimiore ſui craſi paullum differt. *Goslarienſis* ſane ad genium venereum inclinat, ac proinde, docente *Cramero*, per oleum lini ad metallicam æris Cyprii faciem perducitur.

2) *In-*

2) *Internus* autem huius vſus merito reiicitur, cum ne *topicus* quidem ſatis expertus ſit. Quamquam enim ſiccare, abſtergere & reprimere, indeque in vlceribus, vibicibus, carne excrescente, nimio circa oſſa fracta exſurgente callo (quem ſcilicet abſumet) vtilis a quibusdam cenſeatur; tamen maioris experientiæ ſuffragium adhuc deſiderat, interea aliis notioribus poſthabenda.

57. PLVMBVM.

1) Eſt vel *nigrum*, vel *candidum*, quod & *ſtannum* vocamus. Prius in ſubſtantia ad medicum vſum non vocatur, niſi quod *amalgama* eius cum mercurio ad ſcabiem ſubinde præſcribi, itemque *laminæ* ipſius ad caſtitatem tuendam pubi adplicari a quibusdam ſoleant, etſi hoc vltimum tuto fieri complures negent.

2) Frequentiore in vſu ſunt varia e plumbo producta, quo pertinet *minium*, ſeu *calx plumbi*, reuerberatione flammæ rubefacta, qualitatis compos ſiccantis, reprimentis & adſtringentis, quam proinde in emplaſtris & vnguentis miniatis oſtendit.

3) Eiusdem virtutis eſt *lithargyrium*, vnde ſimiliter ad vlcerum manantium, ſerpiginis, impetiginis &c. curationem cum aliis transfertur; ſed prudentia & iuſto moderamine opus eſt, ne in partibus tenerioribus, exquiſito ſenſu præditis, acrioribus & diu conſuetis congeſtionibus & fluxibus ſubita quædam repreſſio tentetur.

4) Vix aliter ſentiendum eſt de *ceruſſæ* effectu, quæ cum alias proſpere multis externis malis medetur, tum moderatam & circumſpectam ſui adplicationem præcipue in inflammationibus &c. deposcit. Neque ad fucandam faciem adeo tuta eſt, præcipue illa ceruſſa, ſeu magiſterium, quod per præcipitationem ex ſaccharo ſaturni paratur, quin ſæpius, notante *Langio*, loco alboris, calorem ſubfuſcum imprimat, perbellum fraudis auctoramentum.

5) Ma-

5) Maiorem famam consecutum est *saccharum saturni*, quod & *extus* in oculorum malis, ambustione, vlceribus adhibetur, & *interne* quoque a nonnullis ad gonorrhœam, fluorem album, phrenesin, maniam, melancholiam hypochondriacam, biliosam commendatur. Inprimis autem hic vulgo extolluntur *crystalli saturni*, e minera confectæ, *tinctura* illa *antiphthisica Grammanni*, & *balsamus* ex saccharo saturni & oleo terebinthinæ paratus.

6) At vero quicunque solertius expenderit dira hinc oriunda symptomata, exstinctionem adpetitus præsentissimam, obstructionem, colicam; præsertim noxam a lithargyrio, vinis dulcedinem inde combibentibus admisto, illatam, & vbique iam diuulgatam, ille ab interno saturninorum vsu facile nobiscum abhorrebit. Neque etiam ignota sunt mala, quæ metallurgi & figuli e tractatione plumbi hauriunt, neque spernenda aliorum monita, qui impotentiam, dysenteriam, contracturam, paralysin, vel lentam tabidam consumtionem e saccharo aut aliis e saturno præparatis induci obseruant.

De *stanno* pauca conficiuntur, & quæ prostant, stypticam plus minusue qualitatem exserere videntur, vnde non facile introsumenda sunt. Certe *sal Iouiale Mynsichti*, quod multi, & inter eos *Bagliuius*, velut antihystericum, prædicant, valde adhuc ambiguum, *antihecticum Poterii* tabidis fatale est, *sudoriferum* vero *maximum Fabri* solo ferme titulo superbit, & fide excidit.

TABVLA XVII.

DE

RELAXATIONE.

I. *DEFINITIO.*

Relaxatio est actus therapiæ alterantis, quo partes solidæ, inprimis fibrosæ, vltra modum strictæ, condensatæ ac rigidæ, remittuntur & relaxantur, vt tam progressus humorum, quam se- & excretiones libere succedere possint.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Relaxatio differt a resolutione; hæc enim cum humoribus plus iusto spissioribus commercium habet, illa vero partes solidas, in necessaria sua flexilitate & permeabilitate læsas, afficit.

2. Relaxatio est vel

1) *propria*, quæ cum remediorum conuenientium ope viis & partibus constrictis talem laxitatem & lubricitatem infert, vt postea motus tonicus auctus in iisdem minuatur, & œconomia vitalis sustentetur. Vel

2) *impropria*, alias quoque *emollitio* dicta, qua materias spissas, induratas & siccas delinire, earumque excretionem promouere studemus.

3. Sedationis effectus relaxationem sequitur. Quando enim partes extensæ, distensæ vel compressæ relaxantur, & materiæ acres vellicantes eliminantur, tunc dolores ex his caussis exorti, mitigantur, obtunduntur & hebetantur.

4. Denique relaxatio fit vel per remedia interna, quæ *lenientia* quoque audiunt, vel per externa *emollientia*, in chirurgia admodum vsitata.

III. *INDICANTIA.*

Relaxantia requiruntur

1. in

1. in omni ſtrictura & denſitate partium immodica & contumace.
2. In immoderatis & dolorificis commotionibus ſpaſticis.
3. In infarctibus & ſcirrhis viſcerum.
4. In contracturis & ariduris partium.

Emollientia adhibentur

5. in tumoribus ad maturationem promouendis.
6. In ſcybalis induratis.
7. In calculo vias vrinarias vel ductum biliarium obſidente.
8. In tenaci muco, pulmones, aut etiam vias vrinarias obſtruente.
9. Ad cruſtas ſeparandas, & verrucoſas concretiones emolliendas.

IV. *INDICATA ſeu REMEDIA.*

Radix Althææ
Liliorum alborum
Liquiritiæ
Maluæ

Herba Althææ
Atriplicis
Betæ
Brancæ vrſinæ
Chamomillæ ſimplicis & Romanæ
Hyoſcyami
Maluæ
Meliloti
Mercurialis
Paridis
Parietariæ
Verbaſci
Violarum

Flores Chamomillæ
Liliorum alborum
Linariæ
Maluæ
Meliloti
Verbaſci
Violarum

Semen Cydoniorum
Foenugræci
Lini
Pſyllii
Seſami

Fructus, Amygdalæ dulces
Caricæ pingues
Dactyli
Paſſulæ
Pruna dulcia
Sebeſten

Auena
Hordeum
Cepæ

Gummata Ammoniacum
Galbanum
Reſina
Terebinthina
Thus

Butyrum
Cera

Lac
Mel
Pinguedines & medullæ animalium
Sperma ceti
ranarum
Olea varia e. g.
Amygdalarum dulcium
Chamomillæ
Capparum
Liliorum alborum
Ouorum
Scorpionis
Vnguentum Dialthææ
Emplaſtra
Diachylon ſimplex & cum Gummatibus
de Ammoniaco Foreſti
Hyoſcyamo
Cicuta
Meliloto
Filii Zachariæ

V. *MODVS OPERANDI.*

1. Hic admodum ſimplex & intellectu facilis eſt; pleraque enim remedia gaudent principiis vel oleoſis pinguibus, vel mucilaginoſis lenteſcentibus, vel denique mere aqueis, humidisque, quæ omnia partes mobiles, flexiles & molles reddunt.

2. Nam cum vitium in nimia conſtrictione, condenſatione, rigidiori intenſione, vel etiam induratione hæreat, hæc remedia mobilia, mollia & lenia modo ſuperficiem viarum elubricant, deliniuntque; vt tranſitus humorum expediatur, modo ipſis membranarum fibrillis ſeſe inſinuant, easdemque flexiores mollioresque efficiunt.

3. Hoc modo ſtricturæ relaxantur & dolores mitigantur; & ita relaxantia atque emollientia, iuſcula nempe, & ex lacte & amygdalis parata optima ſeſe iſtunt anodyna atque ſedatiua, vbi dolores ex nimia fibrarum tenſione oriuntur, quæ hiſce remediis relaxatur & remittitur; vt ita cauſſa ſublata effectus quoque tollatur. Neque tamen hæc ita interpretanda ſunt, quaſi agentis vitalis concurſum excludendum eſſe putaremus. Quippe hunc etiam neceſſario requiri tum ex aliis phænomenis apparet; tum ex eo, quod niſi natura placido ſibique accepto horum remediorum ſenſu quaſi alliciatur ad minuendam toni intenſionem, fruſtra diu medentes operam

ram nauent relaxationi præſtandæ, exemplo peruicacium ſpasmorum & contracturæ. Idem euincit frictionum effectus, vtpote quarum gratiore ſenſu natura identidem inuitatur ad ſtricturas ſæpe feliciter ſine vlla aliorum ope remittendas, ac toni naturalis temperiem reducendam.

4. Emollitio materiarum induratarum & ſiccarum facile quoque concipi poteſt, ſiquidem pingues & tenues mucilaginoſæ ſubſtantiæ mucidis & ſiccis materiis ſeſe inſinuant easque læuigant, quo facilius e loco priſtino moueri & denique penitus eliminari poſſint, id quod optime clyſterum emollientium vſus demonſtrat.

5. Externe adplicata oleoſa, fluida mucilaginoſa emollitionem topicam conſtituunt, non ſolum gratam lenitionem conciliando, ſed etiam partes rigide conſtrictas intrando, & relaxando, vt mollities eueniat.

VI. *MODVS PROPINANDI.*

1. Ante quam relaxatio ſuſcipiatur, primæ viæ per lenia laxantia, in ſucceſſu aliquoties repetenda, expurgentur.

2. Relaxatio ipſa ſit placida, nec longius protracta, ne partes nimis flaccidæ reddantur.

3. Optima iudicamus relaxantia, quæ reſoluentibus, & pro diuerſitate adfectuum, modo alexipharmacis modo carminatiuis iunguntur.

4. Potiones calidæ, infuſa calida, e. g. thée, adiecto aliquo roborante, tantillo cinnamomi, optime interdum relaxant.

5. Denique partis roborationem artifex curæ habeat. Maxime enim conuenit, vt, cum natura ſæpe langueſcat aut deficiat, partibus relaxatis priſtinum naturale robur per tonica reſtituatur.

VII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Relaxatio licet actus ſit ſimplex, in gradu tamen peccari poteſt, vt partes nimis flaccidæ reddantur, hinc moderatio eſt adhibenda, ne vera atonia inferatur & ſalutares motus tonici aucti effectus turbentur.

2. Inter remedia relaxantia haud poſtremum locum obtinent *balnea*, ex aqua fluuiatili cum ſale alcalino parata, quæ in tabe, ſudore ſuppreſſo, doloribus arthriticis laudem ſuam merentur. In menſtruo vero & lochiali fluxu promouendo ancipitis ſunt euentus, & ſumma cum circumſpectione adhibenda, vel, quod conſultius, plane omittenda. Facile enim contingit, vt fibræ nimium emolliantur, earumque tonus, ad huius fluxus promotionem admodum neceſſarius, plane deiiciatur, & natura in opere ſuo conturbetur.

3. In mucido pulmonum adfectu copioſe nimis exhibita relaxantia & emollientia minus proſunt, quia poros relaxando maiori humorum adfluxui anſam præbent.

4. Inflammationes externæ, quam diu adhuc discuſſioni locus eſt, emollientibus non ſunt tractandæ, niſi per gradus adplicentur, vt discuſſionem adiuuent. Hæc vero ſi obtineri non poteſt, emollientia maturationem facilitant, relaxando poros, vt ad præſentem ſtaſin ſufficiens humorum aditus patefiat.

5. ATRIPLEX

1) Eſt rubra, pallide virens & ſubnigra, quin & ad vnum genus atriplicis referuntur *bonus Henricus*, *blitum*, *beta*, *ſpinachia* & congeneres plantæ.

2) Sicut autem largo aqueo humore, blandius nitroſo turget, ita molliendi & temperandi ſcopo a nonnullis ad ſiccitatem alui, æſtum ſanguinis & hypochondriaca pathemata commendatur.

3) Rarius tamen in vſu eſt & externe magis ad clyſteres emollientes ſubinde recipitur. Ceterum hanc herbam ad inflammationes aut dolores podagricos vel aquam eius deſtillatam ad tineam capitis quicquam valere incompertum eſt.

6. BETA.

1) Alba, rubra & viridis obuenit, ac non multum a qualitate braſſicæ recedere & cum atriplici, vt dictum eſt, maxime concordare putatur, vnde non opus eſt de eius vſu plura adiicere.

2) Suc-

2) Succus betæ recens ſatis acre errhinum exſiſtit; cæterum planta in vlceribus, impetigine & pernionibus vtilitatem ſuam nondum comprobauit.

7. BRANCA VRSINA.

1) Habetur vel Italica ſatiua, propter ſpinoſum folium acanthus dicta, vel vulgaris ſylueſtris apud nos magis vſitata, & quia leni præcipue mucilagine gaudet, inter quinque emollientium plantarum familiam poſita.

2) Inprimis igitur ad clyſmata, cataplaſmata & balnea emollientia expetitur, ab aliis etiam intro ſumi ad ischuriam, hepatis obſtructionem & ſcorbutum leuandum, ſed inertiore effectu, iubetur.

3) Poloni ſæpius hac planta vtuntur in plica atque e decocto illius fermentato potum medicatum (Bartſch dictum) ſibi in vſum diureticum & antiſcorbuticum conficiunt.

4) Cæterum radicem adeo ſolari podagricos, vel amuleti inſtar geſtatam auertere peſtilentiam & melancholiam, item ſemen brancæ vrſinæ epilepticis, hyſtericis, ictericis, ſuſpirioſis mederi, ambigitur.

8. MERCVRIALIS.

1) A botanicis allegatur mas binis capſulis ſeminalibus velut teſticulis inſtructa & fœmina ſpicata, quam vt ſpecificum in ſterilitate multi honorant.

2) Præter emollientem vim detergit etiam ſucco ſuo nitroſo, atque a veteribus maxime ad ſoluendam aluum ſiccam vtilis & ſennæ Alexandrinæ viribus non multum inferior habita fuit; hodie autem pluries ad externum vſum in clyſteribus & balneis vocatur.

3) Etſi autem generali ſua facultate etiam vterinas partes afficere poſſit; tamen adhuc dubium eſt, hanc herbam ſpeciatim præ aliis congeneribus ad promotionem menſium & fœcunditatem conferre. *vid. Ettmuller.*

4) Succus in verrucis, lentigine, & ſurditate, ſed fruſtra,

ſtra, laudatur. Cæterum in officinis proſtent aqua deſtillata & *mel mercuriale.*

9. PARIS HERBA.

1) Non pertinet ad emollientes, ſed maiori iure vt ſpecies ſolani narcoticis adnumeratur, vnde neceſſe eſt, vt ſpeciales eius vires caute experiamur, nec grandibus aliorum encomiis nos ad largiorem vſum temere impelli ſinamus.

2) Quamuis enim planta aconitum ſaluriferum audiat, & baccarum eius efficacia paſſim in febribus malignis, mania, epilepſia, nucis vomicæ noxa, fascino, oculorum morbis &c. commendata ſit; tamen, quia plura de his verba quam rerum teſtimonia proferuntur, non adeo fidendum eſt.

3) Tutius externe tentatur, quid in vlceribus malignis efficere poſſit, cum alia ſolana eisdem ſubuenire plurimi teſtentur. Cæterum quoque in carbunculis, peſtilentibus, inflammatione & tumore ſcroti, cancro, paronychia, hæmorrhoidibus cœcis laudem habet, ſed leuioribus experimentis ſuperſtructam.

10. PARIETARIA.

1) Optima ducitur, quæ in muris vetuſtis creſcit, nam in locis pinguibus luxuriantem non æque efficacem & diureticam eſſe putat *Ettmüllerus.*

2) Cæterum cum ad emollientia pertineat, eundem cum ſupradictis fructum in medendo afferre poteſt, præterea vero abſtergentem vim tenere & pectus, viterum aliasque partes a muco repurgare, nec non acrimoniam & ſuppreſſionem vrinæ mire tollere cenſetur.

3) Nec deſunt, qui eandem internis & externis vlceribus, calculo, podagræ, hydropi, inflammationibus dicandam eſſe arbitrantur, etſi pro fidis eius virtutibus in hisce nemo facile ſpoponderit.

4) Parantur aqua & ſyrupus parietariæ, alibi etiam ſal illius, vt obſtructionis viscerum remedium, ſed exigui vſus, citatur.

11. SEMEN SESAMI.

1) Eſt vel peregrinum, in Aegypto & Sicilia proueniens, vel noſtras vulgare. Ex vtroque cataplasmata emollientia & oleum expreſſum adhibentur.

2) Cum vero præ ſemine fœnugræci vel lini nullas ſingulares vires nactum ſit, neque *oleum* eius ſuperet amygdalinum, prorſus hoc ſemine carere, ac merito hic etiam quærere poſſumus, cui bono ſit tot concretorum, qualitate & effectu inter ſe non diſſidentium, cumulus.

12. RESINA.

1) Supra egimus de reſina lentiscina ſeu maſtiche, & laricea ſeu terebinthina; nunc paucis de *abietina* dicendum eſt.

2) Naſcitur autem intra corticem nouellum arboris, vbi tubercula aliqua erumpunt, & discutientem, roborantem, digerentem ac diureticam poteſtatem adepta exiſtimatur.

3) Quapropter ipſi quidam vtilitatis laudem in renum vitiis, tumoribus, vulneribus capitis, clauis pedum, quin & doloribus podagræ atque ischiadis tribuunt, ſed non eminet ſupra terebinthinam, niſi quidem vilior ſit; vnde cætera poſſunt diiudicari.

4) Deſtillatur hinc *oleum*, quod vocant Spick-Oehl. De reliquo etiam *pinaſter*, ſeu pinus ſylueſtris (Kiefern, fundit *reſinam* albeſcentem, præſertim circa ſtrobilos; at huic quoque non dispar craſis ineſt, nec vlla, quantum conſtat, virtutum prærogatiua.

13. Quoniam emplaſtrum *Filii Zachariæ* non vbique obuium eſt, ſequentem tradimus deſcriptionem. Rec. cer. flau. medull. crur. vacc. adip. anatis, gallinæ, mucilag. ſem. lini ana ℥j ol. lini q. ſ. Valet inprimis ad tophos iuncturarum. Si valentius eſſe debet, add. mucil. alth. fœnugr. ana olei leucoii loco olei lini. Adhuc valentius fit, ſi addatur æſypi, ichtyocoll. ana q. ſ.

TABVLA XIIX.

DE MOTVVM EXCITATIONE.

I. *DEFINITIO.*

Motuum excitatio est therapiæ alterantis species, qua principium vitale ad motus, conseruationi corporis sui quidem necessarios, iam vero deficientes, per medicamina conuenientia efficaciter excitatur. Remedia excitantia in scholis medicis *analeptica, neruina, roborantia, calefacientia, impellentia, cardiaca, reficientia* vocantur.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Motuum correctio respicit vel eorum *excessum*, vel *defectum*. De hoc excitando hac, de illo autem contemperando sequente tabula agemus.
2. *Erroneis motibus* peculiarem classem adsignare, necessarium non ducimus: vel enim ad defectum, vel potissimum ad *excessum* referendi sunt.
3. Est autem eius modi motuum excitatio, vel
   1) *vniuersalis*, quæ vniuerso corpori, debilitate adfecto, prospicit, & hæc proprie vocatur *analepsis*; vel
   2) *specialis*, quando certam tantum languentem corporis partem roborare intendimus, per vulgo sic dicta specifica cephalica, pectoralia &c.

   Analepsis distingui quoque potest in
   1) *materialem*, qua per remedia *reficientia, nutrientia*, natura in motibus suis alacrior redditur, & in
   2) *formalem*, vbi per remedia *calidiora* & *acriora* principium vitale suscitatur & officii sui admonetur.
   3) *Moralem* autem vocares illam, qua tristitiam &c. dispellimus.
4. Motuum excitatio obtinetur, vel per remedia
   1) *interna*, quæ variis in formis offerri solent, vel per

2) *Ex-*

2) *Externa*, atque hæc epithematum, facculorum, cucupharum forma adplicantur.

III. *INDICANTIA.*

Analepſin expoſcunt

1. vniuerſalis virium defectus, in quibuscumque morbis obſeruandus.
2. Speciatim partes poſt vehementes ſpasmos, vel euacuationes emeticas, catharticas, diaphoreticas languentes.
3. Adfectus paralytici, hemiplectici, apoplectici.
4. Membra refrigeratione, fatigatione, continui ſolutione debilitata.
5. Motus tonici relaxatio, quæ in fine morborum motum, antea excedentem, plerumque ſequitur.

IV. *INDICATA.*

1. *Vegetabilia.*

Rad. Angelicæ.
Calami aromatici
Caryophyllatæ
Coſti
Cyperi rotundi
Galangæ
Ginſing
Ireos Florentinæ
Leuiſtici
Mei
Pimpinellæ albæ
Zedoariæ
Zingiberis.

Herb. Abrotani
Baſilicæ
Betonicæ
Calaminthæ
Chamædryos
Chamæpytidis
Eryngii
Maioranæ
Mari veri
Meliſſæ
Menthæ criſpæ
Origani
Pulegii
Rorismarini
Rutæ
Saluiæ
Satureiæ
Satyrionis
Serpilli
Thymi

Folia Indum, ſeu Malabathrum
Lauri.

Flor. Acaciæ
Anthos, ſeu rorismarini
Aurantiorum
Cheiri
Iaſmini
Lauendulæ

Liliorum conuallium
Primulæ veris
Roſarum
Spicæ
Tunicæ
Violarum.
Cort. Aurantiorum
Cinnamomi
Citri
Winteranus.
Lign. Aloës
Rhodium
Santali
Saſſafras.
Bacc. Iuniperi
Lauri.
Sem. Ammios
Anethi
Aniſi
Apii
Cardamomi
Carui
Cubebarum
Cumini
Dauci
Fœniculi
Piperis longi & rotundi
Sileris montani.
Balſam. de Copaiua
Peruuianum.
Boletus ceruinus.
Gumm. Anime
Benzoës
Elemi
Maſtiches
Olibani
Storacis calamitæ
Tacamahacæ
Terebinthina
Vinum.

Ex *compoſitis*

Confectio Alkermes
de Hyacintho
Sapo Venetus.

2. *Animalia.*

Caſtorei eſſentia
Cantharides
Cochinilla
Cornu cerui, ac reliquorum animalium ſalia volatilia & ſpiritus.
Formicarum ſpiritus
Genitalia nonnullorum animalium, e. g. pri-
bus apri, cerui &c.
Lumbricorum ſpiritus
Margaritæ
Moſchus
Stincus marinus
Zibethum.

3. *Mineralia.*

Ambra
Aurum
Gemmæ
Oleum petræ
Succini eſſentia & ſal volatile.

V. *MODVS OPERANDI.*

1. Quem ad modum alterationem *materiarum* non meris phyſicis remediorum effectibus, ſed potiſſimum principio vitali tribuimus, ita tanto magis *motuum* correctionem pro naturæ opere declaramus.
2. Vnde ſane partium debilium & motu tonico deſtitutarum corroboratio & excitatio optimis quamquam remediis numquam obtinebitur, quam diu natura ad hunc motum ſuſcipiendum abiecta deprehenditur. Vbi autem illa ad corporis ſui reſtaurationem ipſamet prona eſt, ibi actus hic therapeuticus non ſine fructu ſuſcipitur. Conferatur obſeruatio illa notatu digniſſima, quam *tabula de alterantibus generatim* continet, quod ſcilicet hemiplectici omnia quidem laxata membra balneis tonicis eodem tempore immergant, non autem ſimul, ſed ſucceſſiue, ac plerumque *manus* primum in diuitibus, in pauperibus autem *pedes* reſtituantur.
3. Nihilo tamen minus remedia ſymbolum ſuum quoque contribuunt ad motus hoſce redintegrandos, & quemadmodum varia eorum genera ſunt, ita etiam natura variis modis per illa excitatur.
4. Alia enim *materialiter* concurrunt, dum particulis ſuis gelatinoſis, & pinguibus aptum corpori nutrimentum porrigunt, per quod natura ita reficitur & exhilaratur, vt conſeruatorios motus animoſe ſubinde readſumat. Atque hæc gelatinoſa, emulſiua & alia reficientia remedia ex diætetico fonte potiſſimum petuntur.
5. Alia eodem *materiali* concurſu operantur, ſuppeditando mixtioni humorum particulas calidiores, acres, putredini aut veneno reſiſtentes. Vnde fractæ naturæ vires, his armis & auxiliis ſuffultæ, de nouo excitantur, vt aduerſus hoſtilem materiam expugnandam inſurgant. Hæc eſt ratio, quod congrua alexipharmaca in morbis malignis effectum ſæpius analepticum edere ſoleant.

6. Alia *virtualiter*, vt dicunt, in principium vitale agunt, dum particulis *temperate ſulphureis*, peculiari ſua craſi amicis, *ſuaueolentibus* illud quaſi exhilarant. Et licet intimior hic operandi modus plurimam partem nobis incognitus ſit, experientia tamen veritatem toto die loquitur; quid? quod eiusmodi analeptica pro diuerſitate naturarum diuerſo effectu variare ſolent: alii enim ſuaueolentibus recreantur, alii his offenduntur & contra graueolentibus ac fœtidis reficiuntur.

7. Alia particulis *ſalinis*, *acribus*, *penetrantibus* fibras irritando & ſtimulando naturam officii ſui admonent, ne partis debilioris penitus obliuiſcatur, quin potius motibus ſuis eamdem reſtaurare intendat. Huc pertinent remedia, quæ vtplurimum *neruina* vocantur.

8. Alia, & quidem *gemmata*, particulis terreſtribus tenerioribus partium tonum ſtringendo roborant & motus remiſſos excitant.

9. At omnia hæc effectum ſuum numquam directe præſtant; alias enim vniformis efficacia ſemper exſpectanda eſſet: ſed, vti ſuperius diximus, natura per & propter hæc remedia operatur, atque corporis ſui reſtaurationi ſtudet.

VI. *MODVS OPERANDI.*

Hic reſpiciendum eſt

1. ad *cauſſarum dignotionem:* multum enim intereſt ſcire, num ex cauſſa *morali*, nempe terrore, tædio &c. natura partem quamdam deſeruerit, vel an *materialia* obſtacula tonicæ deſertioni anſam dederint; præcipue an principium vitale in hac quidem parte motus negligentius exerceat, in altera autem periclitante tanto magis illos augeat.

2. Ad *indiuiduorum varietatem:* nam priori membro diximus, quod analeptica & neruina remedia per diuerſa indiuidua diuerſum effectum edant. Sic e. g. *moſchus* in aliis ſubiectis motus prouocat, in aliis vero eosdem ſupprimit, quotidiano hyſtericarum exemplo.

3. Ad

3. Ad *temporis debiti electionem*: nisi enim hanc εὐκαιρίαν obseruemus, facile offendiculo esse possumus. Vnde primarum viarum sordes prius remoueri, plethora imminui & vitium humorum, si adsit, prius corrigi debent, quam ad tonicorum & neruinorum vsum accedamus. Plura de hac materia legantur in *conspectu medicinæ practicæ tabula generali & specialibus de motibus deficientibus.*

VII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. *Motuum* alteratio & directio plus sapientiæ medicæ, diiudicationis & circumspectionis requirit, quam *materiarum* correctio; id quod tanto magis considerandum est, quo minus huius rei ratio vulgo habetur.
2. Vires quidem, quæ per laborem, inediam, vel aliam externam caussam *amissæ* sunt, facile restituuntur; sed motus sine tali caussa manifesta a principio vitali *omissos* redintegrare, non est in Medici facultate.
3. Remedia sic dicta specifica *cordialia*, seu corroborantia, vti generatim cum grano salis accipienda sunt, ita acriora & calidiora ex illis, in palpitatione cordis propinata, re vera nocent.
4. Idem iudicandum est de *neruinis*, *sulphureis*, *acrioribus*, quæ in paralysi & hemiplexia vulgo adhibentur & nimiam exæstuationem excitando plus nocent, quam iuuant.
5. Cum toto die videamus, dari remedia, quæ *nimios motus* satis cito sedare & penitus supprimere valeant, vero quidem non absimile videtur, dari etiam posse talem medicinam, quæ *motuum defectum* restaurare, & de nouo quasi virium panopliam reddere valeat; sed eius modi efficacia remedia a Practicis plerisque adhuc dum exoptantur, vnde *ars* illa *Paracelsistica*, senes homines per *quintam* aliquam *essentiam* iuuenili virtuti restituere, cum auctore, si vmquam cognita ei fuit, certe periit.
6. Quem ad modum in *pane* & *vino* latent optimæ vires restau-

ſtaurandi, ita *exercitium corporis* multum conducit ad naturam alacriorem reddendam & vires excitandas.

7. *Aphrodiſiacorum* titulus turpe audit inter chriſtianos; vnde modum eorum operandi & reliquas, quas de iis vulgo habent adnotationes, conſulto prætermiſimus.

8. RADIX GINSENG.

1) Vocatur & Nindſin, id eſt, homini ſimilis, ob figuram bifurcam & humanæ quodammodo reſpondentem, atque a *Kæmpfero* planta ſiſarum montanum laponicum radice non tuberoſa deſignatur.

2) Spirat autem paſtinacæ luteæ odorem, & dulcedinem ſiſaro noſtrate minorem ſed gratiorem offert, cum exigua quadam amaritudine, ac radix per totum orientem cariſſima, celebratiſſima & vix non ad panaceæ faſtigium euecta eſt.

3) Nam præter reſoluentem & tonicam virtutem ſingulari prorſus analepſi languentes reficere, iisque & ſenibus longiorem vitam procurare, ſpeciatim vertiginoſis, apoplecticis, melancholicis, lipothymicis, aliisque palpitatione cordis, colica, vomitu nimio, dyſenteria, febre, pulmonum & renum læſione conflictatis eximiam opem ferre prædicatur.

4) Merito vero ſuſpicamur, plerasque has laudes magis a credulitate, quam vera Europæorum experientia proficisci, & cum nobis alia probatiora, ſaltem æque ac hæc iuuantia & minus pretioſa noſtra tellus producat, non opus eſſe videtur hanc radicem tanto pretio e. g. vnciam vnam octo & pluribus aureis, ſeu ducatis redimere.

9. RADIX SATYRII.

1) Vulgo præcipitur, eligendam eſſe duobus bulbis inſtructam, quorum alter plenior & maior, alter rugoſus mollior & exilior ſit. Priori aphrodiſiacam, poſteriori contrariam vim quidam adſcribunt, vnde & vltima ad ferociam equorum, non caſtratorum, retundendam ab equiſonibus pabulo admisceri dicitur.

2) Præ-

2) Præterea de poteſtate huius radicis amuletica, ἀρρενογόνη & θηλυγόνη, de ſalubritate in tabe, dyſenteria, peſtilentia, hydrope, epilepſia, debilitate memoriæ & extus in podagra, tumoribus inflammatis, vlceribus, clauis pedum, oculorum malis, lentiginibus multa paſſim narrantur, ſed partim vanitate portentoſa ſemet ipſa deſtruunt, partim ab experientibus inſignis arguuntur inconſtantiæ.

3) Vnde plura addere, aut celebratorum vulgo præparatorum efficaciam laudare, diſtædet.

10. MALABATHRVM ſeu FOLIVM INDVM.

1) Suaueolentia hæc folia, citreis non plane diſſimilia, alii ex Syriaca quadam arbore, alii e paludibus Indicis ſine radice prouenire aiunt; ſed vt virtutibus, ſic & origine adhuc incerta videntur.

2) Quippe licet nonnulli cardiacam, exhilarantem, ſtomachicam & cephalicam illis facultatem deberi putent; tamen recentiores practicos parum fidere, & quia ſæpe adulterantur, alia magis nota & experta ſubſtituere nouimus; vnde hæc quoque ſuperfluis adnumerare haud criminoſum fuerit.

11. FLORES IASMINI.

1) Fragrant maxime, multis tamen aduerſi, raro vſitati nec ad promouendum partum & ſecundinas, aut vteri apoſtemata ſananda, tam commodi, quam adlegati.

2) Neque oleum eorum per infuſionem cum oleo been paratum, tam ſuaue ſolamen præ aliis adfert in contuſionibus, ſpasmis, membris contractis, nedum in internis morbis, vt intentiore cura elaborari mereatur. Idem enim ab oleo chamomillæ, vel amygdalarum dulcium exſpectare poſſumus.

12. CORTEX WINTERANVS.

1) Adpellatur aliter coſtus corticoſus a radice, de qua ſupra, diſtinguendus, nec non cinnamomum album, ſeu Magellanicum, & hoc vltimum quidem a loco natali, vbi primum *Winterus* illum inuenit.

2) Extus cinereus, intus ruber, acrem aromaticum & quaſi

piperatum ſaporem offert, ad reſoluentem, discuſſorium & ſubadſtringentem effectum non ineptus.

3) Vtiliter ergo eum præſcribimus in ſtomachi vitiis, cruditate, nauſea, diarrhœa, vomitu nimio, colica, febrium intermittentium decremento & fine, ad ventriculum roborandum; porro valde commendatur ſcorbuticis & obſtructione viſcerum, cachexia & menſium ataxia laborantibus.

4) Cæterum nec quartanæ, nec febribus petechizantibus medetur, nec magnum paralyticis præſtat adiumentum.

13. LIGNVM RHODIVM.

1) Ab aliis ad aſpalathi ligni ſpeciem refertur, ab aliis vero discrepare docetur. Naſcitur autem arbor in inſulis Rhodo, vnde nomen, Cypro, multisque aliis etiam Americanis.

2) Quod ad vires medicas attinet, roborare, præcipue & neruoſum genus, vt aiunt, reficere creditur; vnde, licet frequentius ſolum odoramentis deuoueri ſoleat, ſalubriter atoniam partium corrigit, ac diſſipandis tumoribus ſeroſis, catarrhis capitis ac dentium frigidis dolentibus adminiculatur.

3) Hoc ſcopo ex eo vel fomenta vinoſa, vel oleum deſtillatum poteſt adplicari. Cæterum idem interne dare non fert conſuetudo.

14. BOLETVS CERVINVS.

1) Hunc fungum e profuſo cerui ſemine nasci fabuloſum eſt; non minus quoque vim aphrodiſiacam, a multis laudatam, ipſi derogant *Lonicerus*, aliique.

2) Vix maiori fide nititur eius commendatio in partu difficili, malo hyſterico, peſtilenti veneno & aranearum morſu. Et cum nec alibi conſtantiorem vtilitatem adferat, nihil oberit fungi huius vſum plane omittere.

15. STYRAX.

1) Occurrit vel *ſicca*, ſeu ita dicta *calamita*, tum in maſſis grandiusculis, tum purior ſub granulata figura, quam ex

ex arbore quadam orientali ſtyrace dicta, quæ & in Italia iam creſcit, fluere tradunt; vel *liquida* paullo ſpiſſior terebinthina, de cuius natiua origine aut artificioſa compoſitione varia eſt auctorum ſententia.

2) *Calamita* deligitur pinguis, fragmentis rubris flaueſcentibus, non obſcuris, conſtans, nec furfuraceis moleculis interfuſa, ſuaui fragantia & ſapore ſubacri prædita; ac ſicut potiſſimum ex oleoſis & ſulphureis, aromaticis, mucilagine quadam ac terra temperatis partibus cohæret, ita hinc vires eius reſoluentes, diſcuſſoriæ, tonicæ & lenientes ſcaturiunt.

3) Quidam inde impulſi ſunt ad internum illius vſum experiendum, atque hunc acribus catarrhis, tuſſi longinquæ, aſthmati, menſium obſtructioni, immo & phthiſi & triſtitiæ leuandæ ſalubrem ſe reperiſſe notarunt.

4) Sed hac medela adhuc dubia eſt & paucis documentis ſuffulta. Vnde, hac in ſuſpenſo relicta, certius hanc gummi-reſinam externe ſolum languentis toni vitiis, catarrhis capitis diuturnis, ſuſurro aurium, tumoribus frigidis non adeo profundis, colicis & hyſtericis doloribus mitigandis, nec non aëri infeſto paullum repurgando conſecramus.

5) Cæterum nec articulorum nodos, nec ſtrumas abigit, neque etiam ſterilem vterum conceptioni facile idoneum reddit, quamuis hoc ſcopo emplaſtra ex ſtyrace & peſſaria, oleo eius deſtillato illita, paſſim commendentur. Multos quoque, præſertim e ſexu ſequiore, odor ſtyracis offendit & caput turbat.

6) *Liquida* ſtyrax in vulneribus & doloribus membrorum vtilitatem ſuam nondum comprobauit & rarius vſurpatur.

7) Parari poſſunt e ſtyrace *emplaſtra*, *ſuffimenta*, *oleum*. Proſtant inde *candelæ fumales*, item *pilulæ de ſtyrace*, opio aliisque refertæ, ſed minus neceſſariæ.

16. VINVM.

1) Huius penitiorem indolem & variam bonitatem multis

perſequi vetat inſtituti breuitas. Satis iam erit indicaſſe, ad medicum ſcopum alibi vetus Rhenanum generoſum, alibi dulciora, vt Canarienſe & Hiſpanicum genuinum, aut e Gallicis Burgundiacum, Campanienſe poſſe ſufficere.

2) Tale enim modice ſumtum, quantum in chronicis plerisque morbis cardiacum, roborans, analepticum ſit, nemo ignorat, omnes maximis fere laudibus concelebrant. Sigillatim igitur in quouis virium languore, lipothymia, debilitate ſtomachi, dyſenteria, tabida corporis conſumtione ſine acriori febre, terrore, metuendo peſtilenti contagio, melancholia extollitur, quin etiam non magis hilarem & ſubinde confidentiorem animum addere, quam docilitatem & ingenii acumen conciliare prædicatur.

3) Inprimis vinum frigore concentratum, ſeu ſpiritus vini *Paracelſi* non ardens, reliqua omnia virtutibus longe præcurrit, maximeque ad reficiendum idoneus eſt; ſi frugaliter capiatur. Cæterum rubra vina plerumque ſubadſtringere, alba tenuiora magis diureticam vim tenere, calcaria ſuſpecta & inſalubria haberi obſeruamus.

4) Externe vinum discuſſoria & roborante facultate pollet, vnde frequenter calidum ad ſugillationes, multaque fomenta discutientia, itemque balnea ex vino ad laxitatem partium corrigendam vſurpantur.

5) E præparatis in vſum interdum vocari poteſt *eſſentia vini*, quam *Beccherus* proponit, multis debilitatis & febricitantibus etiam, ſi parca manu miniſtretur, profutura. Phlegmate vini rectificato quidam hecticos recreare conantur.

6) Maiori autem dignitate excellit *ſpiritus vini*, vtpote ob craſin ſubtiliter oleoſam, particulis ſalinis acidis latiſſime expanſam, dotibus polychreſtis roborandi, reſoluendi, excitandi inſignis, quibus omnes eſſentias, tincturas, aquas cephalicas apoplecticas imbuit & ad efficacius agendum velut animat. Inprimis

primis neruos ſolari, pituitam corrigere, concoctionem iuuare, inteſtina roborare, vermes eorumque nidos deſtruere, flatulentiam & colicam tollere, cachecticis, phlegmaticis ſenibus prodeſſe cenſetur.

7) At quam pulcrum vitæ tutamentum præbent hi liquores modice & tempeſtiue ſorbillati, tam plangendus & abominandus eſt abuſus, lerna malorum & peſtis mortalium, vti quotidie in oculos incurrit.

8) Nobiliſſimus de reliquo eſt etiam externus ſpiritus vini vſus roborans, discutiens, balſamicus; maxime in vlceribus putridis, vbi corruptelas eneruat, acrimoniam obtundit atque augendo tonum adfluxum discutit, & in hæmorrhagiis, quas præſenter & tutius, quam alia omnia, coagulando ſiſtit; deinde & condiendis, & a putredine vindicandis cadaueribus inſeruit, itemque in cerebri & memoriæ imbecillitate, oculorum caligine, doloribus capitis & artuum, loquela amiſſa, tremore, dentium nigredine & gingiuæ laxitate, angina incipiente (in gargariſmate) varis & ionthis, lendibus & pediculis necandis, ſugillatione, inflammatione, vulneribus, ambuſtione, pernionibus meruit plurimorum commendationem.

17. COCHINILLA.

1) Defertur ex America, ibique innaſcitur plantæ opuntii maioris ſpinoſæ, ſeu ficus Indicæ rubræ, atque ab aliis pro bacca, ſeu acino huius ficus, ab aliis vero recentioribus pro animalculo, ſeu inſecto adhuc informi habetur, quod ex ouulo ibi depoſito prodire, ſucco coccineo ſenſim ali ac denique in formam ſcarabæi minoris tranſire ſcribunt.

2) Colligitur autem, dum adhuc ſucco turget, magna cura, & ſicut alias pretioſum illum colorem rubrum elegantiſſimum, Carmin dictum, ſuggerit, ita quoque ad medicum vſum cœpit commendari & quibusdam

alexipharmacam, cephalicam & cardiacam virtutem obtinere visa est.

3) Vnde ipsam granis kermes compararunt encomiastæ, & præcipue in febribus malignis pestilentibus, variolis & morbillis vtilem esse duxerunt; alii etiam in calculo, ischuria & ardore vrinæ venereo, alii ob adstrictoriam vim in laxitate dentium adhibuere; alii plane diffisi sunt, ei quiddam virulenti inesse arbitrati.

4) Quomodocunque hæc se habeant, certe constantem eius vtilitatem medicam nondum perspectam habemus; & nisi granis kermes præstantior sit, facile hunc carissimum vermiculum tinctoribus relinquere possumus. *vid. Langius.*

18. Moschvs.

1) Grumosam hanc suppinguem, nigro-ferrugineam, acriusculam, subamaram & fragrantissimam materiam, prope vmbilicum folliculo inclusam, gestat quoddam orientale quadrupes, mediæ quasi inter caprinum & ceruinum genus naturæ; indeque eandem, vel spontanea animalis frictione prodire, vel enecato animali, vna cum folliculo excindi atque ad nos transuehi referunt autores.

2) Mirum quantum vero nonnullis prædicatur, vt analepticum, cephalicum, confortatiuum, ac proinde excellens præsidium aduersus neruorum morbos, virium defectum, paralysin, apoplexiam, conuulsiones, memoriæ debilitatem, visum hebetem & cataractam, olfactus vitia, fœtorem oris atque axillarum, immo & contra febres malignas, impotentiam, sterilitatem, melancholiam, arthritidem, vermes habetur.

3) Sed notandum est, internum moschi vsum, nisi parcissimus sit, sæpe noxias humorum commotiones inferre, ceterum non adeo probatum, nedum tam grauibus plerisque malis superandis parem reperiri; multos etiam præsertim inter feminas delicatiores obuenire, vel

vel leuiſſimi odoris moſchati plane impatientes; quibus ſi forte moſchus offeratur, vehementioribus pathematibus adfici ſolenne eſt, tantum abeſt, vt deſiderabilis medela obtingat.

4) In externo itaque vſu cautiores quoque nos eſſe decet; tuto tamen ipſum ferentibus præſcribere licet in imbecillitate toni, motuumque neceſſariorum nimio languore, in multis ſupra dictis morbis obuio; quippe roborare & interdum bene reficere notatur.

5) Cæterum, vti præcedens aliaque pretioſa, varie adulteratur; alias in puluere, vel eſſentia cum aliis congruentibus miſta poteſt offerri.

19. STINCVS MARINVS.

1) Eſt quadrupes ouiparum lacertæ ſimile, in Arabia præcipue reperiundum, atque ab aliis crocodilus terreſtris ſeu minor vocatur.

2) Veteres ipſum antidoti loco venerati theriacæ & mithridatio admiscuerunt, alii deinde laudes eius in calculo, ſterilitate quin & in elephantiaſi, non ſecus ac ſalamandræ, publicarunt.

3) Etſi autem diureticam vim ſatis eminenter teneat, tamen ſingulares eius dotes in hisce malis ſubigendis neutiquam hodie confirmat experientia.

20. AMBRA.

1) De huius origine in varias opiniones phyſici ſcinduntur, e quibus probabilior videtur, ipſam ad bitumina odorata & naphthas in fundo maris pullulantes, ac deinde a ſale marino coagulatas a fluctibus ad littora eiici. *Confer. Langius.*

2) Colligitur autem in littoribus Africæ & Aſiæ, quæ oceanus alluit, & vulgo triplex oſtenditur *gryſea*, ſeu cinerea præſtantiſſima, *alba* & *nigra*, quæ valde ignaua eſt.

3) Nihil ipſa ſuaueolentius eſt, & nihil ferme aptius creditur ad vſum analepticum & confortantem, vnde ſpecioſa ambræ commendatio manauit ad vitam longam & contra plerosque eos morbos, quos modo ſub moſcho

ſcho recenſuimus, præterea aduerſus vim napelli virulentam, pectoralia, ſtomachica & vterina vitia.

4) Monet tamen *Ettmüllerus*, a diuturno vſu ſtupiditatem induci, nec fallere poteſt attentiores, ambram ſæpe tenera & vbertate ſanguinis oppleta ſubiecta adeo non leuare, vt potius grauiorem humorum orgasmum concitet; porro non aliter ac moſchum ſpaſticos motus magis incendere, quam pacare, ideoque hyſtericis parum prodeſſe, præſertim, ſi beneolentia, vt fit, refugiant.

5) Caute ergo & parcius intro danda eſt. Externe pariter reficit & fatiscentem tonum partium inprimis neruoſarum & membranoſarum reuocat. Adhibetur autem, vel trita cum ſaccharo in puluere, vel in eſſentia; vbi genuinam & ab adulterio, cui æſtimatiſſima hæc materia frequenter ſubiacet, intactam eligere conueniet.

6) Obuenit alias & *ambra liquida*, quam tamen haud ſubterranei regni ſobolem, ſed liquorem reſinoſum ex cortice arboris cuiusdam Americanæ fluentem eſſe tradunt. Fragrat autem maxime, vnde nomen accepit, & reſoluendi, roborandi, conſolidandi, quin & ſopiendi poteſtatem ſortita dicitur; ſed cum rarius in vſu ſit & crebris fraudibus obnoxia, quid opus eſt in tanta certiorum abundantia de hoc liquore valde ſollicitari?

21. AVRVM.

1) Perfecta huius mixtio, nobilitas, conſtantia in igne, pretium ciuile indeque nata vulgi perſuaſio effeciſſe videntur, vt chymici præcipue illi, qui & ſingularem ſolis influxum in hoc metallum demitti, & ſpecifica auri ſemina, vt poëta loquitur, ipſo corpore millies pretioſiora extrahi poſſe credebant, ſummum in hoc metallo arcanum & panacæam ab omni propemodum ætate quæſiuerint.

2) Nec deſiit hoc ſæculo ſtudium, ſed, cum quibusdam non male ceſiſſe fama eſt, maiora cepit incrementa & immen-

immenſam pene productorum congeriem excudit; in quibus adhuc vera, vt vocant, quinta quædam auri eſſentia, imo, vel eiusmodi tantum ſolaris medicina, quæ phthiſin, hydropem, calculum, podagram febres malignas præ aliis radicitus exſtirpare poſſet, deſideratur.

3) Patet quidem, multis ex auro compoſitis ineſſe roborandi facultatem, quam & vitriolum Solis edit, & alia ſubtilius parata adhuc luculentius cum aliis virtutibus oſtendunt; ſed piget audire immodicas laudes, quibus quisque aurum ſuum potabile in cælum vsque efferre conſuescit; cum tamen id poſt aliquot annos eadem fidei ſenſim amiſſæ fata experiatur, quæ alia ſimilis farinæ ſubierunt, atque de cætero vix maiora ſimplici quodam vegetabili patret miracula. Interim ſuo quemuis ſenſu abundare patimur, & ipſi votis omnibus exſpectamus Solaria, tantæ in dictis aliisque grauibus morbis ſanandis conſtantiæ, quantam aurum in vulgaribus ignium tormentis diutiſſime tuetur.

4) De vitriolo Solis ſupra diximus; plura iam addere temporis anguſtia prohibet.

22. PETROLEVM.

1) Fontibus quibusdam ſupernatat in Alſatia, Bauaria, alibi etiam e rimis montium exſtillat, atque vel album, ſeu flauum, vel rubicundum adparet; cæterum non longe abit ab indole naphthæ, de cuius multiplici ſcaturigine in peninſula maris Caſpii. *vid. Kæmpferi amœnitat. exotic.* Vnde itidem e longinquo illud rapuiſſe flammam expertus eſt *Ettmüllerus.*

2) A medicis petroleum adhibetur ad reſoluendum & roborandum, raro tamen interne, certe ambigue in febribus intermittentibus & menſium retentione.

3) Externe longe vtilius eſt in pernionibus, vbi ſatis penetrat, discutit & recurſum anniuerſarium doloris præcauet, ſi mature adplicetur; in grauioribus autem ſtaſibus ſæpe maiorem ſenſum ad adfluxum con-

citat, non aliter ac oleum terebinthinæ. Laudatur quoque in paralyſi, contractura, apoplexia, atque vt vnguentum quaſi prophylacticum contra ſerpentes & certius contra frigoris iniurias. Cautius vero in nephritide illinendum eſt.

4) Pulcrius adhuc petroleo ducitur *oleum terræ*, priori ſæculo ex India adlatum, & in arthritide vaga, ligamentorum laxitate & luxatione ſigillatim conducere creditum; ſed vereor, ne, cum principio ſulphureo-oleoſo & acido-ſalino parum discrepet, effectu quoque non multo præſtantius futurum ſit petroleo.

TABVLA XIX.

DE

MOTVVM TEMPERATIONE.

I. DEFINITIO.

Motuum temperatio eſt therapiæ alterantis ſpecies, qua motus, in corpore humano excedentes, in naturalem & œconomiæ vitali conuenientem tenorem reducuntur. Remedia, quibus hic finis obtinetur, vocantur *temperantia, refrigerantia, antiſpasmodica, anodyna, ſedantia, hypnotica* ſeu *ſoporifera, narcotica* ſeu *ſtupefacientia*.

II. DIFFERENTIA.

1. Motus excedentes perpetuo quidem ſalutarem finem reſpiciunt, ſed diſparibus viis & euentibus.

1) Modo enim natura viis plane *periculoſis* incedit, e. g. in hæmoptyſi, vomitu cruento, & tum euagantes motus nullo modo tolerandi, ſed prudente ratione directe ſopiendi ſunt.

2) Modo *erroneis* ſed non periculoſis in locis finem ſuum obtinere intendit, e. g. in arthritidis variis ſpeciebus; quibus in caſibus artifex ad motus ſedandos non adeo feſtinare debet.

3) Mo-

3) Modo *legitimas* quidem vias natura eligit, e. g. in congeſtionibus ſimplicibus hæmorrhagicis, ſed quia intenſiores & impetuoſiores ſunt motus, finem ſalutarem, quem intendit, rarius obtinet. Atque horum motuum exceſſus omnium circumſpectiſſime placandus eſt. Licet enim eiusmodi motuum exacerbatio ſatis moleſta ſit & dolores inferat, hi tamen, cum nil aliud ſint, quam intenſiores fibrarum ſpaſmi, in ſalutarem finem a natura producti, ſopitio eorum eiusdem eſt conſiderationis.

2. Fit autem eius modi motuum temperatio
   1) vel *directe & poſitiue*, quando per remedia ſatis efficacia & graueolentia naturæ impetum refringimus, & ad finem, quem principium vitale motibus ſuis reſpicit, obtinendum eo ipſo non cooperamur.
   2) Vel *indirecte & remotiue*, cum materias, & quantitate & qualitate peccantes, prius remouemus, quam motus ſiſtimus. Huc pertinent venæ ſectiones, ſcarificationes, blandæ catharſes, diaphoreſes, item conuenientes materiarum deprauatarum correctiones; ſpecjatim relaxationes tono nimium ſtricto oppoſitæ, de quibus tabula de relaxatione dictum eſt.
3. Vterque temperandi modus ſuos habet *gradus*:
   1) *Infimus* porrigit temperantia, nitroſa & alia refrigerantia.
   2) *Medius* propinat ſedatiua, cinnabarina & quæcumque alia ſecura anodyna.
   3) *Summus* offert narcotica opiata, ſummam circumſpectionem expoſcentia.
4. Hæc remedia propinantur vel *interne*, vel adplicantur *externe*. Huc pertinent *epithemata* ex aquis hypnoticis, emulſiuis anodynis, parata. His *proxime* accedunt *pediluuia*, *frictiones* moderatæ & *ſcalptio* capitis, quæ ſane poſteriora, ſi ſomnum concilient, tutiſſima ſunt hypnotica.

III. *INDICANTIA.*

Motus excedentes vti differunt exacerbationis grauitate, ita pro diuerſa eorum indole diuerſos contemperationis gradus indicant.

1. *Infimum*, nempe *temperantem* & *refrigerantem* gradum, expoſcunt
   1) Febriles exacerbationes, ſiue ſimpliciter intenſæ, ſiue tempore minus congruo, e. g. extra dies criticos, nimio impetu adfligentes.
   2) Virium languor, ex præcedenti oriundus.
   3) Congeſtiones humorum impetuoſæ.
   4) Hæmorrhagiæ largiores & tantum non nimiæ.
   5) Reliquæ euacuationes e. g. diarrhœæ, quæ modum excedere videntur.
2. *Medium* gradum, id eſt, *anodyna tutiora* indicant
   1) varii ſpaſtici exacerbati dolores, habita tamen primum eorum ratione.
   2) Hæmorrhagiæ re vera nimiæ & rebelles.
3. *Summum* gradum, nempe *narcotica opiata*, caſus plane peculiares ſibi reſeruant.

IV. *INDICATA.*

1. *Vegetabilia.*

Herb. Acetoſæ
Acetoſellæ
Amaranthi purp.
Cynogloſſæ & huius radix
Endiuiæ
Hyoſcyami
Lactucæ
Lentis paluſtris
Mandragoræ
Portulacæ
Semperuiui maioris
Solani, vulgaris, furioſi, ſeu bellæ donnæ
Tabaci.
Flor. Bellidis
Boraginis
Maluæ arboreæ
Nymphææ
Papaueris
Roſarum
Tunicæ
Valerianæ paluſtris maioris
Violarum.
Nuclei Amygdalarum
Ceraſorum
Perſicorum.
Fructus Berberum
Ceraſorum acidorum
Citri

Citri
Ribium
Rubi idæi.
Sem. Auenæ
Citrulli
Cucumeris
Endiuiæ
Hordei
Hyoſcyami
Lactucæ
Melonum
Papaueris albi & nigri
Scariolæ
Violarum.
Opium.
2. *Animalia.*
Abſorbentia ſuo loco indicata
Caſtoreum
Gelatinoſa
Lacticinia & lactis ſerum
Oleum ex quacumque animalium parte deſtillatum rectificatiſſimum.
Vitellus oui.
3. *Mineralia.*
Cinnabaris quæcumque recte præparata
Clyſſus antimonii
Eſſentia dulcis Halenſis
Nitrum depuratum
regeneratum
antimoniatum
Vitriolicum acidum.

V. *MODVS OPERANDI.*

1. Temperantia, antiſpaſmodica, refrigerantia motus temperant
   1) vel ſenſu blandiori & gratiori partes ſtrictas adficiendo & contentiones ſpaſticas componendo. Hoc faciunt nitrum, acidum vitrioli, acetoſitas citri, ſalina pleraque. In ſpecie *nitro* temperans & refrigerans efficacia attribuitur, quia ardoris ſenſum qualemcumque egregie obtundit & ſpaſticam partium fibroſarum ſtricturam relaxat. Sapor ipſius *ſalinus* ſenſum præcipue blande adficit, eumque lenit & mitigat. Huc etiam referendæ ſunt modeſtæ frictiones, quibus ſenſus exacerbatus remittitur & complacatur.
   2) Vel acres ſeroſo-ſalinas, bilioſas, vellicantes & irritantes materias abſorbendo, incraſſando, inuoluendo, mitioremque ſenſum inferendo. Hanc virtutem temperantem exſerunt nitroſa, quæ etiam humores alterant & incraſſant, abſorbentia, diluentia, mucila-

ginoſa. Quæ remedia dum materias acres corrigunt, & motus tranquillos reddunt, ingenui & tutioris vſus ſunt & œconomiæ vitali admodum ſubueniunt.

3) Vel illas materias ſubducendo & euacuando, propter quas partes conſtrictæ & humores repreſſi ſunt, e.g. venæ ſectiones ſanguinis abundantiam, diaphoreſes atque diureſes ſerum orgaſticum euacuant, & ardores atque exæſtuationes, ab his noxiis materiis ortas, temperant, refrigerant atque ſedant.

2. Sedatiua & alia ſecura anodyna principio ſuo ſulphureo valde aduerſo, & motu caloris magis magisque ſe per humores expandente, partibus ſenſibilibus admodum moleſta ſunt, & principium vitale eo adducunt, vt conſuetam agilitatem & ſenſationem deſerat, & organis ſenſoriis ſe ſubducat, ne inimicum & aduerſum ſulphur hoc percipiat. Mitiſſimum ex his eſt *Cinnabaris*, quæ e duplici principio, mercuriali ſcilicet & ſulphureo, partibus neruoſis moleſto conſtat, & non modo ſenſum relaxat, ſed etiam motus mitigat. Huc etiam pertinent correcta anodyna opiata.

3. Narcotica potentioris ſunt effectus, & ſulphur illud aduerſum, graueolens vaporoſum in maiori gradu quam ſedatiua mitiora poſſident. Hæc oblata grauiter offendunt animam in corpore, vt non modo eadem valde abhorreat, & ſomno imo ſopori indulgeat, ſed interdum etiam plane in confuſas & deliras actiones delabatur. Hinc narcotica hæc recte dicuntur *ſtupefactoria*, torporem enim in animo & corpore relinquunt, & ad ſenſationis confuſionem & abolitionem contribuunt, vti de Opio, Hyoſcyamo, Mandragora, Datura multa exempla teſtantur.

4. Dantur etiam alia remedia, quæ non modo ſenſus, ſed etiam motus mitigant, relaxantia & emollientia, de quorum modo operandi in antecedentibus diximus, quæ vero anodynis ac narcoticis non adnumerantur.

VI. *MO-*

VI. *MODVS PROPINANDI.*

Hic expoſcit

1. vt remedia generaliora præmittantur, & naturæ intentio obſeruetur. Vbi nempe natura rei alicuius aduerſæ immo moleſtæ ac noxiæ excretionem motibus ſuis intentis deſiderat, omni ope artifex ſuccurrere & quantum pro viribus poteſt, irritationes & offenſas remouere debet per modeſtas euacuationes catharticas, diaphoreticas, diureticas, ſanguinis miſſiones. Sæpe enim his ſolis negotium abſoluitur & motus temperantur,
2. Vt motus erronei & excedentes modeſte coërceantur & in naturalem tenorem reducantur. Quando ſcilicet animaduertimus, naturam nimis tenaciter propoſito ſuo inhærere, & modum tenere neſcire, in rectum tramitem reuocanda eſt, ne corpori periculum & damnum inferat.
3. Vt ſecundum remediorum offerendorum varietatem & doſin gradus ſedationis obſeruentur. Non ſtatim enim ad narcotica, opiata properandum eſt, vbi mitiora, e. g. nitroſa, cinnabarina ſpasmos demulcent, doloresque auferunt. Et quemadmodum quod fieri poteſt per pauca, non debet fieri per plura: ſic ſi vnicum granulum remedii anodyni ſufficit, cur plura adiiciamus nulla cauſa eſt.
4. Vt regimen ſubordinetur. Quies & animi & corporis multum ad rem faciunt; patientia enim optimum eſt anodynum. Nocent contra inquietæ corporis iactigationes, & pathemata animi, præcipue ira.

VII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Magna cum cura & prudentia motuum placatio, aut ſopitio tentanda eſt, ſalutarem enim intendunt finem: remedia autem ſedatiua & narcotica ſenſum eneruant & ſtupefaciunt, cauſſam vero mali intactam relinquunt. Itaque ad ſalutaris finis directionem operam ſuam nauare debet Medicus, nec naturæ arma ſua e manibus eripere.
2. Narcotica ſenſum dolorum quidem obſtupefaciunt, & cruciatus hebetant, motus vero nec emendant, nec mitigant,

gant, ſed eorum perturbationes & confuſiones cient, vt natura ex vna anguſtia in aliam detrudatur.

3. Optima anodyna ſunt nitroſa, diluentia, emulſiones, gelatinæ, decocta ex hordeo, auena; analeptica, quies, patientia.

4. Præſentiora refrigerantia ſunt acidum vitrioli, acetoſitas citri, & princeps eorum eſt nitrum, quod ſimul per diureſin ſerum orgaſticum promouet.

5. Refrigerantia poſitiua in febribus malignis, circa criſeos tempus oblata, præcipue vbi & vires & coctionum ſigna deficiunt, noxam inferunt certiſſimam: conducunt potius hic alexipharmaca, non nihil calefacientia, parcis doſibus exhibenda.

6. Temperantia, quemadmodum in ipſa motuum exacerbatione non adeo præſentem adferunt medelam, ita præcauendi ſcopo magno emolumento ſunt.

7. Cinnabarina, ſi eo tempore, quo orgaſtica atque febrilis commotio ingruere cœpit, propinantur, æſtum ſæpe augent, præſertim in maiuscula doſi porrecta.

8. Refrigerantia actiuiora nocent in hæmoptyſi, hæmorrhoidibus cæcis, rheumatismis; in inflammationibus corruptioni anſam præbent; in febribus lentis ad tumores œdematoſos disponunt; in catarrho pectoris phthiſin inducunt.

9. Anodyna in paroxysmo febrili ſæpe vſurpata febri hecticæ viam ancipitem muniunt.

10. Agrypnia in febribus malignis, licet aliquamdiu continuet, opiatis minime infringenda eſt; non numquam enim æternum ſoporem inducunt.

11. Narcotica rariſſime in vſum trahenda ſunt.

12. Dolores podagricorum, vel externis, vel internis, anodynis conſopire velle, inſcitia eſt, ſemper enim atrociores redeunt, aut refrænati grauiorum malorum cataſtrophen relinquunt.

13. In omni naturali excretione ſuppreſſa, opiata non ſunt exhibenda, neque etiam vbi materia quædam lenta, aut cacochy-

cochymica excernenda parti inhæret, & vellicat, nam motu ſublato in peſſimam abit corruptionem.

14. Idem euenit in motibus nimiis, cum magna humorum turgescentia coniunctis, aut ad excretionem tendentibus.

15. Opiata niſi legitime correcta ſint, numquam in vſum vocentur. Pulcra eſt methodus *Starkeiana*, quæ ſapone chymico & aliis correctionem tentat, vtilis etiam *Wildenganſiana*, nec plane temnenda *Langellotiana*, quæ fermentationem cum ſucco cydoniorum ſuadet. Vbique videndum eſt, vt excitantia & naturæ grata atque amica, itemque ea, quæ excretiones, ab opio inhiberi ſolitas, promouent, adiungamus.

16. CYNOGLOSSA.

1) Aduerſum odorem ſpargit, quo iam indicium quoddam præbet, tum principii vaporoſi, tum facultatis narcoticæ in variis caſibus teſtatæ.

2) Rarius autem vſurpatur, nec magnum pondus habere videntur experimenta, quibus herba ad vlcera fœdiſſima, cancrum, bubones & carbunculos peſtilentes, capillorum geneſin; radix ad dyſenteriam, gonorrhœam, hæmorrhoidum dolores & catarrhos valuiſſe narratur.

3) Cautiſſime profecto hæc imitanda ſunt, vel potius negligenda, donec certior vſus innotescat. E compoſitis autem ſatis lene & probatum remedium anodynum ſuggerit *maſſa pilularum de cynogloſſa*, dummodo iuſto tempore ipſam adhibere norimus.

17. ENDIVIA.

1) Nobilis habetur inter refrigerantia & leuiter aperientia atque a veteribus maxime in hepatis morbis, ictero, hectica, inflammationibus pluribusque aliis commendata legitur.

2) Poteſt omnino, vt diæteticum præſidium, aliis iungi in orgaſtica ſanguinis tenuitate, vitiisque cholericis, ſed magnum quendam effectum fruſtra inde quis exſpectauerit.

3) *Semen* herbam virtutibus vix æquat, nedum antecellit.

18. LACTVCA.

1) Non placet in vulgares huius laudes euagari. Cum enim refrigeret, non mirum eſt, alia hinc commoda v. g. ſtomachi æſtuoſi leuamen, ſomnum placidum, lactis augmentum in calidiora ſubiecta redundare.

2) Proprie autem humorum ebullitionem, leuiorem æſtum & hinc ortam ſiccitatem, ſitim ſolatur; cæterum ſterilitatem non facile inferet.

19. LENS PALVSTRIS.

A nonnullis deſtinatur inflammationibus, impetigini, ficis ani, cephalalgiæ & podagræ; at ſi id fiat refrigerandi ſcopo, nec alia meliora ſimul adplicentur, ad imitandum cohortari poſſumus neminem.

20. MANDRAGORA.

1) Apud nos in hortis colitur, ſub calidiore Hispaniæ & Italiæ climate ſponte proueniens, & cum ingentem ſtuporem inducat, vix interne propinanda eſt, ſed, vt *Ludouici* etiam cenſet, agyrtis relinquenda.

2) Cæterum a paucis ad conceptum iuuandum, ac tumores & ſcirrhos extus discutiendos adlegatur, præcipue radix vino decocta, quam alias quoque ſoporiferis quibusdam compoſitis veteres addiderunt.

21. PORTVLACA.

1) Præter refrigerantem etiam ſubadſtrictoriam vim habere creditur, ea propter vulgo laudata in profluuio bilioſo & ſanguineo, omnibus hæmorrhagiis, pollutione nocturna, ſoda, ardore vrinæ, quin & in calculo; vbi licet meliora ſuppetant, tamen in acetariis adponere hanc herbam haud nocuerit.

2) Externe vtilis prædicatur ad ſtomacacem, verrucas, & inprimis ad ſtuporem dentium illico tollendum.

22. SEMPERVIVVM MAIVS.

1) Dicitur & ſedum maius, ac ſucco turget pariter refrigerante, quo vulgus interdum in febrili feruore, tum intro ſumto, tum extus plantis pedum ſuppoſito abutitur.

2) Mo-

2) Modice autem hæc herba vſurpata quadrat ad internum æſtum volaticum, ex nimia & acri humorum ſubtilitate exſurgentem, nec non ad ardorem linguæ & anginam, vbi cum cancris fluuiatilibus contuſam & expreſſam plurimi ipſam commendant.

3) Ab aliis quoque cum fructu, vt volunt, adplicata fuit puſtulis cutis ardentibus & manantibus, & capiti phreneticis deliriis turbato, itemque gangliis, verrucis, pedumque clauis; incertius vero apium, veſparum aliisque venenatis ictibus, fruſtra ſtrumis, perperam eryſipelati & acribus inflammationibus, quas ſæpius deteriores reddit, imponitur.

23. SOLANVM.

1) Hortenſe ſylueſtri temperatius eſt, ſed tamen vim ſomniferam adhuc ſatis exſerit, ideoque inter refrigerantia vulgo ponitur.

2) Cautius hinc admouenda eſt herba tumentibus hæmorrhoidibus & capiti ex feruore febrili dolenti; quamuis enim dolorem ſedet, tamen, intacto mali fundo, grauiora relinquere poteſt confectaria.

3) Idem tenendum eſt in eryſipelate; tutius autem & ex *Ettmülleri* aliorumque fide præclaro effectu, licet vix ſolido, conſecratur tumoribus duris, vlceribus exedentibus cancroſis & ipſi cancro aperto.

4) Maiorem adhuc circumſpectionem poſtulat *ſolani furioſi*, ſeu *bellæ donnæ*, in opacis ſyluis paſſim creſcentis vſus, certe in dyſenteria & arthritide vaga, vbi nonnullis profuiſſe citatur, merito excludendus. Alibi ſuccus ad cancrum laudatus exſtat; nos autem *folia* bellæ donnæ in cancro vere deplorato, certa methodo & parciſſima doſi adhibentes, admirabilem prorſus eorum virtutem vidimus; ſed cum alio exemplo non æque fructuoſa reperta, nedum frequentioribus experimentis probata ſint, intempeſtiuum foret de certa illorum ſalubritate quicquam diuulgare.

5) *Stramonium* quoque audit ſolanum pomiferum, fœtidum, fructu ſpinoſo rotundo, ſed æquo iure, ob vim valde narcoticam, exitiabile cenſetur & propinquum *Daturæ* Indorum, cuius ſpecies, pro quorundam ſenſentia, exſiſtit.

24. BORRAGO.

1) *Flores* huius ex acidulo principio, tenuiſſimis late extenſis ſulphureis particulis interpolato, temperantem quandam hauriunt qualitatem, obſcurius vero cardiacam, etſi veteres hos inter quinque *florum cordialium* numerum referre voluerint.

2) Credebant enim in exhilarando animo, atra bile & triſtitia fuganda, itemque in venenis & febribus malignis pulcre & ſingulariter conuenire hos flores, quod tamen, niſi quod forte ſyrupus grato ſapore quibusdam placeat & refectionem aliquam præſtet, hodie non deprehendimus.

3) Incerte quoque *conſerua* laudatur in menſibus, ſecundinis & lochiis promouendis.

25. NYMPHÆÆ FLORES.

1) Tribuitur his refrigeratoria virtus, acrem ſanguinis æſtum, febrilem cephalalgiam, pollutiones nocturnas, fluorem album, itemque alios fluxus & dyſenteriam, vt multi credunt, egregie moderatura.

2) Sed fidelis experientia deficit; nec radicis ſubadſtringentis amuleticam vim in depellenda vertigine, nec eiusdem & ſeminis nymphææ efficaciam in prædictis malis ampliorem vtilioremque demonſtrat.

26. SEMEN SCARIOLÆ.

Minus cognitum eſt; a nonnullis autem ad intubum minorem pertinere & temperantis facultatis conſors iudicatur; ac cum hæc leuiuſcula ſit & ſingularibus viribus vacua, dignioribus hoc ſemen poſtponendum eſt.

27. OPIVM.

1) Vocatur & *Affium*, *Amphia*, atque e capitibus papaueris Turcici, tam albi, quam nigri colligitur.

Nem-

Nempe antequam maturuerint, vel e ſponte ruptis, vel arte inciſis effluit ſuccus purior candicantis adhuc aut flaueſcentis coloris, quem deinde inſpiſſant & κατ' ἐξοχὴν opium dicunt; aut ex capitibus & caulibus inciſis exprimitur ſuccus, qui condenſatus ex viridi nigricat, graueolens & variis ſordibus inquinatus, & a veteribus *meconium* nuncupabatur, quemque hodie ſub nomine opii ad nos ex Aſia minore & Aegypto transmitti refert *Langius*; alii vero etiam ex Cambaia & Decan, regione orientali, plurimum opii mollioris, & ſi pulueriſetur, inſtar aloës flaueſcentis ac ſatis puri nunc aduehi memorant.

2) Conſtat e principiis reſinoſo-gummoſis & ſulphureis, vaporoſis largiſſimis, indeque vt viroſum odorem, ſic ſtupefaciendi poteſtatem tantam edit, vt inter narcotica ipſi non immerito principatus deferatur.

3) Quantocunque igitur laudum vulgarium ſplendore niteat opium; tamen id ſæpiſſime temporaria quadam malorum ſopitione fucum facere, nec ad vllum morbum ſolide curandum per ſe & ſolum conducere, cum materiam non rite corrigat, & motus magis ſupprimat, quam moderetur, plerumque vero ſalutares naturæ motus valde perturbare quotidiana experientia euincit. Vnde ſicut olim multis ſuſpectum fuit, ita hodie quoque nonnulli prudentes medici ſuperbum alienis plumis opium paullulum denudare cœperunt.

4) Certe damna ex opii vſu relinqui ſolita breui leuamine, quo blanditur, longe maiora ſunt, nec facile reconcinnanda. Sic v. g. in hæmorrhagiis, languentes adhuc magis debilitat, in nimiis lochiis plane fluxum ſupprimit, in doloribus vel grauem recidiuam, vel ſtuporem paralytodeum ciet; in ſpaſtico-arthriticis morbis idem aut contracturas denique, in epilepſia fatuitatem, in colica ſubinde pareſin infert; febribus acutis exacerbationem & deliria grauiora ſuperaddit; aſthmaticis, gibboſis reſpirationis vias

præcludit & angores auget, omnibus vere languidis mortem maturat & phthiſicis, hecticis, hydropicis, calculoſis viaticum eſt ad vitam æternam.

5) Vnde patet, quo iure dicatur opium ſymptomatum anchora, diuinum prope vbiuis medicamen, *Nepenthes Homeri*, aſylum, myſterium.

6) Cæterum etſi cum *Syluio* aliisque fateri non ſit neceſſe, quod medicus opii vſu ſuperſedere nequeat; tamen in magna dolorum atrocitate, viribus adhuc integris & materia maximam partem ritè emendata, præparata ex eo rite correcta, vt ſupra iam monuimus, ſub exili doſi non plane aſpernamur; crudum autem plerique damnant merito, & qui probant, a Turcarum conſuetudine & paucis ſub noſtro climate factis experimentis, argumentum haud ſatis firmum arceſſunt.

7) Externe quoque raro tutum, aut ſalubre eſt opium; in capitis enim & dentium aliarumque partium doloribus cerebrum turbidum ſtupidumque reddit, collyriis fruſtra inditur, nec clauos pedum ſanat, nec papillarum fiſſuras, nedum maligna vlcera. Clyſteribus largius incoctum inducit ſubinde coma, ac male adplicatur ad impotentiæ initium depellendum, cum potius idem confirmare valeat.

8) Turcæ ſe in ſtupidum furorem pugnandi incendere per opium dicuntur; Indi Nigritæ certe eodem ſæpius animos ſuos efferant ad patrandorum homicidiorum audaciam; quamquam alii ab iis non ſolum opium, ſed certam mixturam ex eo & aliis inebriantibus compoſitam deglutiri adfirment; vti varia, huius generis ad temulentiam facientia, tum ex foliis betel, tum ex cannabi Perſica, Opio, Datura, quæ miris phantaſmatis & quaſi magica crapula hominem adficiunt, ab Indis vulgo miſceri, cupideque deuorari teſtatur *Kæmpferus*.

TAB.

TABVLA XX.

DE CVRATIONE PER SPECIFICA.

I. *DEFINITIO.*

Curatio per ſpecifica eſt ſpecialiſſimum medendi genus, quo per peculiaria plane & actiuiora remedia, certis quibusdam morbis exquiſite & vnice adpropriata, pertinaces nonnulli adfectus ſed adhuc ſanabiles, ita abſolute & in ſolidum tolluntur, vt vel ſimul & ſemel, vel continuato remediorum vſu plenarie eradicentur, aut ad minimum multum coërceantur & impetus eorum refringatur. Eiusmodi medicamenta vocantur, *ſpecifica*, *ſympathetica*, *magnetica*, *archealia*, *mumialia*.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Remedia *ſpecifica* non ſunt confundenda, vt vulgo fit, cum *ſedantibus*: hæc enim dolores ſimpliciter mitigant, illa autem motus penitus alterant, atque aliorſum dirigunt ac conuertunt.
2. *Specifica* cum *ſympatheticis* multum quidem habent conuenientiæ, dum ambo ſpecialiſſimis & præcipue contumacioribus morbis deſtinantur; differunt autem in eo; quod ſpecifica materiali, ſympathetica vero immateriali &, vt dicunt, ideali concurſu effectum ſuum præſtent, immo nonnumquam in longe diſtantia loca operentur.
3. *Specifica* agunt
   1) vel in *motus*, & hoc plerumque,
   2) vel in materiam, id quod rarius contingit, e. g. ſedum minus in ſcorbuticam intemperiem.

4. Por-

4. Porro ſpecifica quædam medentur,
   1) morbis idiophaticis, quædam
   2) adfectibus ſymptomaticis.
5. Denique alia ſpecifica periculoſa ſunt & maxime draſtica, ideoque multa cum circumſpectione adhibenda, e. g. *bella donna* in cancro; alia tutioris quidem ſunt vſus, nihilo tamen minus adplicatio eorum certis obſeruationibus & cautelis circumſcripta eſt, e. g. *millefolii* vſus in adfectibus hypochondriaco-hyſtericis.
6. *Sympathetica* pari modo in *draſtica periculoſiora* & *tutiora* diuidi poſſunt. Ex numero priorum eſt *puluis ſympatheticus Dygbæi*, hæmorrhagiis ſiſtendis deſtinatus, ad poſteriorem autem ordinem pertinet verrucarum abſumtio per *nodos* in filo ſepeliendo.
7. Præterea ſympatheticorum alia agunt ægris harum curationum conſciis, alia autem iisdem plane inſciis.

III. *INDICANTIA* &
IV. *INDICATA.*

1. Cum ipſa rei indoles poſtulet, vt cuilibet ſpecialiori adfectui ſpecifica ſubiungantur remedia, hæc duo membra mox coniungere neceſſe eſt.
2. Ante omnia autem monendum eſt, Medicum rationalem non protinus ad ſpecifica, nedum ſympathetica, tamquam ad ſacram ancoram confugere debere; niſi quidem peculiares rerum circumſtantium conditiones hanc regulam infringant; de quibus ſub *modo adminiſtrandi* plura dicemus.

A. SPECIFICA CEPHALICA vulgo credita.

1. *Vegetabilia.*

Rad. Doronici
Galangæ
Iridis Florentinæ
Rhodia
Valerianæ
Zedoariæ

Herb. Baſilicæ, ſeu ocymi medii
Betonicæ
Chamædryos
Chamæpytidis
Maioranæ
Mari

Herb.

Herb. Origani
Polii montani
Pulegii
Rorismarini
Rutæ
Saluiæ
Serpilli
Verbenæ.
Flor. Anthos
Cheiri
Lauendulæ
Liliorum conuallium
Primul. veris
Rosarum.
Spic. Nardi
Stœchadis Arabicæ
Tiliæ.
Lign. Aloës
Sassafras.
Sem. Coriandri
Sinapios
Aromata e.g. cubebæ
cardamomi.

2 *Mineralia.*
Cinnabaris
Corallia
Gemmata
Succinata.

B. ANTEPILEPTICA.

1. *Vegetabilia.*
Rad. Pœoniæ
Valerianæ.
Flor. Tiliæ.
Viscus Corylinus
Quernus
Tiliaceus.

2. *Animalia.*
Alcis vngula.
Castorei medulla.
Canis atri bilis recens cum vnicornu fossili subacta.
Carpionum os semilunare.
Cerui cerebrum.
cordis ossa
sanguinis oleum rectificatissimum.
Gallinæ, ouа incubantis, excretio alba.
Hirundinum cor & aqua earumdem.
Hominis cranium vstum & philosophice præparatum.
ossicula triquetra ex cranio.
sanguis, & huius oleum rectificatissimum.
secundinæ.
vrinæ spiritus.
Hippomanes.

Lacertarum hepar.
in aceruo formicarum exeſarum ſpina.
Leonis ſtercus.
Leporis coagulum.
tali.
Lumbrici terreſtres.
Muſtulæ viuentis ſpina.
Pauonis ſtercus.
Ranarum viridium hepar.
Talparum cor & hepar.
Tetraone ex viuo lingua ſiccata.
eius ſtomachus.
Vitulino ex cranio incus & malleus; habito ad ſexum reſpectu.
Vnicornu. foſſile.

3. *Mineralia.*
Hyacinthus præparata.
Lunæ tinctura.
Smaragdus præparata.

C. OPHTHALMICA.

1. *Vegetabilia.*
Rad. Helenii
Valerianæ.
Herb. Chelidonii maioris
Euphraſiæ
Herniariæ
Hyſſopi
Verbenæ.
Flor. Calcatrippæ
Cyani
Roſarum.
Sem. Fœniculi
Sileris montani.
Camphora
Saccharum Canarienſe.

2. *Animalia.*
Axungia piscis aſciæ, ſeu thymalli
Serpentum
Viperarum.
Fel Lucii piſcis.

3. *Mineralia.*
Nihilum album, ſeu pompholyx.
Saccharum ſaturni.
Tutia præparata.
Vitriolum album.

D. Oti-

D. Otica.

1. *Vegetabilia.*

Rad. Iridis Florentinæ
Reliquæ cephalicæ.
Herb. Cephalicæ.
Flor. Chamomillæ
Perſicorum.
Sem. Cumini.
Bacc. Iuniperi
Lauri
Terebinthinæ oleum.

2. *Animalia*

Caſtorei medulla
Salia volatilia ſicca
Zibethum
Moſchus.

3. *Mineralia*

Ambrata
Succinata.

E. Ad fauces et collvm.

1. *Vegetabilia.*

Rad. Pimpinellæ albæ.
Herb. Ceruicariæ
Maluæ arboreæ
Prunellæ
Saluiæ
Vuulariæ.
Fung. Sambuci.

2. *Animalia.*

Album græcum
Nidus hirundinum.

3. *Mineralia.*

Alumen
Lapis prunellæ.

F. Pectoralia.

Rad. Althææ
Angelicæ
Ari
Ariſtolochiæ rotundæ
Chinæ
Enulæ
Glycyrrhizæ
Iridis Florentinæ
Pimpinellæ albæ
Squillæ
Symphyti.
Herb. Bellidis
Chærefolii.
Coſtæ
Hederæ terreſtris
Hyſſopi
Marrubii albi
Pulmonariæ
Scabioſæ
Scordii
Tuſſilaginis
Veronicæ
Vrticæ vrentis minoris.
Sem. Aniſi
Fœniculi
Cortex Caſcarillæ.

Plura videantur tab. de expectoratione.

G. STOMACHICA.

Rad. Acori veri ſeu calami aromatici
Ari
Galangæ
Gentianæ rubræ
Pimpinellæ albæ
Zedoariæ
Zingiberis.

Herb. Amaræ pleræque e. g. abſinthii, Carduibenedicti, centaurii minoris.
Aromata
Tunicæ ventriculi gallinarum interiores.

Pluravideantur tab. de motuum excitatione.

H. HEPATICA ET ANTICTERICA.

Rad. Cichorei
Curcumæ
Pimpinellæ albæ
Quinque aperientes maiores; Apii, Aſparagi, Fœniculi, Petroſelini, minores: Capparis, Eryngii, Graminis, Ruſci, Rubiæ.
Rhabarbari
Scorzoneræ
Taraxaci.

Herb. Abſinthii vulgaris & Pontici
Agerati
Agrimoniæ
Bellidis
Capilli veneris
Cochleariæ
Cuſcutæ
Epithymi
Fragariæ
Hepaticæ nobilis
Lichenis petræi ſeu hepaticæ ſaxatæ
Matriſiluæ
Scolopendrii.

Flor. Bellidis
Schœnanthi.

Ling. Santali.

Cortex capparum.

Gumm. Ammoniacum
Galbanum.

Salia media.

I. SPLENETICA.

Rad. Aſparagi
Caryophyllatæ
Filicis
Polypodii
Rubiæ tinctorum

Herb. Capillares quinque; nempe
Adianthum album ſeu ruta muraria

Adi-

Herb. Adianthum aureum ſeu polytrichum
- nigrum ſ. Capillus veneris
- rubrum ſ. trichomanes
Scolopendrium verum ſ. Ceterach
Cuſcutæ
Epithymi
Marubii albi.
Cort. Caſcarillæ
Tamarisci.

K. ANTICOLICA.

Rad. Cynogloſſa inter horam vndecimam & duodecimam effoſſa, ac in ſubſtantia cum ſpiritu frumenti exhibita.
Herb. Menthæ
Millefolii in colica ſanguinea.
Cort. Aurantiorum.
Lupinia colica ſanguinea hyſterica.
Tubuli Fiſtularum oleo nicotianæ ad nigredinem vsque imbuti.

L. ANTIHYSTERICA ET EMMENAGOGA.

1. *Vegetabilia.*

Rad. Ariſtolochiæ rotundæ
Bryoniæ
Calami aromatici
Dictamni albi ſ. fraxinellæ
Galangæ
Leuiſtici
Zedoariæ.
Herb. Abrotani
Artemiſiæ rubræ
Dictamni Cretici
Matricariæ
Meliſſæ
Millefolii
Pulegii
Rorismarini
Sabinæ
Serpilli.
Flor. Anthos
Calendulæ
Cheiri
Croci
Lauendulæ.
Cort. Aurantiorum eſſentia.
Antophylli & reliqua aromata.
Baccæ lauri.
Gumm. Aſæ fœtidæ
Galbani.

2. *Animalia.*

Anguillæ hepar in partu difficili
Caſtoreum
Equini teſticuli præparati

Esp: Pass: Rx Cashor: ...
℥: 47 ri 9 ...
Laboriosis ab elego... cum ſtl. haec Ra ſ ... & regiis mirabilesq...

Leporis vterus in ſterilitate.
Succinum
Borax Veneta in partu difficili.

3. *Mineralia.*

M. ANTIMAGICA.

1. *Vegetabilia.*

Rad. Aſſii
Herb. Abſinthii.
Antirrhini
Artemiſiæ
Hyperici
Linariæ
Lunariæ
Origani
Sabinæ
Sideritidis
Verbenæ.
Lign. Tiliæ.
Sem. Nigellæ
Aſa fœtida.

2. *Animalia.*

Bruchi maiales
Dentes demortuorum
Excrementa humana
Veſtimenta perſonæ ſuſpectæ ſuffita.

N. IN VRINÆ INCONTINENTIA.

Apri veſica cum lotico combuſta.
Caponis, vel galli guttur.
Erinaceus vſtus.
Leporis teſticuli combuſti.
Murium cinis.
Piſcis a Lucio piſce deglutitus.
Suis vulua.

O. IN HÆMORRHOIDIBVS COECIS.

Millefolium interne.
Anguillæ extrahiæ } externe in ſuffitu.
Mures marini }

P. LAC AVGENTIA.

Sem. Aniſi
Carui
Cumini
Fœniculi
Nigellæ.
Gelatinæ.
Lumbrici terreſtres.
Lac lunæ.

Q. IN MELANCHOLIA.

Adianthum album.
Anagallis punicea.
Iulii Palmarii puluis.
Antimonium ſanguinis.
Vitriolum lunæ.

R. IN

R. In morsv animalivm venenatorvm.

Hic vtplurimum certiſſime proſunt

Animalium, quæ morſum aut ictum inflixerunt, vel corpora integra, vel partes e. g.

Hepar ſerpentum & viperarum contra morſum horum animalium.

Hepar aut cor canis & lupi rabidi in morſu harum beſtiarum.

Scorpionis oleum in ictu huius inſecti venenati.

V. *MODVS OPERANDI.*

1. In ſpecificis remediis ſpecialiſſima latet habilitas, quæ *ſenſationem* maxime *determinatam* in corpore viuo producere valet, & principium vitale ad has vel illas commotiones atque alterationes motuum inſtituendas excitat & disponit.

2. Huic adſerto noſtro præ aliis fauet frequens & quotidiana fere obſeruatio, quod effectus ſpecificorum pro cauſſarum *moralium* varietate variare ſoleat; e. g. in illis ægrotis, qui ſunt tranquillioris animi ſpecifica efficaciam ſuam longe certius exſerunt, quam in ferocibus, impatientibus & turbulentis ſubiectis.

3. Notatu autem dignum eſt, plurima ſpecificorum agere in *motus*, quos varie & ſpecialiſſime modo incitant, modo refrænant, modo aliorſum dirigunt. Atque hæc diuerſa motuum temperatio dependet a ſubtili quadam naturæ relatione & æſtimatione ad oblatum & ſubtiliſſimo ſenſuum internorum organo perceptum medicamentum.

4. Hæc *generaliora* tantum proferre poſſumus de ſpecificorum modo operandi, *ſpecialiora* res ipſa vetat: ſubtiliſſimæ enim harum rerum mixtiones, & inde dependentes peculiares temperies non adeo diſtincte ſenſibus noſtris externis ſeſe ingerunt.

5. Abſtruſior adhuc eſt modus operandi *ſympatheticorum*, quæ non, vti alia remedia & iam iam dicta ſpecifica, intus adſumuntur, ſed per merum attactum effectus ſuos exſe-

exſerunt. Interea tamen ex his ſympatheticorum tenebris in reliquum therapiæ operandi modum haud parum lucis dispergitur. Cum enim hæc remedia ad corporis noſtri miſtionem non accedant, ſed per leuiſſimum tantum contactum, immo non numquam remotius & in diſtans operentur, hæc phænomena luculento teſtimonio ſunt, effectum medicamentorum minime omnium prouenire ex mere phyſicis & inſitis illorum facultatibus, ſed ineſſe corpori noſtro agens quoddam rationale, per organa ſenſationis omnia, circa corpus ſuum contingentia, exquiſitiſſime percipiens, & ſecundum has perceptiones actiones ſuas vitales, non tam phyſicis, quam moralibus reſpectibus, adminiſtrans & actiue dirigens. *Conf. tab. I. de modo operandi.*

6. Facilior quidem eſt conceptus, quando *conſciis* ægris ſympathetica adplicantur; tum enim principium vitale intenta animi imaginatione res ingratas & infenſas e. g. araneas, bufones, reformidans, multo horrore motus ſuos aliorſum dirigit vel plane ſuſpendit; contra vero per gratæ rei ſenſum & conſenſum ad motus reſuſcitandos excitatur. Ex priorum numero eſt celebris illa excreſcentiarum præternaturalium deſtructio, quæ attactum rei vel inuiſæ & horridæ, vel magno cultu proſequendæ, ſequitur. Subaudimus depulſionem ſtrumarum per attactum manus mortuæ vel manus Regis, item exſtirpationem verrucarum per alligationem portionis corii humani. His enim in caſibus natura humana, in terrorem coniecta, a contexendis eiusmodi ſtructuris abhorret, vt vel deſtruat, quæ conſulto ſtructa fuerant, vel motus vitales ſubducendo, hæ excreſcentiæ tandem prorſus euanescant vel tamquam emortuæ decidant.

7. Difficilior autem eſt illorum modus operandi, quæ *inſciis* ægrotis adhibentur, & nihilo minus præſentiſſimi ſæpe ſunt effectus. Ex horum numero eſt famoſus ille *puluis ſympatheticus*, qui vehementiſſimas non numquam compeſcit hæmorrhagias, ſi inſcio etiam ægro & in alio quo-

quodam loco cum ſanguine eius profluenti commiſceatur. Quæ res vti magna quondam experimentorum farragine a *Dygbæo* ſtabilita eſt, ita adhuc dum crebra experientia confirmatur. Licet autem hæc occulta ſanguinis cum puluere commixtio in craſſiores externos ægri ſenſus non cadat, a principio tamen vitali ſubſtantia illa vitriolico-acida, cum ſanguine mixta, valentiſſime coagulans ſenſibus internis ſubtilioribus percipitur; qua de re ſanguinem reliquum valida adſtrictione in corpore retinere & a moleſtiſſima eius modi coagulatione præmunire ſtudet.

VI. *MODVS ADHIBENDI.*

Hic requirit

1. *generaliorum remediorum præmiſſionem.*

Specifica enim præ aliis accuratam & ſpecialiſſima ratione determinatam adplicationem exposcunt, vtpote quorum energia multum labefactatur, ſi res peregrinæ obſiſtant. Vnde, niſi ſordes primarum viarum per congrua laxantia expurgatæ, & humorum tam excedens quantitas imminuta, quam vitioſæ craſſiores qualitates correctæ fuerint, a natura, excuſſionibus communium impuritatum implicata & occupata, vix vmquam obtinebitur, vt ſpecialiſſimum quemdam ſomitem motibus ſpecialiſſime adpropriatis expugnare decernat.

2. *Temporis debiti electionem.*

Multum hæc circumſpectio valet in adfectibus *periodicis*: tum enim præcipue ſedulo perpendendum eſt, num medicamenta verſus paroxyſmum, an in declinatione eiusdem, an alio quodam temporis momento exhibenda ſint. Hæc vero omnia ſpeciatim indicare, non eſt huius loci, quia innumeræ fere rerum circumſtantium variationes nimiam prolixitatem adferrent.

3. *Morbi ipſius exactiorem dignotionem.*

Hic inquirendum eſt, num adfectus ſit idiopathicus, an

ſymptomaticus. Poſterior enim prius non eradicatur, quam cauſſa ſublata fuerit; immo ne prior quidem, ſi in contumacem habitum, peruerſis præcipue remediis, degenerauerit, medicamentis facile auſcultat.

VII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Dari ſpecifica nemo facile Practicorum negabit; qui vero Theoretici effectus remediorum per meras phyſicas qualitates explicare ſtudent, illi hic vel contradicunt, vel confunduntur.
2. Nec ideo ſpecifica non dantur, quia vel modus eorum operandi difficulter concipitur, vel effectus eorum, poſthabita temporis, virium & reliquarum rerum obſeruandarum ratione, non ſemper ex voto ſuccedit.
3. Quem ad modum autem in *definitione* diximus, ſpecifica eius modi eſſe remedia, quæ determinatæ cuidam morbi ſpeciei proprie, exquiſite & nonnumquam vnice medentur, ita hic notamus, nonnulla eorum, præter hanc ſpecialiſſimam energiam, alias quoque generaliores virtutes poſſidere.
4. *Plebeiorum* traditiones, quæ de ſpecificis circumferuntur, vti promiſcue non ſunt contemnendæ, ita a rationali Medico non adeo auide expeti, multo minus ad ſuperſtitionem vsque coli debent.
5. *Specifica febrilia* magis optanda, quam ſperanda ſunt. Sic e. g. *cortex caſcarillæ*, qui pro tali vulgo venditatur, generali tantum ratione, nempe leniter adſtringendo & ſedando, operationem ſuam exſerit.
6. In *variolis* autem, quæ vulgo ſpecifica domeſtica iactantur, illa vel vana, vel prorſus periculoſa ſunt.
7. *Conuulſiui* motus a ſpecificis facilius ſuperantur, quam *ſpaſtici*.
8. Quicumque ſpecifica in quibuslibet ſpecialis morbi phænomenis vſurpare intendunt, illi ſatis teſtantur, ſe ſpecificorum indolem nondum ſatis perſpexiſſe, e. g. *Millefolium* eſt quidem antihyſtericum, non cuilibet autem

tem mali hysterici schemati certissime succurrit, sed motibus tantum erroneis, qui adfectum hunc premunt, specialissime destinatum est, atque hos, notante iam *Arnoldo Villanouano* & *Riuerio* efficacissime sistit.

9. Laudandi quidem sunt auctores, qui specifica posteritati reliquerunt, optandum autem esset, vt historiam non adeo mancam & mutilam, sed accuratam & specialioribus circumstantiis ornatam, exhibuissent.

10. Non adeo iniusta est querela, multa quidem specifica passim commendari, vix vnicum autem, tamquam vere tale, optato effectui respondere. Neque nos negamus, pleraque illorum, quæ superius vt specifica *cephalica*, *hepatica*, *splenetica*, ad normam vulgarem recensuimus, his laudibus destitui. Cæterum, quæ vera sunt specifica, non ob sui, sed ob neglectæ specialissimæ administrationis culpam, spem artificis fallunt.

11. Cum specificis æque ac sympatheticis cautissime procedendum est; præcipue in hæmorrhagiis compescendis. Has enim dum præsentissime quidem supprimunt, adfluxum autem molestius vrgentem non alterant, grauissima facile pericula machinantur.

12. Tandem detestamur non amuleta simplicius adpensa, sed superstitiosa & impia illa sympathetica, quorum in numero fere sunt *characteres*, *electra*, *numismata*, *adprecatio*, *deprecatio*, *exorcismus*; commendamus potius horum loco arma spiritalia, preces nempe & fiduciam in Deum, quibus & peruicacissimi subinde morbi & infensissimæ iniquitates possunt superari.

13. RADIX RHODIA.

1) Vocatur & rosea ob similem ferme odorem, atque in Italiæ, Styriæ & Vngariæ montibus prouenit, temperatæ discutientis ac detergentis, vt nonnulli credunt, facultatis.

2) Exinde citatur prodesse in dysenteria, diarrhœa, fluore albo, malo hysterico; sed incerto, quantum constat, effectu.

3) Specifice vero capitis doloribus externe dicatur, vbi nonnunquam operæ pretium fecit, plerosqae tamen auxilii indigos dimisit; quapropter necesse est solertius adhuc singulares circumstantias, quibus certo, vel minus conuenit, remotis prius generalioribus caussis inuestigare.

14. HERBA CHAMÆPITYS.

1) Nota pariter est sub nomine *Iuæ arthetica*, ac sua sponte in Austria & alibi, apud nos vero in hortis culta efflorescit, qualitatem abstergentem, resoluentem, diureticam & ex quorundam opinione, etiam roborantem consecuta.

2) Dari propterea iubetur in calculo, mictu cruento, mensium retentione, fœtu mortuo, inprimis in arthritide & podagra, quibus tamen, iudicante *Ettmüllero*, parum adfert solatii.

3) Alibi in frigidis capitis adfectibus paralysi & vertigine, itemque contra virus aconiti, ab antiquis etiam in obstructione hepatis, lienis, ictero & cachexia legitur adhibita, vbi vlterius eam experiri possumus.

4) In nonnullis officinis prostant aqua & conserua, cæterum commode in infuso propinatur.

15. POLIVM MONTANVM.

1) Semiaromaticæ indolis est, sed rarissime a medicis præscribitur, quamuis ipsum aliqui catarrhis frigidis, morbis abdominis chronicis, vteri vitiis & retentioni mensium bene conuenire notent.

2) Extus fronti & nuchæ adligata oculis inflammatis, quin & epilepticis succurrere dicitur, sed specialem virtutem nusquam adhuc comprobauit.

16. SEMEN CORIANDRI.

1) Ad aromata nostratia pertinet; sed, præter resoluentem ac roborantem vim, vaporoso suo principio, inprimis recens, caput nonnihil turbat & obnubilat, vnde veteres ipsum maleficum & aceto corrigendum esse duxerunt.

2) Si-

2) Sicut autem ſalubriter datur illis, quos catarrhi mucidi, cruditas, flatulentia, vermes, cachexia & leuiores glandularum oppilationes grauant; ita fruſtra ſpecifice ad menſes pellendos, libidinem frangendam, cerebrum & memoriam roborandam commendatur.

3) Neque idem tam potenter vel phlogoſes poſt partum, vel dyſenteriam, nedum quartanam, vel externe ſcrophulas, carbunculum perſanat.

4) Proſtant huius ſeminis confectio & oleum deſtillatum.

17. VISCVS CORYLINVS.

1) Singularis planta eſt fruticans in arboribus; & ab aliis hinc æquiuoce germinare, ab aliis contra ex ſemine, ſeu granulis, quæ ſimul cum baccis viſci a turdis &c. auide vorari & per aluum paſſim integra deponi aiunt, prognaſci traditur.

2) Cum autem variis arboribus viſcus innaſci ſoleat, tum ad vſum medicum, præcipue *corylinus*, *quernus* & *tiliaceus* deligitur; e quibus primum & vltimum quidam pro certiore antepileptico venditant, ſed an ſtabili experientia eundem querno præclariorem inuenerint, dubitatur.

3) Vſitatior certe *quernus* eſt, cui præcipue ſalina acidula & terrea principia, indeque virtutem adſtrictoriam & ſpasmis mitigandis idoneam competere plurimi exiſtimant.

4) Quocirca laudatur in arthritide, partu difficili, hæmoptyſi, dyſenteria, vermibus, quin & in quartana, vertigine, apoplexia. Sed nec in his valde probatum, nec in pleuritide arcanum eſt. Meliorem ſubinde effectum edit in epilepſia, ſi cum aliis congruentibus miſtus præbeatur; per ſe vero, nec adeo iuuat, nec in tanta copia, quanta vulgo præcipitur, ordinandus eſt.

5) Ex baccis albicantibus maturis vinoſi odoris paratur viſcus aucuparius, vnde nomen plantæ, qui olim loco terebinthinæ emplaſtris admiſcebatur, hodie vero merito hoc ſcopo negligitur.

18. ALCIS VNGVLA.

1) Extollitur vulgo qualitas huius antiſpaſtica, malis hyſterico-hypochondriacis, podagræ, partui difficili, infantum pauoribus & epilepſiæ, vt credunt, ſubuentura.

2) Sed plus fumi ineſſe reperitur, quam optatæ in tam grauibus morbis efficaciæ.

19. CANIS ATRI BILIS.

Dolores capitis & epilepſiam frangere dicitur, quod an per ſe, an ex aliis ſimul admixtis faciat, dubium eſt.

20. CARPIONVM OS.

1) Congener hoc percarum lapillis putatur & ſalubre in hæmorrhagiis, eryſipelate & epilepſia, in qua vltima tamen alii minores lapillos lunari forma ſupra oculos carpionum ſitos prioribus anteponunt.

2) Sed ſpecifica talis vis nusquam digne ſtabilita comperitur. *vid. ſupra.*

21. CERVI CORDIS OSSA.

1) De his iam ſupra diximus; heic vero meminimus *olei illius animalis*, quod tum ex cerui, tum ex aliorum animantium partibus quibuscunque deſtillatum crebris rectificationibus ad ſummam vsque puritatem & vim penetrantiſſimam euehitur.

2) *Hoc* ſane *oleum* rite paratum in conuulſionibus, tam idiopathicis quam vterinis, dummodo alia vniuerſalia & conuenientia præmiſſa ſint, ſæpius admirabile fuit; vtque miſeros, ſine vlla narcoſi in placitam quietem & ſomnum ſæpe per 24. horas durantem delabi ſuauiter coëgit; ſic ſi paullo ante paroxyſmum ingruentem ſumtum fuerit, permultos plane deſperatos feliciſſime liberauit. *Confer. Diſp. noſtra inaugural. de hoc oleo & tab. med.*

22. HIRVNDINES.

1) Notum eſt, quantopere hæ aues iuniores in hyſterico malo, pariendi difficultate, & conuulſionibus celebren-

brentur, ſed ignotum, ipſas re vera quicquam adiumenti præſtare. Certe aqua hirundinum ex his pullis nihil archeale, nedum vere ſalutiferum per alembicum traducit.

2) Cordis efficacia adhuc dubia eſt, *nidus* in angina neutiquam ſpecificus, etſi discutientem illi vim ob ſal nitroſum tribuat *Ettmüllerus*; ſtercus pariter nitroſum eſt, ſed præ aliis non diſſipat inflammationes.

23. HOMINIS CRANIVM &c.

1) Nonnullos epilepticos hoc releuauit, rarius tamen per ſe operæ pretium fecit. *Sanguis* autem ex homine, qui decollatur, calide hauſtus dirum medicamen eſt, nulli ſuadendum. *Spiritus* ſanguinis tutior eſt, ſed ſpecificam ſuam vim nondum probauit.

2) *Secundinarum* effectus in epilepſia valde prædicatur *Ettmüllero*, in podagra autem irritus exiſtit. Recentes ſecundinæ & ſanguis lochialis næuos maternos non adeo profundos egregie identidem exſtinguunt, extus adplicata.

3) Præterimus alia, vt ſanguinem menſtruum & zenith iuuencularum, cutem humanam, ſtercus, de quibus varia portenta narrantur.

24. HIPPOMANES.

1) Deſcribitur vt caro glanduloſa, rubicunda ſpithamæ longitudine, quam pullus equinus recens editus in lingua geſtat eamque, niſi ſtatim eximatur, hauſto aëre protinus deglutit.

2) Commendatur autem in puluere epilepticis, dyſentericis, cœliacis, ſed vbique incerto euentu.

25. LACERTARVM HEPAR.

Minus adhuc probatum eſt in conuulſionibus epilepticis, meritoque ei *hepata* & *corda talparum*, *ranarumque viridium* recentiora & opportune data palmam præripere cenſentur.

26. TETRAONIS LINGVA.

An hæc pars quicquam ſingulare efficiat, vlteriusadhuc firman-

firmandum eſt; de ventriculo autem vrogalli, cum contentis in eo lapillis aliisque ſordibus, certo quidam venatores adſerunt, quod ſuperfuſus oleo oliuarum leniterque digeſtus, oleo virtutem impertiat mirabiliter antepilepticam.

27. EVPHRASIA.

1) Plurimorum teſtimonia conſonant, magnum in hac herbula præſidium eſſe aduerſus oculorum morbos, ſed nescio qui fiat, vt hodie rariſſime medentum impleat exſpectationem. Nihilominus tamen diligentius eius efficacia perquiri meretur.

2) A paucis etiam in vertigine, memoriæ debilitate, itemque in ictero, ſed incertius, collaudatur.

28. FLORES CALCATRIPPAE.

1) Subadſtringunt ex acido quodam principio, indeque repellunt & nonnihil discutiunt ſtaſes, præſertim in tenerioribus partibus, oculis & alibi ſubnatas; ſed mirabilem ſpecificum effectum nusquam teſtantur.

2) Ex ſupra dicta vi vomitum quoque compescunt in infuſo dati. *Herba* vero adhuc euidentius adſtringit in vulneribus proinde, & herniis laudata. An de cætero calculoſis, ictericis, obſtructis visceribus, ſanguini congrumato, doloribus poſt partum &c. conueniat, obſcurius eſt.

29. AXVNGIA PISCIS ASCIAE.

1) Recens lenit & emollit, vetuſta magis colliquat, ideoque debita cautione in acriore congeſtione inflammatoria ad oculos vſurpari debet. Vbi autem vera quædam pellicula ſeu vnguis præſto eſt, ibi vltima congruentior exiſtit.

2) Idem tenendum eſt de *pinguedine ſerpentum* & viperarum, cui ſingularem virtutem in oculorum malis alias adſignat *Wedelius*.

30. NI-

30. NIHILI ALBVM.

1) Ad cadmiam capniten ſeu artificialem volatilem refertur, & ex æris aliorumque metallorum liquefactorum fumo euehi & oris fornacum adhæreſcere traditur.

2) Vbi autem ad medicum vſum vocatur, lotura quadam præuia ad ſui correctionem indiget, actum oculorum morbis præcipue adhibetur, in quibus adſtringente, repellente & exſiccante facultate defluxiones ſeroſas emendat, acriores autem inflammationes facile exacerbare poteſt, vnde æquum discrimen & prudentia in adplicatione opus erit. Cæterum in vlceribus manantibus haud ita conuenit.

3) Vix effectu, nec qualitate a nihilo differt *pompholyx*, niſi quod ſubinde etiam cinereum colorem repræſentet, & non in oris, ſed ſummitatibus fornacum (über den Gar-Heerden und Kupfer-Oefen) hærere, atque etiam ex antimonialibus & pyritarum mineris fuſis eleuari memoretur. *Confer. Langius.*

4) Itidem huc pertinet *ſpodium Græcorum*, ſpeciatim a quibusdam pro nihili gryſeo habitum, ideoque a ſpodio Arabum, quod, vel radix cannarum exuſta, vel ebur vſtum eſt, probe discernendum.

31. TVTIA.

1) Olim Alexandria tantum adferebatur, nunc vero & Goslariæ, Sneebergæ & alibi ex haſtis ferreis ſupra fornaces, in quibus æris & pyritarum mineræ funduntur, poſitis colligitur ponderoſa, metallica, corticis inſtar circa dictas haſtas ex fumo metallico ſenſim concreta, & ſic pariter pro ſpecie cadmiæ fornacum habetur, quapropter etiam aureum colorem æri Cyprio conciliat.

2) Vt ergo origine, ſic & effectu non longe abit a præce-

denti, parilemque vtilitatem promittit in humida oculorum afflictione & vlceribus, dummodo acrior æstus & sensus absint, ac ipsa tutia antea rite præparata habeatur. De reliquo in hæmorrhoidibus cœcis hanc commendare non possumus.

32. VVVLARIA.

Dicitur & ceruicaria maior, virtutis adstringentis, adeoque faucium malis interdum auxilium spondentis; sed hanc herbam rarissime adhiberi & quantum ad alias vires attinet, plane incognitam esse constat.

33. TVNICAE VENTRICVLI GALLINARVM.

1) Ingentem famam consecutæ sunt in roborando stomacho, vt præ aliis hic singularem & specificam plane virtutem edere credantur. Procul dubio autem nata primum hæc opinio est ex eorum cerebro, qui ex similitudine substantiæ animalis ventriculi nostro scilicet stomacho perquam congruente, vel a sublimioribus archealibus reliquiis tantam vim proficisci debere autumant.

2) Sed facile hæc cogitata ferri possent, si modo experientia constantius responderet, quæ & hæc, & alia similia speculantium spem sæpenumero frustratur.

34. RADIX CVRCVMAE.

1) Ex India orientali aduehitur, ibique etiam ab incolis ad condituram ciborum frequentissime vsurpatur. vtpote subacri, grate amaricante & aromatico sapore prædita.

2) Quemadmodum autem hæc flaua radix abstergit, attenuat, & resoluit, sic in frigidis a sero mucido corrupto pendentiuus malis, cachexia, hydrope, œdemate

te pedum, quartana inueterata non ſpernendam oſtendit vtilitatem.

3) Inprimis tamen icterum tollere celebratur, idque non immerito, ſi debito tempore, abſente nimio æſtu & acriore ſanguinis ad hepar congeſtione, eandem porrigas; quanquam vere ſpecificam virtutem in ea non reperiamus.

4) Incertius de reliquo ad pariendi difficultatem & calculum laudatur, nam præter generalem & diureticam vim nihil adfert ſalutare.

35. RADICES QVINQVE APERIENTES.

1) Inter *maiores* numerantur radix apii, fœniculi, aſparagi, petroſelini, ruſci; de qua vltima adhuc pauca dicenda ſunt.

2) Dicitur & *radix bruſci*, ſeu myrti ſylueſtris acutæ, atque ob nitroſo-alcalinam indolem abſtergit pariter ac reſoluit, idcirco in morbis frigidis ſeroſis vtilis. Cæterum præ aliis viſcera ſingulariter haud aperit, neque menſium vitiis, nec gonorrhœæ, nec ſtrumis certam opem pollicetur.

3) Ad *minores* aperientes pertinent rad. graminis, rubiæ, eryngii, ononidis, capparis, quam poſteriorem hic ſimiliter tantum recenſebimus.

4) Creſcit autem læte in Hiſpania, aliisque calidis Europæ regionibus & fruticem protrudit, e quo gemmæ florum ſale & aceto conditæ, vt notum eſt, cibis admiſcentur.

5) *Cortex* radicis amarum ac ſubadſtrictorium ſaporem offert, in oppilationibus viſcerum, malo hypochondriaco, quartana & ſcorbuto commendatus; certe valde diureticus eſt.

6) Idem de *floribus* traditur, quos nonnulli ſplenis animam vocant, & cum cortice lienis duritiem certo dispellere referunt; vnde extus & intus adhibentur.

36. RADIX CHELIDONII MAIORIS.

1) Satis valenter operatur in attenuando, detergendo & reſoluendo, ac bilioſo-mucidos humores ſimul aliquantum per aluum euacuat.

2) Vnde vtiliter propinatur hydropicis, eique cognatis tumoribus, itemque ictericis non adeo teneris, quibus præcipue *Paracelſus* aliique hanc radicem non ſecus ac curcumam ſumere piæcipiunt.

3) Magis dubiam vero laudem habet in peſtilentia, & aliis febribus, malo hypochondriaco, ſcorbuto, odontalgia, ac infantum dentitione.

4) *Herba* etſi nec interne inſalubris ſit, tamen externe frequentius deſtinatur ſeroſis oculorum morbis & panno tollendo, vbi ſuccus eius acrior paullulum temperari debet, porro tumoribus pedum & coagulationi lactis auferendis. A multis quoque tota planta in vulneribus & vlceribus fœdis, ſcabie, impetigine, puſtulis faciei, lentigine, verrucis, nattis, clauis pedum dilaudatur.

5) Proſtant inde aqua deſtillata & extractum. Alias in ſubſtantia, infuſo, vel decocto poteſt adhiberi.

37. AGERATVM LVTEVM.

1) Adpellatur etiam *Eupatorium Meſue*, & apud nos in hortis colitur, vtque aromaticum odorem ſpargit & amaricat, ſic præcedenti non multum abſimilem medendi vſum habere iudicatur.

2) Plerique tamen hanc herbam magis hepati obſtructo ſuccurrere & lumbricos necare referunt; id quod vlterior experientia illuſtrabit.

3) Oſtenditur & *vulgare Eupatorium*, quod ab *Auicenna* cognomentum accepit, apud nos in paludibus creſcens; cui pariter virtus hepatica, anthelminthica, anti-

antiſebrilis & externe vulneraria adſcribitur, digne tamen huc vsque non perueſtigata.

38. RADIX FILICIS.

1) Abſtergit & ſubadſtringit, ſed rarius in vſum vocatur, niſi forte in ſplenéticis morbis, vbi nonnulli eam ſummopere efferunt, nec non in lumbricis longis & latis, quorum præſentiſſimam peſtem eſſe hanc radicem *Hofmannus* innuit.

2) Alibi citatur prodeſſe nephriticis, hernioſis, rachiticis, item in ambuſtione & vlceribus; alii fœtum pellere & ſterilitatem inferre dicitur.

3) In vniuerſum autem nondum ſatis probata eſt, ideoque caute vſurpanda.

39. HERBÆ CAPILLARES.

1) *Quinque* vulgo numerantur: capillus veneris, ruta muraria, adianthum aureum, trichomanes, ceterach, ſeu ſcolopendrium.

2) De capillo veneris ſupra diximus. Reliquæ lienoſis maxime commendantur, & fere inter illas eminet *ruta muraria* non nihil reſoluens & ſubadſtringens atque in turbis venæ portæ indeque oriundis ſplenis pathematibus haud contemnenda.

3) Incertius autem eadem plantula laudatur in pectoris malis, phthiſi, ictero, hydrope, febribus, ſcorbuto, rachitide, herniis, calculo, quem frangere vane perhibetur.

40. CANIS LVPI.

Hæc an hyſtericis ſingulariter medeatur, ab experientia clarius adhuc demonſtrari oportet.

41. ALBVM GRÆCVM.

1) In hoc vtique recondita eſt abſtergens, & diſcuſſoria facultas,

cultas, qua in primis faucium morbis haud leue auxilium subinde præstat.

2) Idem & interne commendatur tum in angina, tum in aliis inflammationibus, tum non in dysenteria, colica, malo hysterico, mensibus suppressis, externe quoque in vulneribus & vlceratione.

42. ASA FOETIDA.

1) Hic succus resinosus e sauciata radice plantæ cuiusdam Persicæ, quæ a nobis laserpitium dicitur, effluit primum candidissimus & pinguis, flori lactis simillimus, ad solem deinde colorem fuscum & coalescens lentorem induere solitus. Bonitas ex fœtore maxime liquet eo grauiore, quo recentior Asa est. *Vid. Kæmpfer.*

2) Mordaci autem sapore gaudet & præter resinoso-gummoso-salinas partes multum vaporosi sulphuris, vt loquimur, continet, inde resoluendi & quodam modo stupefaciendi viribus donata.

3) Sunt ergo, qui hunc succum valde prædicant in morbis vterinis, strangulatione hysterica, tumore lienis, colica; alii & in asthmate & tussi humida, peripneumonia, febribus intermittentibus, variolis, sed ancipiti, vel inutili experimento, eundem commendant; Indi illo vtuntur in hydrope & præcipue tympanite, cæterum & adeo delectantur, vt multis ad eduliorum condimentum inseruiat.

4) Frequentior apud nos vsus externus est in spasmis hystericis & post partum, splenis & faucium tumore, item in odontalgia, verrucis, paronychia, veneficiis, sed frustra, certius in vulneribus & vlceribus. At multi graueolentem eius halitum auersantur.

5) Cæterum, *Langio* notante, suffitus eius perfectam epilepsiæ curationem prodit, si scilicet ipsum ferant ægri; alias ex hoc odore nouus suscitatur paroxysmus.

43. TE-

43. TESTICVLI EQVINI.

Hos quidam capere ſuadent in colica, partu difficili, lochiis pellendis, itemque in ſterilitate, quam pariter ac *vſticuli gallinacei* & *leporis etiam* tollere poſſe creduntur. Sed plerumque in his poſita magna ſpes ab euentu refutatur.

44. ANTIRRHINVM.

1) Quanta huius herbæ laus eſt in Incantamentis, tanta plerumque ſuperſtitione vſus illius innititur. De reliquo virtutes antirrhini ſingulares in aliis morbis nondum inclaruerunt.

2) Idem valet de *ſideritide*. *Lunariæ* autem certior vis traumatica adſignatur, qua & hæmorrhagias compeſcere poſſit, & herniis aliqua ſubuenire. Dubie vero eadem in fluore albo, gonorrhæa, epilepſia, memoriæ debilitate laudatur. Extus, vt dictum eſt, vulneribus conuenit, itemque vlceribus & cancro, ſi *Carrichterum* audiamus.

45. APRI VESICA COMBVSTA.

1) Incertum adhuc ſpecificum eſt in vrinæ incontinentia, cui præſtare creditur *guttur galli* toſtum & cum vino datum, quod primum docuit *Solenander*.

2) *Ettmullerus* autem in eodem hoc malo celebrat *erinaceum vſtum* & *vuluam ſuis* in puluere porrigendam.

46. MARES MARINI.

1) Eorum efficaciam ſubforma ſuffitus in deliniendis hæmorrhoidum cæcarum doloribus ſapientis experti ſumus, quamquam, vt ſolent alia pleraque ſpecifica, nec indifferenter omnia, nec quouis tempore eadem ſubiecta protinus reſtituet.

2) In nimio autem hæmorrhoidum fluxu cautiſſime adhiben-

hibendi sint. Raro enim huic vel adstringentia, vel repellentia tale modum in iniungant, vt non maius periculum exsultat quam detrimentum.

47. LAC LVNAE.

1) Vocatur alias fungus, seu agaricus petræus, vtque terra leuis & friabilis candidissima est, margæ, vt videtur, species; sic in altissimis Heluetiorum montium speluncis reperitur.

2) Quamuis autem in aqua fere soluatur, ipsamque lacteo colore tingat; tamen, nec inde patet, nec constantibus documentis euincitur, huic concreto specificam lactis augendi virtutem præ aliis deberi.

3) Certius est idem ob deficcandi leuiusque adstringendi vim conuenire vlceribus. In calculo autem & febribus malignis cum pauci illud vtile ducunt, tum adhuc minus consentit fidelior omnium magistra experientia.

SERIES TABVLARVM.

Tabula I.	de Therapia generali generatim	pag. 1
II.	Emesi, seu vomitu	21
III.	Catharsi, seu purgatione stricte dicta	39
IV.	Diaphoresi, seu sudatione	83
V.	Diuresi	152
VI.	Apophlegmatismo per nares	213
VII.	Apophlegmatismo per os	237
VIII.	Saliuatione generali	243
IX.	Expectoratione	264
X.	Sanguinis abundantis, aut subsistentis euacuatione per remedia	305
XI.	Expulsione rerum toto genere præternaturalium	322
XII.	Alteratione generatim	348
XIII.	Incrassatione	354
XIV.	Resolutione	381
XV.	Humorum prauitate peccantium, seu cacochymiæ correctione	409
XVI.	Adstrictione	428
XVII.	Relaxatione	458
XIIX.	Motuum excitatione	466
XIX.	Motuum temperatione	482
XX.	Curatione per specifica	495

INDEX.

A.

Abrotanum 330
Abſorbentia 409. 411
Abſtergentia 388
quid ſint 382
Abſtinentia a medicaminibus 14
Abſinthium 326. 500
ſal eius 192
Acaciæ flores 42. 54. 86. 122
Acanthus vid. *Branca vrſina.*
Aceta bezoardica 97
Acetum ſquilliticum 35
Acetoſa 417
Acetoſella ibid.
Acida, quomodo operentur 390
Acidi ſpiritus 266
Acidum ſulphuris 337
Aconitum ſalutiferum vid. *Anthoræ* rad.
Acori rad. 238. 240
Adiantum aureum 501
nigrum & rubr. 501
album 502
Adſtrictio, quid ſit 428
quando adhibenda 429
Adſtringentia vim amittunt ſi particulæ nimium disperguntur 3
aliquando hæmorrhagias augent 3
vegetabilia 429
animalia 431
mineralia ib.
Aegrotis conualeſcentibus, quid incumbat 21
Aetas ægroti obſeruanda 16
Aethiops mineralis 244. 261
Affium vid. *Opium.*
Agallochum vid. *Aloes lign.*
Agaricus 42. 55
Ageratum luteum 516
Agrimonia 333
Album græcum 517
Albumen oui 378
Alcalinæ tincturæ 393
Alchymilla 436
Alcis vngula 510
Alhandal vid. *Colocynthis.*
Alkekengi baccæ 154. 180
Allii rad. 153. 159. 238
Alterans methodus 5. 6
Alteratio quid ſit 348
quando ſuscipienda ib.
Alterantia remedia 349
eorum modus operandi 349. ſqq.
propinandi 352
Alnus nigra baccifera. vid. *Frangula.*
Aloë 42. 60
Aloës lign. 421
Althæa 271. 265. 356. 459
Alumen 453
Ambra 479
Amianthus 453
Ammoniacum gummi 154. 183. 266
ſal 220
Amphia vid. *Opium.*

Amygdalæ dulces 265. 279
amaræ 154. 179
Amylum 356. 367
Anagallis purpurea 215. 222
punicea 502
Analepſis quid ſit 466
Anethi ſem. 420
Angelicæ rad. 86. 97. 236. 266
Anglicanum ſal: vid. *Epſhamenſe ſal:*
Anguilla 380
eius hepar 307. 320
- cutis 321
Animæ gumm. 403
Animale oleum 510
Animalium medulla 378
Aniſum 366. 300
ſtellatum 301
Anodyna 482
Anodyna aliquando commouent 2
Anſerina 437
Antepileptica vegetabilia: 497
animalia ib.
mineralia 498
Anthelmintica quæ ſint 323
quomodo operentur 329
Anthophylli 230
Anthos rad. 86. 98
flor. 225. 215
Anticolica 501
Antiſterica 500
Antihyſterica 501
Antimagica 502
Antimonium 155. 194
diaphoreticum 87. 133
- martiale *Ludou.* 316
eius clyſſus 135
- ceruſſa 87
- - - tinctura 194
- - Baſiliana 195
Antimonii flores 24
- - ſulphur. 24
- - præparata 134
Antirrhinum 519
Antiſcorbutica 412
Antiuenerea 411
Antihectica Poterii 457
Antiſpasmodica 482
Aphrodiſiaca 472
Aperientes 5 radices 515
Apii rad. 153. 161. 266
Apophlegmatiſmus per nares quid ſit 213
per quænam remedia inſtituatur 214
per os quid ſit 237
- - - eiusdem indicantia ib.
- - modus adplicandi 239
Apophlegmatizantia quomodo operentur 239
Apri dens 425
veſica combuſta 519
Apricatio veterum 151
Aqua benedicta Rulandi 24
exſtinctionis fabrorum 336
ſtimmi 135
Namphæ 127
Aquilegiæ ſem. 86. 124
Arabicum gumm. 265. 285
Arcanum duplicatum 43. 155. 201
corallinum Croll. 25. 244
Archealia 495
Ari rad. 86. 98. 153. 266
Arilli ſambuci 37
Ariſtolochia rotunda 153. 161

Armenus lapis 43 82
Armoracia 169
Arnicæ flores 154.173
Aroph Paracelſi 454
Artemiſia alba & rubr. 306. 312. 501
Aſa dulcis vid. *Benzoes gumm.*
fœtida 518
Aſarum 23. 32
Asbeſtos lapis 453
Aſciæ piſcis axungia 512
Aſelli 206. 155
Aſini ſanguis 502
Aſparagi rad. 153. 162
Athleticus habitus 14
Atriplex 462
Aucuparius viſcus 509
Auellana nux 367
Auena 265. 274
Aurantiorum cortices 87. 126. 154
Auricula muris vid. *Piloſella.*
Auri quinta eſſentia 481
Aurum 480
fulminans 43. 80
Aurum potabile 481
vitæ *Kegleri* 25
Autocratia naturæ palmarium therapiæ fundamentum 6. 11
multis premitur difficultatibus 7
cur multos non ſuperet morbos 7. ſqq.
Axungia piſcis aſciæ 512
Azureum 82

B.

Balauſtiorum flores 441
Balnea Laconica 96
ex aqua dulci 462
Balſamica vegetabilia 412
animalia 413
mineralia ib.
oleoſa 216. 237
Balſamum de Copaiua 154. 188
Peruuianum 154. 189
perpetuum Paracelſi 65
Barbi piſcis oua 26
Bardanæ radix 86. 99. 153. 154. 266
Barba caprina 124
Baſiliana tinctura 195
Baſilicum 418
Bdellium gumm. 154 183. 266
Beccabunga 86. 113
Becchica quænam ſint 264
remedia ib.
Belladonna vid. *Solanum furioſum.*
Bellidis flor. 154. 174 266
Benzoës gumm. 266. 302
Berberes 368
Berg-blau 82
Beta 462
Betel 494
Betonica 215 223. 238
Bezoardicus lapis orientalis & occidentalis 87. 143
Bezoardicum minerale 134. 135
iouiale 134
lunare ib.
ſolare ib.
Bilis canis atri 510
Bilioſa acrimonia quomodo obtundenda 411
Biſtorta 86. 100
Blut-Stein 454
Boletus ceruinus 474

Borax

Borax 155. 195
veneta 502
Borrago 492
Bouis caſtrati ſplen 307. 322
Bouiſta vid. Crepitus lupi.
Branca vrſina 463
Braſſica marina vid. Soldanella.
Braun Farin 234
Brittanica veterum 107
Bruchi maiales 502
Brunnen-Kreß 118
Bruſci rad. vid. Ruſci rad.
Bruſt-Wurtz 97
Bryonia 42. 55
Bufones 155. 207
eorum officula 207
Bufonites lapis ib.
Bugula 440
Burſa paſtoris 437
Butyrum 287
maiale ib.
maioranæ 224
rubrum & viride potabile 288

C.

Cacochymiæ correctio 409
Cacochymiam corrigentia quænam remedia ſub ſe comprehendant 409
quando adhibenda 410
eorum modus operandi 411
propinandi 414
Cadmia artificialis vid. Nihili album,
Calamintha 306. 313
Calamintha vid. Styrax.
Calamus aromaticus officin. vid. Acori rad.
peregrinus 240. 238
Calculus humanus 155. 207
Calcatrippæ flor. 512
Calcis viuæ ſpiritus 155. 196
aqua 196
Calendulæ flor. 86. 122 215
Camphora 87. 131. 238
Cancrorum chelæ 425
lapides 155. 209
acido ſaturati 210
Candelæ fumantes 475
Candis-Brod 234
Canela alba vid. Coſti dulcis rad.
Canis atri bilis 510
Canis rabidi hepar. 502
Cannabis Perſica 494
Cantharides 155. 208
eorum eſſent. 208
Capillares herbæ 517
Capillus veneris 86. 114. 154. 266
Caponis guttur. 502
Capparis rad. 515
Caranna gumm. 404
Carbones tiliæ 425
Cardamine vid. Naſturtium.
Cardamomum maius vid. Paradiſi grana.
Carduus benedictus 86. 113. 125. 266
Mariæ 86. 125. 266
Caricæ 281
Carlinæ rad. 86. 102. 153. 238
Carmin 477
Carminatiua quænam ſint 323
vegetabilia ſimplicia ib.
compoſita 324
animalia 375
mineralia ib.
Caro viperarum 86. 146

Carpionum lapides præparati 155.209
os 510
Carthami ſem. 42.56.215
Carui ſem. 175
Caryophyllata 86.101.153
Caryophyllus aromaticus 216.230
hortenſis 419
ſylueſtris 420
Caſcarillæ cortex 266.301
Caſeus 288
Caſſia extracta 50
fiſtularis 41.49
Caſtanea 444
Caſtorei eſſentia 215.220
Caſtorei medulla 221
Cataputia 42.67
maior vid. Ricinus.
Catechu terra 450
Catharſis quid ſit 39
Cathartica aliquando vomitum prouocant 3
eorum modus propinandi 43.ſqq.
operandi 45.ſqq.
quamnam materiam & vnde eliminent 39
Centaurium minus 41.86.114
Centummorbia vid. Nummularia.
Cepæ 162.238
earum radix 153.215
Cephalica vegetabilia 496
mineralia 497
Cera 291
alba 292
virginea ib.
eius oleum 291
Ceraſa 369
præparata ib.
eorum nuclei 154.182
gummi 285
Ceratum de galbano camphoratum 185
Cerui cordis oſſa 510
Ceruicaria vid. vuularia.
Ceti priapus 453
Ceruaria vid. Gentiana alba.
Ceruinus boletus 474
Ceruſſa 456
antimonii 134
Ceterach. 501
Chærefolium 86.115.154.266
Chalybs præparata 334
Chameacte vid. Ebuli rad.
Chamæcyperiſſus vid. Abrotanum.
Chamæpitys 508
Chamædrys 86.115
fœmina vid. Teucrium.
Chamomilla 341.459
Cheiri flor. vid. Viola lutea
Chelæ cancrorum 425
Chelidonium maius 516
minus 418
Chinæ cort. 442
radix 86.102.244
Cholagoga quid ſint 41
Cibi renitente natura ægrotis non ſunt obtrudendi 21
Ciceres rubri 307.318
Cichorei rad. 276.396
Cinæ ſem. vid. ſantonici ſem.
Cingulum mercuriale 253
Cinnabaris 244.258
antimonii 259
Cinnabaris fumus 251
Cinnamomum 307.319
album

album vid. Winteranus Cortex & Coſti dulc. rad.
Citri cort. 87. 127. 154
Citrulli ſem. 275
Cnici ſemen vid. Carthami ſem.
Cocci gnidii 77
Cocculi de leuante 238. 242
Cochinilla 477
Cochleæ 380
Cochlearia 116
Coffée 395
Colchicum ib.
Coliphium 366
Colliquantia quæ ſint 382
Collo & faucibus adpropriata remedia 499
Colocynthis 42. 67
eius ſemen 69
Colutea veſicaria 66
Comæ millefolii 118
Conchæ præparatæ 87. 139. 155
Condenſantia 354
Confect. alkermes 446
Conſolida minor flor. purpureo vid. Prunella.
media 440
maior vid. Symphytum.
Conſuetudines ægrotorum a Medico ſunt conſiderandæ 15
morbos inducere poſſunt 16
qua ratione ſuperari poſſint ib.
Contraierua 86. 103
Copal gumm. 405
Corallia 426
præparata 87. 135
Corallinus muſcus 333
Cordis cerui oſſa 510
Coriandri ſem. 508
Corna 444
Cornu cerui vſtum philoſ. præparatum 140. 86
eius ſpiritus 155
Correctio cacochymiæ 409
Corylinum lignum 368
Corylinum ſulphur. ib.
Corylinus viſcus 509
Coſtus dulcis 339
corticoſus vid. *Winteranus cortex.*
Cranium humanum 511
eiusdem vſnea 441
ſal volatile 87. 146
Crap 312
Cremor tartari 193
Crepitus lupi 444
Creta 427
Crocus 266. 298. 299
martis antimoniat. Stahl. 307. 321
ſolubilis 336
ſulphuratus ib.
metallorum Ruland. 24
Crugeri materia perlata 134
Cryſtallus præparata 155. 197
Cryſtalli lunæ 25
Cubebæ 216. 231. 238
Cucumeris ſem. 275
aſinini ſuccus vid. Elaterium.
Cucurbitæ 275
Cuminum 154. 176
Cunctatio in cura maxime euitanda 14
Cupreſſus vid. Abrotanum.
Cupreſſi nux 447
Curatio vid. Therapia.
per exſpectationem 13

per ſpecifica 6. 495
Curæ heroicæ improbantur 9
Curcas vid. Ricinus.
Curcumæ rad. 514
Cuſcuta 59
Cyani flor. 215 226
Cyclaminis rad. 42 69
Cydonia mala 369
præparata ib.
Cynogloſſa 489
Cynosbati fruct. 154. 182
Cidre 374
Cyperi long. & rotund. rad. 340

D.

DActyli 370
Daphnoides vid. Mezereum.
Dauci rad. 153. 163
ſemen 154 163
Daura Paracelſi 63
Dei præſidium in omnibus venere-
tur morbis 11
Dens hippopotami 451
apri 425
Dentes demortuorum 502
Diacodium 279
Diacrydium ſulphurat. 79
Diacodium Montani 356
Diacydonium pellucidum ialapp. 76
Diæta dura in mollem permutata,
quæ damna inferat 16
in morbis obſeruanda 10. ſqq.
ſaliuationis tempore obſeruanda
248
Diaphoreſis quid ſit 83
eiusdem differentia 84
gradus 90
quasnam eliminet materias 84
aquoſa quando conducat ib.
Diaphoretica vegetabilia 86
mineralia 87
animalia ib.
quando noceant 93
eorum modus operandi 88
propinandi 89
Diaſcordium Fracaſtorei 121 87
Digeſtiua aliquando emeſin cient 2
quænam ſint 382
Dictamnus albus 86. 153. 103
creticus 501
Diſcutientia interna & externa 387
quænam ſint 382
Diureſis quid ſit 152
quomodo differat ib.
quasnam euacuet materias ib.
quando conducat 153
noceat 159
eiusdem promotio quomodo in
ſtituenda 158
Diuretica vegetabilia 153. ſqq.
mineralia 155
animalia ib.
eorum modus operandi ib.
adplicandi 157
differentia & claſſes 156.
ſqq.
Doronici rad. 86. 104. 496
Draconis ſanguis 449
Dulech Helmontii 208
Dygbæi Puluis ſympatheticus 504

E.

EBur & ſpiritus eius 155. 209
foſſile 147
Ebulus 37. 57
Edulcorantia 409
Egranum ſal 43 83

Elaterium 42. 69
Electuar. de Caſſia & manna 50
Elemi gummm. 376. 377
Elixir P. Paracelſ. 62
Elleborus vid. *Helleborus.*
Emeſis quid ſit 21
quænam repurget loca 22
artificialis vbi locum habeat 22. ſqq.
quando noceat 29
Emetica 23
eorum modus operandi 26
propinandi 27
antimoniata 37
aliquando catharſin promouent 3
Emmenagoga vegetabilia 306. 501
animalia 307
mineralia ib.
Empl. de ſpermate ranarum 211
de ranis cum Mercurio ib.
de cruſta panis 365
Emp. diachylon ſimplex, cum gummat. 460
Santalinum 131
Zachariæ filii 460
Endiuia 276. 489
Engel-Wurtz 97
Enulæ rad. 86. 104. 153. 238. 266
Energia naturæ a medico bene penſitanda 11
Epithymum 42. 59. 86
Epſamenſe ſal 43. 83
Equi ſtercus 345
teſticuli 345. 519
Equiſetum 437
Errhina quomodo operentur 214
quando conducant ib.
noceant 217
modus propinandi 216
vegetabilia 215
animalia ib.
mineralia ib.
Errhino ptarmica quomodo agant 214
Erucæ ſem. 216. 229. 238
Eryſimum 266. 294
Eryngii rad. 153. 164
Eſſ. alexipharmaca Stahl. 87. 147
lignorum 87. 149
Eſulæ 42. 71
Euacuans methodus 5
Ευκαιρία medendi 13. ſqq.
Eupatorium Meſ. vid. *Ageratum.*
luteum vulgare 516
Euphorbium 42. 70. 210. 216. 219
Euphraſia 512
Excitantia remedia quænam ſint 466
eorum differentia ib.
modus operandi 469
propinandi 470
vegetabilia 467
animalia 468
mineralia ib.
Expectoratio quid ſit 264
quando conducat 265
noceat 269
eius abuſus & damna 268
Expectorantia 265
eorum modus operandi 267
adplicandi 268
compoſita officinalia 270
Expulſio rerum toto genere præternaturalium 322

Extract. diagryd. aromatisat. 80
marocostinum Mindereri 340

F.

Fabri sudoriferum maximum 457
Farfara vid. *Tussilago.*
Farina secalina 366
Farin Zucker 234
Faucibus & colla adpropriata remedia 499
Fel Tauri 339
Ferrum ib.
Fibræ Hellebori nigri 63
Ficaria vid. *Chelidonium* minus.
Ficus 265. 280
Fieber-Rachen 203
Filicis rad. 517
Filipendula 435
Flos cassiæ vid. *Cassia* extracta.
Flos mirabilis peruuianus 74
Flor. persicorum 42. 58
Fæculæ ari 99
Fœniculum alpinum vid. *Mei* rad.
Fœnu græcum 265. 275
Folium indum vid. *Malabathrum.*
Formicæ 86. 141
earum oua 26
Fraga 165
Fragaria 153. 164
Frangula 42. 71
Fraxinum lign. 87. 154. 190. 244
Fraxinella vid. *Dictamnus* albus.
Frigida 4 maiora semina 265. 275
minora semina 276
Fuligo 424
Fumaria 86. 97. 117
Fumaria bulbosa 161
Fumus Tabaci 36. 37
Fursures Tritici 367

G.

Galangæ rad. 86. 105. 238
Galbanum gumm. 154. 184
Gallæ 445
Galli guttur 519
Gallinæ excretio alba 497
Gallinacea oua 378
Gallinarum tunicæ ventriculi 514
Galegæ flor. 123
Garten-Kreß 118
Glandes 446
Graminis rad. 165. 153
Granata mala 371
Granatorum cortex 441
Gratiola Dei 25. 43. 72
Genistæ fl. 175
Gecken-Heyl 222
Gelatinæ 266. 293
Gemmæ 87. 138
- - præparatæ 139
Geranium 402
Gentiana rubra 80. 105. 183
Gift-Heyl 98
Gilla Paracelsi 25. 220
Ginsing. rad. 472
Gluten 377
Gnaphalium 438
Grana gnidii 77
Tilli vid. *Rizinus.*
Grossularia non spinosa vid. *Ribes.*
Guaiacum vid. *Sanctum* lign.
Gumm. guttæ 43. 72
vitriolatum Mindereri 73
Gutta cambodia vid. *gumm.* guttæ.
Guttur Galli 519

H.

Haber-Grütz Brühe 274
Tranck ib.
Hæmatites 455
Hæmorrhagiæ quænam sint promouendæ 205
Hæmorrhagias promouentia remedia quomodo operentur 308. sqq.
eorum modus propinandi 309
Hæmorrhoides proritantia remedia vegetabilia simplicia 307
composita 308
Hedera terrestris 154. 170. 266
Hederæ gumm. 422
Helenium vid. *Enula.*
Helleborus albus 33. 24. 215
niger 41. 62. 64. 238
Hepar lacertarum 511
talparum ib.
ranarum ib.
Hepatica 500
Hepatica nobilis 398
stellata vid. *Matrisylua.*
saxata 500
Hermodactylus 57
Herniaria 153. 165
Heroicæ curæ improbantur 14
Heyl-Holtz vid. Wund-Holtz.
Hippolapatum 52
Hippomanes 511
Hippopotami dens 451
Hirci sanguis 87. 142. 155
Hirundinaria vid. *Vincetoxicum.*
Hirundines 510
Hohl-Wurtz 161
Hominis partes &c. 513
Hordeum 265. 276
Horminum 343
Humorum prauitate peccantium correctio 409
Hunds-Zorn 102
Huso piscis 377
Hut-Zucker 234
Hydragoga quid sint 40
Hydromel 291
Hydropiper vid. *persicaria.*
Hyoscyamus 265. 277
Hypercatharsis 45
Hyperemesis 28
Hyperici sem. 123. 154. 177
Hypnotica 482
Hypocistis 450
Hyssopus 266. 294
præparata 295

I.

Iaceæ flores 24
Ialappa 43. 74. 215
Iasmini fl. 473
Iberis vid. *Nasturtium.*
Ichtyocolla 377
Iesuiticus cortex 442
Imperatoria 86. 306. 153. 238. 266
Incidentia quæ sint 382
Incrassatio quid sit 354
quando suscipienda 355
Incrassantia vegetabilia simplicia 356
præparata ib.
animalia 357
mineralia ib.
eorum modus operandi ib.
Indicans quid designet 1
Indicatio quid doceat ib.

Indicatum quid denotet ib.
Indum folium vid. *Malabathrum.*
Inſectoria grana 446
Ingber teutſcher 99
Inſuccatio Aloes 61
Ipecacuannha 33. 24
Iris noſtras & Florent 43. 76. 215. 238. 266
paluſtris fl. luteo vid. *Pſeudo* acori rad.
Iua arthetica vid. *Chamæpitys.*
Iudaicus lapis 155. 197
Iuglans nux 371
præparata 372. 373
Iulii Palmarii Puluis 502
Iuiubæ 265. 281
Iuniperi baccæ 145. 86. 180. 266
gumm. 154. 185
lign. 128. 154. 244. 266

K.

Keller-Hals 76
Kermes grana 446
Kiefern 465
Korb Roſinen 282

L.

Lac 265. 286
augentia 502
eius ſerum 288
Lunæ 520
Laccæ gumm. 448
Lacertarum hepar. 498
ſpina ib.
Lactuca 490
ſem. 276
Lapathum acutum 107
latifolium vid. *Hippolapathum.*
Lapis animalis ſeu mercurialis 408
Lapis porcinus 144
Lappa maior vid. *Bardana.*
Lapſus in vitales & morales actiones corruptionem introduxit 7
Laſerpitium 42
Lathyris minor vid. *Cataputia.*
Laub Frôſche 210
Lavendel-Waſſer 400
Lauendula 226. 215
Lauendula mas l. latifolia vid. *Spicæ* fl.
Laureola vid. *Mezereum.*
Lauri baccæ 86. 154. 181. 266
Laxatio quid ſit 40
Laxantia cholagaga 41
hydragoga 42
melanagoga ib.
phlegmagoga ib.
Lazuli lap. 43 82
Lenitio quid ſit 39. 40
Lenientia 41
quid ſint 383
Lens paluſtris 490
Leonis ſtercus 498
Leporis tali 155. 212
vterus 502
teſticuli 519
coagulum 498
Leuiſtici rad. 86. 107. 153. 266
Lichen petræum 500
Liliorum albor. rad. 361. 459
conuallium fl. 215. 227
Limaces 380
Linaria 154. 171
Lingua Tetraonis 511
auis 190
Lini ſemen 265. 278

Liquiritiæ rad. 265. 271. 356. 459
Liquor CC. ſuccinatus 87. 149. 206
ſtypticus Barckhuſii 337
terræ fol. tartari 193
Lithargyrium 456
Lithontriptica quænam ſint 323
Lolium vid *Nigellaſtrum*.
Lucii piſcis mandibula 97. 146
fel. 498
Ludus humanus Paracelſi 208
Lumbrici terreſtres 87. 144. 155. 498
Lunaria 519
Lunæ cryſtalli 155. 198. 338
lac 520
Tinctur. 498
Lupi caro 517
ſtercus 346
rabidi hepar aut cor. 502
Lynzis lapis 197. 155

M.

Machinæ ſudatoriæ 96
Macis puluis, oleum & gummi 345
Magneſia alba 43 83
Magnetica 495
Maiorana 215. 223. 208
Mala vide *Poma*.
inſana vid. *Melanzana*.
Malabathrum 473
Malicorium 441
Malua 265. 272. 356. 459
Manati lapis 452
Mandibula lucii piſcis 146
Mandragora 490
Manna 41. 50
Vitrioli 25
Margaritæ 146
Martialia quomodo aluum moueant 48
Martis minera Haſſiaca 455
- præparata 337. 338
Marubium 266. 295
Marum verum 419
Maſticatio quid ſit 237
Maſticatoria quænam ſint ib.
quomodo operentur 238
Maſtiche 238. 241
Maſtichina vid. *Marum verum*.
Mataliſta 42. 58
Mater perlarum 87. 145
Matricaria 306. 314
Matri ſylua 438
Mechoacanna alba 42. 57. 215
- - nigra 75
Meconium 471
Medicamenta quomodo efficaciam ſuam edant 2
non ſemper vnum eundemque præſtant effectum 3
ſæpe effectum præſtant licet corpus non attingant 3
operantur excitando ſenſum vitalem 4
effectus eorum a natura dependet 12
Medicus morbos non profligat, ſed manus admouet obſtetricantes 6
eius requiſita & officia 8
Medulla animalium 378
Mei rad. 341
Mel 265. 289
Mellis præparata 290
roſatum ib.
Melanagoga quid ſint 40
Melanzana 375

Panis 363. 364
martius 236
mellitus 365
hordeacius 277
Papauer 265. 279
erraticum 295. 273
Turcicum vid. *Opium.*
Paradiſi lign. vid. *Aloes lign.*
grana 86. 126. 138
Pareira braua 153. 166
Parietaria 464
Paris herb. ib.
Paroxyſmorum horæ probe obſeruandæ 13
Paſſulæ 265. 282
Paſtinaca ſylueſtris vid. *Dauci rad.*
Pathemata animi miſere motus confundunt vitales 7
Pauonis ſtercus 498
Pectoralia 499
Pedra de porco vid. *Porcinus lapis.*
Penid Zucker 234
Pentaphyllum 435
Percarum lapides 155. 209
Perfoliata 438
Perſicaria 439
Perſicorum nuclei 154
flor. 42 58
Peruuianus cortex vid. *Chinæ cort. & Caſcarilla.*
Petaſitis 86. 108. 153. 26
Petroleum alb. flauum et rubicund. 481
Petroſelini rad. 153. 167. 266
Pfeffer-Kuchen 365
Pferde-Bier 346
Phlegmagoga quid ſint 40
Phlegmatizantia quid ſint 237
Piloſella 266. 295
Pilulæ aggregatiuæ 54
angelicæ 62
Becheri 307
Francofurtenſes 61. 62
Glaſſianæ 62
Meſuæ 54
de Mezereo 54
peſtilentiales Ruffi 62
ſine quibus 54
de tribus ib.
Wild ganſii 88
Pimpinella alba 97. 86. 108. 154. 215. 266. 238. 244
ſanguisorba 435
Pinaſter 465
Pineæ 265
Pini lign. 422
Piper 216. 232. 238
montanum vid. *Mezereum.*
Piperitis 238. 240
Piſcis a lucio piſce deglutitus 502
Piſtaciæ 265. 283
Pix naualis 406
Planta Chriſti vid. *Rizinus.*
Plantago 435
Plumbum 456
Polium montanum 508
Polygonum 439
Polypodium 42. 65
Polytrychum 501
Poma 374
Adami 375
Pompholyx 513
Porcinus lapis 144
Porrum 331

Portulaca 490
semen 276
Potus ægrotis non denegandus 20
Poterii antihecticum 134
Præcipitantia 409
Præparantia quænam sint 382
Praxis general. vid. *Therapia* gen.
Priapus ceti 453
cerui 141
Primula veris 420
Propolis vid. *Cera* virginea.
Proportio quantitatis remediorum 10
Pruna 402
alba 403
Prunella 439
cœrulea 440
Prunellæ lapis 43
Pseudoacori rad. 436
Psyllii sem. 42. 52
Ptarmica 215. 224
quomodo agant 214
quando conducant ib.
eorum modus propinandi 216
contra indicantia 217
Ptisana hordei 277
Ptyalismus vid. *Saliuatio* gener.
Pulegium 238. 241
agreste vid. *Calamintha.*
Pulmonaria Gallica l. phthisica vid. *Pilosella.*
maculosa 266. 296
Puluis scamm. polychrestus vegetabilis 79
syrius vid. *Scammonium.*
Purgatio vid. *Catharsis.*
strictissime dicta quid sit 40
Purgantia hydragoga 42. 43
Pyra 375
Pyrethrum 215. 222. 238
sylueſtre vid. *Ptarmica.*
Pyrola 440

Q.

Quecken-Graß 165
Quercus 445
Quernus viscus 509

R.

Ranæ 155. 210
earum sperma 211
hepar. 498
Raparum rad. 154. 167
Raphanus 154. 168
Refrigerantia 482
Regimen post adsumtum purgans 44
sub sudatione 91
post sudorem 92
nimis calidum nocet 19
frigidum quod noceat 20
Regulus antimonii simplex 24
medicinalis 24. 134
Relaxatio quid sit 458
Relaxantia remedia 459
quando conducant 458
eorum modus operandi 460
propinandi ib.
Remedia in vrinæ incontinentia 502
in hæmorrhoidibus cœcis ib.
in melancholia ib.
in morsu animalium venenatorum 503
Remediorum selectus fiat 10
Repellentia 478
Reprimentia 428

Resina 465
Resolutio quid sit 381
quanam comprehendat remedia 382
Resoluentia quænam sint ib.
quando conducant 383
sanguinem grumosum vegetabilia 384
mineralia 385
lympham & serum vegetabilia ib.
animalia 386
mineralia ib.
eorum modus operandi 389
propinandi 391
Rhabarbarum 42. 52
monachorum 42. 52
Rhamnus catharticus 42. 58
Rhaponticum 52
Rhodia rad. 507
Rhodium lignum 474
Ribes 376
Rizinus americanus 43. 77
vulgaris 43. 77
Rorella 266. 296
Rosa mineralis Ang. Sal. 25. 38
Rosarum fl. 215. 227
Rosinen gemeine 282
Rosmarinus 215. 224
Ros solis vid. *Rorella.*
Rubia tinctorum 306. 312
Rubi idæi sirupus emeticus 25
Rubinus vegetabilis 79
Ruscі rad. 515
Ruta 86. 119
sem. 125. 216
capraria 123
muraria 517

S.

Sabina 307. 316
Saccharum 216. 233
saturni 457
Crystalli saturni ib.
Saft-grün 59
Sagapenum gumm. 154. 186
Sal anglicanum vid. *Epsamense.*
armoniacum 215. 220
commune eiusdem ppta 204. 155
CC. vol. 140
digestiv. Sylv. 205
Ebsamense 43. 83
Egranum 43. 83
iouiale Mynsichti 457
polychrest. Glaseri 102
vitrioli 25 38
volat. viperarum 86. 146
Salia media digestiua 155. 201
vegetabilium alcalia fixa 154. 191
volatil. vrinosa 155. 202. 218. 215. 408
Salbey Römische vid. *Horminum.*
Saliua 407
Saliualis euacuatio quot modis fiat 214
Saliuatio generalis quid sit 243
eius indicantia ib.
symptomata 245
Saliuationem excitantia remedia 244
facilitantia ib.
eorum modus operandi 245
adplicandi 246
Saluia 86. 119
Sambucus 24. 37. 266. 499

Sanctum lignum 87. 129. 154. 244. 266
Sandaraca Arabum 185
Sanguinis abundantis aut ſubſiſtentis euacuatio per remedia 305
quando conducat 306
humani ſal. volat. 87. 146
Sanguis draconis 449
hirci 142
Sanicula 440
Santalum lignum 87. 131
Santonici ſemen 332
Sapa vomitoria Syluii 25
Saponaria 244. 263
Sarcocolla 423
Sarſaparilla 86. 108. 244. 266
Saſſafras lign. 87. 130. 154. 244
Satureia 398
Saturni ſacchar. 457
Satyrii rad. 472
Saxifragia 154. 169
rubra vid. *Filipendula.*
Scabioſa 86. 120. 266
Scammonium 43. 78
ſulphuratum 79
Scarabæi maiales 155. 211
Scariolæ ſem 492
Schacarilla vid. *Caſcarilla.*
Schœnanthii fl. 307. 317
Schœnopraſum vid. *Porrum.*
Sclarea vid. *Horminum.*
Scordium 85. 120. 266. 416
Scorpiones 155. 212
eius cor 502
Scorzonera 86. 110
Scrophulariæ rad. 402
Sebeſten 265. 284
Secalis fl. 366
Secundinæ 511
Sedantia 482
Sedum maius vid. *Semperuiuum* maius.
minus 495
vermiculare 23. 37. 86
Seidelbaſt 76
Semper viuum maius 490
Senna 42. 65
Sennes-Blätter falſche 66
Senſibilitas indiuidualis magnam in praxi medica meretur conſiderationem 17
quantum valeat exemplis illuſtratur 17. ſq.
Senſibiles prouide tractandi 18
Senſus rerum abſentium adficiunt etiam hominem 4
Sepiæ os 452
Serpentaria virginiana 111
Serpentes vid. *Viperæ.*
Serpillum 86. 215. 225
Italicum vid. *Thymus.*
Serum lactis 288
tamarindinatum 54
Seſami ſem. 465
Seſeli ſem. 178
Sexus ratio habenda 16
Sideritis 519
Sigillatæ terræ 137
Sigillum Salomonis 436
Sileres montani 154. 178
Silices 347
Siliquæ dulces 265. 285
Sinapi ſylueſtre vid. *Eryſimum.*
ſem. 216. 230. 238

Siſarum montanum Iaponicum vid. *Ginſeng* rad.
Siſymbrium 118
Solanum 491
furioſum ib.
Mexicanum vid. *Ialapp.*
Soldanella 43. 77. 78
Soleæ ex aaate mercurii 253
Sophia Chirurgorum 442
Sopientia 12
ſoporifera 482
Sorba 448
Species de hyazintho 139
hieræ picræ 62
diaturbith 59
Specifica 495. eorum modus adhibendi 505
operandi 503
Speichel Wurtz 222
Speiſe Zucker 234
Sperma ceti 266. 292
Spicæ fl. 216. 228. 266
Spica nardi 228. 497
Spieck Oel 461
Spillinge 403
Spina ceruina 58
Spina infectoria vid. *Rhamnus* catharticus,
Spiritus ſancti rad. vid. *Angelica.*
Spiritus ſal. ammoniac. 220
carminatiuus de tribus 135
calcis viuæ 155. 196
CC. 140
formicarum 87. 141
Vini 476
Spodium Græcorum 513
Spring-Körner 67
Kürbiß 70
Splenetica 500
Squillæ rad. 24. 34. 154. 215. 266
Stannum 456. 457
Staphis agria 238. 241
Stehr-Zucker 234
Stercus equi 345
lupi 346
hirundinum 511
Stincus marinus 479
Stoechas Arabica 266. 400
citrina ib.
Stomachica 2. 500
Strammonium 492
Strobelbergeri ſpecificum antifebrile 140
Struthio cameli teſtæ 155. 213
Stupefacientia 482
Stuphæ vaporoſæ 96
Styptica 428
Styrax 474
Succinum eiusque præparata 97. 205
Succiſa vid. *Diaboli.*
Sudatio vid. *Diaphoreſis.*
Sudor colliquatiuus 94
Suis vulua 519
Sulphur 87
eiusque ppta 97. 135. 136. 137
antimon. aurat. 24. 38
Sympathetica 495
cura 4
eiusdem effectus ib.
ſudorem prouocantia 96
Sympatheticus puluis Digb. 496
Symphytum 362
Symptomata actiua & paſſiua 9
eſſentialia & accidentalia 9
Syrupus S. Ambroſii 364

de

de Canela 320
de Cichor. cum Rhabarb. 396
Domeſticus vid. *Rhamnus* ſolutiuus.
emeticus Ang. Sal. 38
eryſimo Lobelii 294
de praſio 295
Lutheri 346

T.

Tabacum vid. *Nicotiana.*
Tacamahaca 406
Tali leporis 155. 212
Tamarindi 52. 54
Tamariſci cortex 443
Tanacetum 331
Taraxaci rad. 397
Tartarus crudus 43
eiusque ppta 154. 192
emeticus 25. 37
tartariſatus ſ. ſolubil. 43. 193
vitriolatus 43. 155. 201
eius ſpiritus 393
Tauri fel. 339
Temperamenti ratio habeatur 16
Temperantia vegetabilia 484
animalia 485
mineralia ib.
eorum modus operandi ib.
propinandi 483. 487
Temperatio motuum quid ſit 482
quot modis fiat 483
quando conducat 484
Tempora morborum 13
critica 13
Terebinthina 154. 187
Terra foliata Tartari 43. 193
catechu 450
eius oleum 482
ſigillata Strigenſ. Lemnia, Melitenſis, Samia 137
Teſtæ ouorum 155. 212
ſtruthio-cameli 155. 213
oſtrearum vid. conchæ.
Teſticuli equini 345
Tetraonis lingua 498
ſtomachus ib.
Teucrium verum 398
Thapſus barbatus 363
Thea 393
Therapia generalis quid ſit 1
ſympathetica 4
ſani corporis 7
Theriaca 87. 149. 150
Theſaurus vitæ vid. *Daura.*
Thymus 215. 225
Thymalli axung. 498
Thymelea vid. *Mezereum.*
Tiliacius viſcus 509
Tiliæ fl. 86. 123
carbones 425
Tinctura antiphthiſica Grammani 457
bezoardica Michael. 87. 151
nephritica Amelung. 347
Tithymalus vid. *Eſula.*
- - - arboreſcens ſpinoſus 423
Topica purgantia 48
Tonica 428
Tormentilla 86. 110
Tragacantha 265. 285

Transpiratio naturalis 94
Traumatica 428
Trichomanes 501
Trifolium acetosum vid. *Acetosella.*
fibrinum 86. 121. 266
Triticum 366
Trochisci alhandal. 68
Turpethum vegetabile 42. 59
minerale 25. 244. 263
Tussilago 266. 297
Tussim excitantia remedia 266
Tutia 512
Typhæ ceruinæ 141

V.

Vacca marina 452
Valerianæ rad. 86. 97. 110. 154
Venena adsuetis non nocent 5
Ventriculi tunicæ gallinarum 514
Ventriculus vrogalli 512
Veratrum 63
Verbascum 363
Veronica 154. 171
chamædryos fol. vid. *Teucrium.*
Verbena 86. 121. 122
Vermes saturantia 325
enecantia ib. & seq.
expellentia 326
Vesica apri combusta 519
Vestimenta personæ suspectæ 502
Vexir Kü bis 70
Vinca peruinca 440
Vincetoxicum 86. 111. 266
Vinum 475
eius spiritus 477
enulatum 104
Viola lutea 307. 317
Violarum sem. 154. 178
fl. 216. 265
Viperarum caro sal vol. & officula 87. 146
pinguedo 512
Virga aurea 154. 172
Viscus corylinus 368. 509
quernus 509
tiliaceus ib.
Vitellus oui 378
Vitriolum album 25. 215. 219
solis & lunæ 338. 481
Vitrum antimonii 74
Vitulino ex capite incus & malleus 498
Vlmaria 86. 124
Vltramarina 82
Vngula alcis 510
Vnguentum potabile rubrum 288. 312
Vnguium humanor rasur. 26
Vnicornu verum & fossile 147
Vogelbeeren 448
Vomitus vid. *Emesis.*
Vrina 407
Vrinaria herb. vid. *Taraxacum.*
Vrogalli ventriculus 512
Vrticæ rad. 154. 169. 266
herb. 170
Vsnea cranii humani 441
Vuæ passæ vid. *Passulæ.*
Vulua suis 519
Vuularia 514

W.

W Edelii tinctura bezoardica 108
Wege-Schnecken rothe 380
Winteranus cortex 473. vid. etiam *Caſcarilla.*
Wund-Holtz 190

Y.

Ὑστερον πρώτερον in cura non faciendum 14

Z.

Z Edoaria 86. 112. 238
Zibeben blaue 282
Zibethum 346
Zingiberis rad. 86. 112. 238
Zuch-Pflaſter 185
Zucker gewundener 234